UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

urn:nbn:de:hbz:466:1-54515

Visual Library

Th. 3178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIUS NECESSARII PARS III.

Ubi agitur

DE

AMORE DEI,

non in solis hærente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si DEO id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscunque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscunque rebus aliis amare, quod perfectæ cum eo conjunctioni impedimento esse possit.

Collegii Societ. Jesu Paderborn Anno 1727.

OPUS

P. BENEDICTI ROGACCII

è Societate JESU

Italicè primò vulgatum, & Latinè nunc redditum.

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem

Anno 1721.

Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas DEI *perfecta eſt.* Joa. Ep. 1. c. 2.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS,

Præpositus Generalis Societatis JEsu.

CUm Librum, cui titulus: *Unius Necessarii Pars Tertia*, Authore P. Benedicto Rogaccio, Societatis nostræ Sacerdote, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur; si iis, ad quos pertinet, ità videbitur: cujus rei gratiâ, has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 27. Decembris 1717.

Michaël Angelus Tamburinus.

IMPRIMATUR,

SI videbitur Reverendissimo Sacri Palatii Magistro.

Thomas Cervinus, Episc. Heracleæ Vices-g.

IMPRIMATUR,

EXtra urbem servatis servandis. Datum Romæ ex ædibus nostris in Palatio Apostolico Quirinali, die 23. Januarii 1718.

Gregorius Selleri, Ordinis Prædicatorum S. P. A. Magister.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Proteſtatio Authoris.

ADvertat pius Lector, me, quamvis in hoc opere ſanctam certorum hominum vitam commendem, qui nondum à ſancta Sede Apoſtolica in Sanctorum, vel Beatorum numerum adſcripti ſunt, nec non prophetias, viſiones,& alia hujus generis dona, à DEO ipſis ſupra naturæ ordinem impertita, commemorem; non tamen id propoſitum ibi habere, ut eos pro abſolutè Sanctis, vel Beatis, dictáſque eorum prærogativas pro rite examinatis, approbatíſque à ſancta Sede Apoſtolica Lectores accipiant. Imò palàm teſtor, quidquid de iis ſcribam, non alio niti, quàm humanæ tantummodo authoritatis ſuffragio: juxta formam decretorum, à Sanctiſſimo Patre Urbano VIII. & Sancta Romana univerſali inquiſitione editorum, quibus, qua par eſt, ſubmiſſione, & obſervantia, me omnino inhærere profiteor.

Benedictus Rogaccius

INDEX
CAPITUM.

Cap. I. *Perfectum DEI amorem non solis affectibus debere esse contentum, sed ad omnia se insuper virtutis opera extendere, quibus magis gratificari DEO possit: déque duabus conditionibus, ad id præstandum ei necessariis: alterâ, ut diversis à se omnibus, nempe humanis, & terrenis amoribus validior sit in anima; alterâ, ut nullum ex hujusmodi aliis amoribus secum commorari in anima patiatur, sed omnes, quantùm potest, indè abigat.* pag. 13.

Cap. II. *DEUM esse à nobis amandum plùs omnibus aliis rebus, plúsque etiam, quàm nos ipsos amemus.* p. 41.

Cap. III. *In quo posita sit, & quanta esse debeat exuperatio amoris erga DEUM, præ amore erga nos ipsos. Tres proponuntur illius gradus: déque primo agitur: qui est, quovis bono spoliari, & quidvis malorum pati citiùs velle, quàm DEUM gravi culpa offendere.* p. 62.

Cap. IV. *De secundo gradu Amoris DEI super omnia, voluntate nimirum, gravissima quævis mala potiùs subeundi, quàm eum vel perlevi ulla culpa offendendi.* p. 80.

Cap. V. *De amando DEO plùs nobismet ipsis, usque ad tertium, eúmque supremum hujusce exuperationis gradum: ità nempe, ut nullius sive boni, sive mali nostri respectu prætermittamus quidquam agere, quod ipsi esse gratius noverimus.* 98.

Cap. VI. *Quàm facilè hallucinari nos contingat circa DEI placitum: quantáque idcirco sedulitate certam in quovis nostro actu perspiciendi rationem debeamus scrutari.* p. 118.

Cap.

Cap. VII. *Obedientiæ virtutem unicam viam esse, qua in omnibus certissimè reperiri voluntas DEI possit.* p. 147.
Cap. VIII. *Repræsentatur in nonnullis exemplis perfectio, quam in obedientia exercenda assequi possumus.* p. 198.
Cap. IX. *Non amari DEUM summa, & tota vi ab homine, qui, licèt faciat ejus grasiâ, quidquid potest; non desiderat, plùs ei adhuc gratificari, quàm possit.* p. 213.
Cap. X. *Ad divini amoris perfectionem requiri, ut non modò præcipuus, sed & unicus amor animæ sit.* p. 238.
Cap. XI. *Non excludi à puro, perfectóque unius DEI amore complurium quoque aliarum rerum amores: dummodo hæ non merè propter se ipsas, sed propter DEUM potiùs amentur.* p. 268.
Cap. XII. *Amorem sanctissimæ Humanitatis Christi, DEIparæque Virginis, & reliquorum Cælituum nullo pacto adversari perfectæ charitati erga DEUM: imò ex ea veriùs per necessariam derivationem profluere.* p. 291.
Cap. XIII. *Ad perfectum DEI amorem spectare, ut ejus gratiâ universum quoque hominum genus ametur.* p. 314.
Cap, XIV. *Quàm egregia complures DEI famuli prædictæ adversùs proximos charitatis documenta exhibuerint.* p. 352.
Cap. XV. *Amorem divinum exigere, ut inimicos peculiariter diligamus.* p. 372.
Cap. XVI. *Exempla, in quibus prædictæ exercitationes charitatis erga inimicos luculentiùs apparent.* p. 406.
Cap. XVII. *Esse aliquem hominis erga se amorem rectum, quémque perfectus DEI amor non excludat, imò veriùs præscribat.* p. 426.
Cap. XVIII. *Quinam nostri amor sit pravus, & perfecto DEI amori contrarius: déque duplici arte, ad eum in nobis extinguendum idonea.* p. 460.
Cap. XIX. *Explicatur propositarum artium prior, vilis nempe, imò nulla æstimatio honorum præsentium, ad quorum cupidinem à perverso nostri amore incitamur.* p. 473.

Cap.

Cap. XX. *Exponitur altera pars, profligándo rerum terrenarum amori utilis: perpetuus nempe usus, ubique contra ipsum tendendi, per abdicationem omnium, quæ ipse appetit, & consectationem omnium, quæ ipse aversatur.* p. 494.

Cap. XXI. *Quantum DEI amor ab amore opum terrenarum dissideat: quoque pacto hominem ad has repudiandas impellat.* p. 518.

Cap. XXII. *Incitari ab amore DEI animam, ut, quæcunque corpori amica sunt, fugiat, &, quæcunque invisa, consectetur.* p. 551.

Cap. XXIII. *Qualis, & quanta esse debeat hominis, quê perfectè DEUM diligit, adversùs suum corpus severitas.* p. 576.

Cap. XXIV. *Ad perfectum DEI amorem necessariò requiri, ut reprimamus voluntatem propriam, imò ut illâ etiam nos omnino abdicemus.* p. 594.

Cap. XXV. *Ad perfectum DEI amorem necessariò requiri, ut mens hominis supervacua omni cupiditate, & delectatione purgetur.* p. 632.

Cap. XXVI. *Volenti DEUM perfectè diligere, proscribendam ex animo, ac mente bonam omnem æstimationem suî esse.* p. 659.

Cap. XXVII. *Perfectum DEI amorem exigere, ut non modò vanam omnem nostri æstimationem penitùs à mente ablegemus; sed etiam studeamus quàm abjectissimè de nobis sentire, omniúmque nos mortalium contemptissimos ducere.* p. 691.

Cap. XXVIII. *Proprium esse hominis, qui perfectè DEUM amat, ut à nemine amari, & in pretio haberi, sed omnibus potiùs contemptui, & fastidio esse velit.* p. 721.

Cap. XXIX. *Quomodo, & quatenus anima DEUM amans, hominum æstimationem, amorémque vitare, & contemptum, atque aspernationem quærere debeat.* p. 737.

Cap. XXX. *Insignia quædam aversi ab humana æstimatione,*

ne, & gloria animi exempla. p. 777.
Cap. XXXI. *Num ad summam divini amoris perfectionem attineat, circa interiora etiam bona amori sui ipsius repugnare: fugiendo, quidquid naturæ hominis esto sanctum, ac spirituale arrideat. Et sententia negans statuitur.* p. 801.
Cap. XXXII. *Rationes, quibus eadem sententia in superiori capite oppugnata est, diluuntur.* p. 844.
Cap. XXXIII. *Num DEI amor, ubi ad summam perfectionem evasit, totam unus occupare animam debeat, omnémque etiam æternæ beatitudinis, gratiæque sanctificantis, & Christianarum virtutum, & cujuscunque demum boni, quod DEUS ipse non est, ab ea amorem excludere.* p 862.
Cap. XXXIV. *Epilogus, & conclusio totius operis.* p. 880.

Pro-

Proœmium.

Priusquam tertiam hanc mei operis partem aggrediar, in qua excellentissima, & maximè ardua proponuntur amoris divini exercitia; necesse habeo, duobus respondere, quæ hìc objici mihi possent, criminibus. Primum est, quòd alios ad summa urgeam, ducámque illius sanctimoniæ fastigia, cujus ipse infimos gradus vix attigi: perinde quasi aut nesciam, qualis sim; aut melior existimari affectem, quàm sim. Alterum, quòd pro eo, ut incitem ad perfectionis studium eos, qui infirmioris animi sunt, immodica præceptionum multitudine, & arduitate vel promptiores indè avocem, nihil minus in quavis materia præscribens, quàm quod summum ibi est: neque contentus, ea duntaxat inculcare, quæ intimam, & formalem divini amoris perfectionem constituunt; sed pari cum severitate exigens, quidquid etiam instrumenti mo-

re ad removendos illius obices, eámque faciliùs, atque certiùs assequendam conducit. Quæ appendix, &, quòd non ità necessaria sit, minorem ad concilianda sibi hominum studia vim habet, & propter summam difficultatem, ac penè infinitam suæ materiæ amplitudinem, vix legi, audiríque sinè extrema consternatione animi potest.

Ut igitur à primo prædictorum criminum me purgare aggrediar; fateor quidem, maximum intercedere, neque ulli, quàm mihi manifestius discrimen inter meam hinc scribendi materiam, hinc vivendi rationem: illam nempe delibutum exquisitioris sanctimoniæ florem; hanc verò inveterati situm, atque fœcem torporis. Nego tamen, quidquam causæ esse, cur meum ideò institutum ullæ ex parte mereatur reprehendi: utpote quod nihil propterea seu mihi, seu lectoribus damni, imò utrisque multum commodi affert.

Nullum afferri ab eo damnum ostenditur: nam si aliquod pareret, illud, quantùm ad me quidem, pharisaica esse posset sanctitatis venditatio, apud Lectores, qui non nisi ex meo libro me noverint; quantùm verò ad ipsos, error, & falsa persuasio, in quam fortè deducerentur, sanctiorem me existimantes, quàm sim. Sed præterquam, quòd incertum id periculi sit, satis jam illi sinceræ interioris meæ vilitatis confessione occurri: omnem mi-

mihi & aucupandæ inanis gloriolæ, & illis circa me errandi occasionem præcidens.

Parum tamen esset, nihil indè noxii, & pœnitendi effectûs oriri. Multum insuper, ceu paulò ante affirmavi, boni frugis promanat. An non enim talis, quantùm ad me, dici meretur obligatio, quam ità scribens mihi impono, spiritualem vitam profitendi, & quasi necessitas, eos saltèm pravos mores, atque actus vitandi, quos præ aliis objurgo? An non talis etiam clarior illa meæ inertiæ cognitio, quam necesse est à me concipi, dum adeò remotum à perfectione in meis paginis descripta me intueor! An non talis demum displicentia mei ipsius, & pudor, quo affici cogor, objurgationes conscientiæ audiens, stimulantis me, ut à veterno tam diutinæ ignaviæ aliquando exsurgam: & subinde inclamantis: si vera sunt, quæ prædicas, cur nihil te commovent? Cur minori curæ tuus tibi est, quàm aliorum profectus? Cur ex tot documentis, ac præceptis, quibus Lectores instruis, nè dimidiam quidem, tertiámve partem in tuos usus derivas? Ascetica certè hortamenta, atque monita, si aliquam habent vim permovendi eos, qui ab alio sibi inculcata audiunt; majorem habere pluribus de causis debent percellendi illum ipsum, qui ea aliis inculcat: utpote qui ad suum hoc munus rite obeundum, & diutiùs ea consideraverit, necesse est,

& peculiari dein ſtudio in iiſdem vividè exprimendis, efficacitèrque perſuadendis utatur: ſimilis ſpongiæ ad corpus malè affectum ſalubri oleo perungendum adhibitæ, quæ nullo pacto id præſtare muneris poteſt, nisì ipſa prior, & quidem penitiùs eodem fuerit medicamine imbuta. Quapropter ſcientiſſimus ille animarum Medicus, S. Ignatius Loyola, inter cætera ad ſpirituales morbos curandos remedia hoc etiam uſurpare conſueverat, (Bart. in Vit. L. 3. n. 43.) *ut, quem alicujus virtutis defectu laborare intuebatur, eum juberet congregatos in unum locum ſocios ad eandem publicè hortari. Et quàm efficax id remedii genus ſit, ſuo ex uſu vetus eremi incola agnovit: qui hoſtis tartarei inſtigationibus victus, feſtino jam greſſu ex deſerto ad Ægypti ollas redibat. Rediiſſétque procul dubio haud ſinè ſuâ extrema pernicie, nî quidam Monachi, ad quos de via feſſus diverterat, neſcientes, quidnam novi conſilii in animo coqueret, ab eo flagitâſſent, ut idoneam ſibi aliquam rationem diabolica tentamenta eludendi, veteranus videlicet in hoc certaminum genere athleta, commonſtraret. Cùm enim haud quiviſſet iteratis eorum precibus pium id officium negare, cœpit medio in ſermone ruminari ipſemet ſecum:* Quomodo alios ego moneo, & ipſe decipior? Quomodo alios ego corrigo, & me ipſum non

non emendo? *Tantámque in illius animo ejusmodi cogitatio vim habuit, ut hospitibus quàm primùm valere jussis ad eremum se cursim retulerit: unà cum reliquis anteactæ vitæ criminibus, novissimum quoque hoc defleturus, è cujus præsenti discrimine, atque exitio tam opportuna se Dominus ratione subduxerat.* (Spec. Ex. Dist. 2. Ex. 3.)

Neque minùs patens Lectorum utilitas est: quamvis enim ascetica documenta majorem persuadendi vim ab Authoris sanctitate accipiant, ideóque S. Philippus Nerius eos apprimè spiritualium librorum commendaret, quorum Scriptores literam S. præfixam nomini habebant, (Bac. in Vit. L. 2. c. 5. n. 10.) *nihilominus, ubi doctrinæ & permagni sunt momenti, & dilucidè, efficacitérque proponuntur, satis vel per se ipsas valent ad permovendos, qui earum lectioni operam navant: ceu experientia luculenter demonstrat: cùm videamus pios libros, si secundùm materiam, & scribendi formam frugiferi sint, avidè, utilitérque à Lectoribus pervolvi, esto nihil plerumque seu scientibus, seu scire laborantibus, quàm sanctè vitam duxerit Author. Idque ex peculiari ratione de præsenti meo opere affirmandum videtur: ubi nempe haudquaquam propositum mihi est, Lectores excitare ad omnimodam divini amoris perfectionem volendam,*

ſed jam abunde excitatis per duarum partium præcedentium doctrinam oſtendere, quonam tramite pervenire ad optatum ſibi terminum poſſint. Si enim ità compoſiti, affectique animo ſint, manifeſtè apparet, nihil eos probabilis cauſæ habituros, cur inſtitutionem meam minùs promptè accipiant, quia ego negligentiùs eâ utor: uti neque viator, ſolicitus quàm celerrimè, & rectiſſimo tramite ad itineris metam pertingere, compendiariam ſemitam ab alio ejuſdem peregrinationis ſocio ſibi indicatam cunctantiùs invadit, quia illum videt imbecillitatis, aut ſegnitiei causâ commodiorem aliam, eſto obliquam, tardiúſque emetiendam tenere: quid meâ intereſt, ſi nihil hic penſi habet, ſeróne, an celeriter curſum conficiat? Quacunque ſibi libitum eſt, ingrediatur via, modò mihi quàm breviſſimam monſtret.

Quæ cùm ità ſe habeant, poſſum quidem meritò reprehendi, quòd alios ad progrediendum quàm ampliſſimè in ſanctioris vitæ curriculo exſtimulans, ipſe interim juxta illius carceres hæream: namque hæc inertia neque ullam excuſationem admittit; & cum illo alienæ perfectionis ſtudio conjuncta apparet deformior. At contra nemo mihi poteſt vitio vertere, quòd meæ hujus deſidiæ conſcientia minimè retardatus, excitare alios ad oppoſitam alacritatem enitar: namque hic conatus & lau-

laudabilis secundùm se est, & adjunctæ culpam ignaviæ utilitate sua aliquatenus pensat. Tubicen quoque extra dimicationis aleam versari consuevit; num ergo eum vetabimus, militum copias ad fortiter dimicandum incendere? Si parùm pugnæ aptus ipse est, alios saltèm aptare illi studeat; si manu, & armis nequit, oris saltèm spiritu juvet ad victoriam.

Transeundo jam ad alteram objectionem, respondeo, non aliunde, quàm ex præposterо vocum usu illam nasci: quatenus nempe extraordinaria, & communem virtutis modum transcendentia pro absolutè immoderatis, nimiisque, & supervacaneis accipit. Quàm enim verum est, nullam me in regulis, & præceptionibus, quas hìc statuo, communis imbecillitatis, facilisque, aut difficilis rationem ducere, sed quid solummodo in peculiari quavis materia præstantissimum sit intueri; tam non nisì falsò dici potest, ullam in ejusmodi regularum numero esse, quæ ad divinæ charitatis perfectionem non pertineat, cujúsque mentio præteriri ab eo possit, qui artem tam eximiam secundùm omnes suos numeros tractandam suscepit; & praxis ab eo negligi, qui eandem pro unico votorum suorum fine habet, & omnibus sibi viis, atque modis quærendam proposuit. Præterquam, quòd illas ipsas exercitationes, quæ objicienti &

supra modum arduæ, & minùs necessariæ videntur, non omnibus ego sanctioris vitæ studiosis præscribo; sed iis tantùm, qui tritas, & faciliores divini amoris vias jam emensi nil ardentiùs desiderant, quàm ad supremam illius absolutionem, quovis vel asperrimo, modò certissimo tramite eniti: docendi rationi illi insistens hoc pacto, qua usum fuisse Christum Dominum legimus: dum adolescenti, à prima jam ætate in communibus divinæ legis præceptis exequendis versato, & ulteriοris disciplinæ cupido, terrenarum facultatum abdicationem proposuit, veluti appendicem, aliis quidem prorsus arbitrarii & liberi usûs, sed ipsi pro sua perfectionis voluntate exequenda necessariam: Si vis, *inquiens*, perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. (Mat. c. 10.)

At facilè eveniet, ut permulti totam, vel quà difficillima est, sanctimoniam sibi ob oculos explicatam cernentes, præ imbecillitate animi, & successûs desperatione ab illius studio resiliant, qui eandem secundùm faciliores solummodo illius exercitationes sibi propositam ultro amplexi fuissent. Esto; sed, qui hujusmodi sunt, non poterunt, nisi de ignavia sua queri: cùm è contrario, si molliùs cum ipsis, dissimulantiúsque actum esset, minoris perfectionis suæ culpam in

eum

eum possent rejicere, qui reliquam, & præcipuam illius partem sibi abscondisset. Adde huc, quod perfectionem, quanta quanta est, sibi exhibitam præ timiditate refugientes, saltèm de se humiliter sentient, tanquam de imperfectis, abjectíque, & pusilli animi hominibus: at verò, si aliquam solummodo ejus partem pro solida, ac tota amplexi essent; falsò sibi blandirentur, séque crederent, quod revera non sunt, usquequaque perfectos. Certè adolescens ille ex Euangelio, cujus paulò antè memminimus, cùm audîsset à Domino, perfectionis acquirendæ causâ, universas sibi esse abdicandas facultates suas, teste Euangelista, abiit tristis, neque tam carò illam sibi emendam putavit: à quo si dimidia tantummodo patrimonii pars fuisset quæsita, & altera illius potestati, atque arbitrio relicta, huic forsitan conditioni acquivisset. Neque tam n cælestis Magister dimidium ab eo voluit, quod facilius cæteroqui præstiturus ille erat, sed totum, cui minimè assensurum prævidebat, exigere.

Accedit præterea, quòd perfectionis arduitas, si à nonnullis ob ignaviam fugitur, ab aliis tamen strenuioribus invadi alacriter solet. Cur ergo de illa in priorum gratiam mihi ego potiùs tacendum, quàm ad posteriorum utilitatem differendum putarem? Præsertim verò, cùm tertia hæc

pars nequaquam à me secundùm se totam dirigatur ad quodcunque lectorum genus, sed ad eos speciatim, qui flagrantissimo DEI *amore succensi nihil aliud votis suis, atque studiis propositum habent, quàm ulteriùs semper, ulteriúsque in eo progredi. Qui sanè tantùm aberunt ab expostulando de me, quia illius summos sibi indigitem vertices, ut potiùs ægre laturi essent, si in plano se æquore demorari cum imbecillioribus sinerem. Si quis ergo animo ità comparatus non est, nè hìc secum arbitretur me loqui: nec lactenti ore, & inermi gingiva solidum panem earum materiarum frangere affectet, quæ bene dentatos, & robusti stomachi Lectores desiderant. Vel si degustare illas amat, circa id, quod universale, ac proinde minùs durum in earum doctrina est, se contineat: peculiarium exercitationum appendicem, cui se imparem fatetur, transiliens, aut tantùm solummodo attendens, quantùm ad spiritualem imbecillitatem suam clariùs perspiciendam, séque in justa animi demissione confirmandum sit satis: fructum videlicet penè unicum, nec exigui cæteroquin momenti, quem minùs generosi Lectores indè possunt excerpere.*

Postremò suum cuivis de hac re esto judicium. Ego sanè pro certissimo habeo, jámque pridem accurata disputatione evici, in perfectionis Euange-

li-

licæ ſtudio facilius eſſe, multum, imò totum, quàm exiguum, & dimidium tantummodo aggredi: facilius exempli gratiâ conſilia ſimul cum præceptis, quàm ſola præcepta ſervare: facilius inimicum amare, & beneficiis afficere, quàm patienter duntaxat ferre, ſibíque à ſolo illius odio temperare: facilius, quotieſcunque ſe opportunitas dat, ſuum honorem deprimere, & cupiditates ſuas frangere, quàm aliquas id faciendi occaſiones complecti, aliáſque negligere. Quam ſummi momenti veritatem quiſquis probè intellexerit, nedum nimiæ ſeveritatis me arguet, dum à divinæ charitatis ſtudioſis ſummum, totúmque exigo, quod in perfectione illius continetur, ut ultro etiam fateatur, minùs laborioſam, planioremque illius viam hoc pacto à me reddi. Túque haud dubiè id, Lector, fateberis, ſi, quæ hìc proponuntur, divini amoris præcepta corde magno, & animo volenti *ſervare inſtituas. Tuamet ſiquidem experientia manifeſtum tibi faciet, quantò delectabilius, ac proinde etiam facilius ſit,* DEO *totum ſe addicere, quàm ſibi partem aliquam ſui retinere: quantò minus in ſpirituali vita ſuſtineat laboris, qui proprium ſui amorem, unicam difficultatum, obſtaculorum, & interiorum reniſuum cauſam ubique oppugnat, penitúſque abolere contendit; quàm qui ſatìs habens eum aliquate-*

tenus moderari, multis ei in rebus morem gerit, blanditúrque, & connivet: quantò denique amor divinus majori dulcedine animum perfundat, si purus, solúsque in eo sit, quàm si humanis aliis, terreníque affectibus mistus.



CA-

CAPUT I.

Perfectum DEI amorem non solis affectibus debere esse contentum, sed ad omnia se insuper virtutis opera extendere, quibus magis gratificari DEO possit: deque duabus conditionibus ad id præstandum necessariis: altera, ut diversis à se omnibus, nempe humanis, & terrenis amoribus sit validior in anima: altera, ut nullum ex hujusmodi amoribus secum commorari in anima patiatur, sed omnes, quantùm potest, indè abigat.

MEritò comparatur igni amor. Nihil inter omnia elementa actuosius, efficaciúsque, & magis indefessum igne est. Circumponi illi, quantùm libet, materiæ; *nunquam dicit: sufficit*, nunquam succumbit operi, nunquam agendo expletur: omnia vincit, omnia ab-

absumit, omnia in alimentum suum vertit; vel durissima corporum, ceu metalla cogens liquescere, ac ab iis, quæ naturâ sibi maximè adversantur, nempe aquis, incrementum roboris capiens. At numquid non tale est veri quoque amoris ingenium? Audire ex Philosopho liceat. (*L. 2. Rhet. c. 4.*) ***Amare***, inquit ille, ***est velle alicui bona, & ea facere, quantùm potest.*** Ità profectò, ipse quoque volendi ardoribus operandi conamina adjungit: nec operandi intrà quemcunque modum, sed quantùm potest: nunquam satis se egisse existimans, quamdiu agendi materia supersit; nullúmque finem faciens repetendi nuptæ sibi animæ illa Rachelis ad Jacobum virum suum verba, (*Genes. c. 30.*) ***Da mihi liberos, alioquin moriar***: utpote qui, si opera sibi congruentia edere in lucem desierit, vivere simul, teste D. Gregorio, & esse amor desinit. (*Hom. 25. in Euang.*) ***Operatur magna, si est: si autem renuit operari, amor non est.*** Ipse quoque nihil inter materiam, & materiam discriminis statuit: sed, quæcunque demum sit, quæ sibi apponitur, & quantumlibet dura, difficilis, contumax; eam illico invadit, excoquit, subigit, nutrimentum suum facit: plus virium ex laboribus trahens, difficultates pro incitamen-

mento habens, nec alibi uſpiam vividiorem, magíſque animoſum, quàm inter adverſa, & obſtantia ſe exhibens. *Exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Ubi audierit buccinam, dicit, vah: procul odoratur bellum.* (*Job. c. 39.*)

2. Neque hæc ſunt amoris alicujus à communi vitæ uſu remoti ad ideam imaginando effícti ſpecimina, ſed quotidiana, & promiſcua omnium, qui perſonam, aut rem quampiam verè amant, exempla: quos nimirum videmus, amoris ſui impulſu non modò laborare ſupra vires, graviſſima perpeti incommoda, ultimíſque diſcriminibus caput objicere; verùm etiam iis laboribus delectari, eas perpeſſiones vix ſentire, ea diſcrimina nihili pendere: ut rectè animadverſum eſt à D. Auguſtino ſcribente: (*De Bono Viduit. c. 22.*) *Non ſunt oneroſi labores amantium, ſed & ipſi delectant, ſicut venantium, aucupantium, piſcantium. Nam in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur.* Et revera quodnam cogitari vitæ genus illo inamœnius, & magìs tetricum poteſt, quod literarum ſtudioſi exigunt ab omnibus vitæ oblectamentis ſemoti dies, atque noctes blattarum inſtar libris affixi, neque unquam parcentes, laborioſis

osis commentationibus caput obtundere; corporis vires atterere, vitalium florem spirituum exhaurire? Quibus tamen quàm non leve duntaxat, sed & jucundum, ac suave discendi amor reddit, quidquid molesti, & non amantibus intolerandi in ea solitudine, in iis vigiliis, in ea mentis defatigatione reperiunt? Quibus non ærumnis, ac periculis subjecta est professio seu mercatorum inter assiduos per oceani vastitatem discursus; sive militum in itineribus, in castris, in præliis? Et nihilominus tantum apud primos lucri, & apud alteros gloriæ cupiditas valet, ut neque hi quidquam instantiùs flagitent, quàm difficillimas, & maximè ambiguas expeditiones sibi inprimis delegari; neque illi quidquam impatientiùs expectent, quàm tempus è portu solvendi, hoc est redeundi ad consueta cum turbinibus, & naufragiis certamina. Nè interim de tot aliis loquar, qui Helenæ alicujus amore inflammati pro nihilo habent, dum ei placeant, eáque potiantur, nepotinis sumptibus patrimonium exinanire, immoderatis laboribus valetudinem frangere, vitámque ipsam cũ rivalibus digladiando profundere. Usque adeò, juxta citati paulò antè Hipponensis Præsulis dictum: *Omnia sa-*

va,

va, & immania facilia, & propè nulla reddit amor. (*Serm. 9. in Eu. Mat.*)

3. Sed enim verò, si ullus quisquam ex amoribus cæteris, divinus certè igneam hanc vim, difficultatum omnium, terrenorúmque victricem à natura sua sibi insitam habet: utpote qui nequaquam in objectum quomodolibet bonum, & pulchrum, sed in ipsammet puram, omnimodam, atque infinitam bonitatem, & pulchritudinem tendit. Quamobrem explicari satis nequit, quousque progrediatur: quanta cum generositate difficillima quævis facinora invadat: quámque non intrepidus modò, sed & hilaris, gestiénsque inter asperrimma quæque perpessionum, atque extrema periculorum versetur: *Omne gaudium existimans, cùm in tentationes varias inciderit, & cum leonibus ludens, quasi cum agnis.* (*Vide Jac. Ep. c. 1. & Eccles. c. 47.*) Testentur Christianæ tot Ecclesiæ inclyti Heroës, qui sacro illius igne succensi, longissimè à tergo reliquerunt ultimos quosque amoris profani conatus. Quam enim illi unam ex affectionibus homini à natura insitis, sive erga opum affluentiam, sive erga nominis celebritatem, sive erga genii delinimenta, sive erga ipsius vitæ, ac lucis usuram, non obli-

oni mandârunt, quoties in contentionem veniret cum affectu erga increatum, infinitúmque ſuum bonum? Quas ærumnas, quæ incommoda, quos cruciatus formidârunt, imò non ultro laceſſierunt, imò non pro deliciis habuerunt, ſi amplificare gloriam, & promereri ſibi poſſent dilecti ſui Domini gratiam? *O bona crux! diu deſiderata, ſolicitè amata, ſinè intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata, ſecurus, & gaudens venio ad te: ità & tu exultans ſuſcipias me.* (*In Brev. Rom.*) Sic B. Andreas, quaſi ad ſponſæ chariſſimæ amplexus perveniſſet, ſuæ cruci blanditur. *Utinam fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ, quas & oro veloces mihi eſſe ad interitum. Quod ſi venire noluerint; ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & tota diaboli tormenta in me veniant, tantùm ut Chriſto fruar.* (*Ibid.*) Hac aviditate Ignatius Antiochenus præſtolatur, imò urget, atque exſtimulat toleranda pro Chriſto ſupplicia. *Nunquam tam jucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter JEſu Chriſti causâ perferimus.* (*Ibid. 18. Jun.*) Ità ſancti fratres, Marcus, & Marcellianus reſpondent commiſeranti, eos ad ſtipitem alligatos, immanibúſque clavis transfixos.

fixos. Pluráne exempla desideras? En tibi Gentium Doctorem Paulum, tam plenum, imò & plùs quàm plenum gaudio in graviſſimis, quas pro Chriſti nomine ſuſtinebat, ærumnis, ut illi penitùs capiendo profiteretur ſe imparem, ſcribens Corinthiis: (2. c. 7.) *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* En alterum illum Indiarum Apoſtolum, Franciſcum Xaverium, qui protenſis cælum versùs brachiis, amplius, Domine, amplius, exclamat. Et cujus rei amplius? Num conſolationum cæleſtium? minimè: nam de his contrà dicebat, non plus, Domine, ſat eſt: ſed crucum potiùs, quas denſæ inſtar ſylvæ confertas DEUS illi ſupernè oſtentabat. (*Bart. Aſia L.* 1.) En invictam Chriſti Martyrem Secundam, uſque adeò ſæva omnia pro cæleſti ſuo Sponſo patiendi avidam, ut contumeliæ locò duceret, quòd Judex ſpectatricem ſe potiùs, quàm conſortem vellet cruciatuũ ſuæ ſororis Ruffinæ, dolenter cum eo expoſtulans: *Quid eſt, quòd ſororem meam honore, me afficis ignominiâ? Jube ambas ſimul cædi.* (*Lect. Brev.* 10. *Jul.*) En poſtremò celebrem Carmeli Heroinam, Tereſiam, quæ amaram ſinè perpeſſionum condimento videri ſibi vitam teſtatur, ſua o-

mnia vota in brevem hanc ſummam colligens: *Aut pati, aut mori.* (*Ibid. 15. Octobr.*) Proh DEUM immortalem! cujus, quæſo, hæ animæ generis ſunt? Ubinam hìc naturæ mortalis fragilitas eſt? Ubi innatus hominibus patiendi horror? Ubi rerum genio ſuavium cupiditas? Quiſnam iis ſenſus tam novos infudit? Quiſnam eas tam inſolito robore, & ſpiritu afflavit? Tu enim verò immortalis flamma, & ſeraphicus ignis, amor divine. Tu revelliſti ab earum ſinu vetus cor carneum, ſubrogans ipſi aliud, in tuis temperatum, excoctúmque fornacibus. Tu cæleſti tuo ardore perpurgâſti earum affectus à terrena omni contage. Tu derivatas à reo Adamo propenſiones in iis extinxiſti, novas inſerens vitiatæ naturæ prorſus contrarias. Tu demum effeciſti, ut viverent non ultrà in ſe ipſis, ſed in DEO, neque hominum, ſed Cælitûm vitam: & documento omnibus forent altioris humanâ virtutis, quam tu impertiri tuam amplexis militiam ſoles. *Nihil eſt enim*, ceu teſtatur Chryſoſtomus, *quod non ſuperet amor cum deſiderio. Si autem* DEI *ſit deſiderium, omnium altiſſimum eſt: & neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, non infirmitas, non mors, nec aliud quid hujuſmodi grave videbi-*

bitur talem amorem poſſidenti: ſed omnia deridens ad cælum volabit, & illic morantibus nihilo ſe geret indigniùs: aliud intuens nihil, non cælum, non terram, non mare, ſed ad unam tantùm pulchritudinem intentus illius gloriæ: & neque eum præſentis vitæ triſtia humiliabunt; nec inflare, & extollere ſuavia poterunt. (*Hom. 64. ad Pop.*)

4. Quanquam neque hæc omnia, quæ nobis alioquin heroicæ fortitudinis prodigia videntur, immenſam explere amantium illiuſmodi animarum aviditatem potuerunt: ſcientium nempe, quàm infinita objecti à ſe amati dignitas eſſet, nullíſque adæquari finitis conatibus poſſet. Quare, & poſt facta omnia, nihil ſe arbitrantur feciſſe: quámque penitùs contenti de illo erant, tam in nulla re pro illo ſuſcepta, & peracta acquieſcere poterant. Unde magnam ſanè erubeſcendi occaſionem habent permulti ex ſpiritualibus Viris: qui, ſi inter orandum dulci aliquo amoris ſenſu erga DEUM affici ſoleant; ſatìs jam profeciſſe in divinæ charitatis ſtudio ſeſe exiſtimant: nequaquam interim audientes ſeu D. Gregorium, qui monet: (*L. 3. c. 4. in Lib. Reg.*) *Signum amoris non eſſe in affectione animi, ſed in ſtudio bonæ operationis*; ſive

D. Augustinum, juxta cujus sententiam, (*Tr. 75. in Joan.*) *Opere est monstranda vera dilectio, nè sit infructuosa nominis appellatio*; seu dilectũ à Christo discipulum, qui disertissimè nobis commendat: (*Ep. 1. c. 3. & 2.*) *Filioli non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate. Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas DEI perfecta est*; seu denique Authorem opusculi *de modo bene vivendi*, à nonnullis D. Bernardo adscripti: qui, quamdam Christi Sponsam erudiens: *Tunc verè*, ait, *DEUM diligis, si pro amore ejus bona, quæ potes, operaris*: addens, sic fore, ut cælestem suum Sponsum impressum gerat, prout ipse in Canticis postulat, non tantummodo *super cor suum*, verùm etiam *super brachium suum.* Cùm enim ex corde affectus, éque brachio opera proficiscantur; per utrumque hujusmodi effectum *super cor, & super brachium Sponsæ Dilectus in signaculum ponitur: quia in sancta anima, quantùm ab ea diligatur, & voluntate, & actione designatur.* Næ amor tam piger, & languidus non aliud dici, quàm inanis quædam species, & pictura amoris meretur: quemadmodum pictus, & imaginarius ab omnibus diceretur ignis, qui circumpositam sibi materiam non combureret. Nam, si

si-

fides, teste D. Jacobo, *sine operibus mortua est*; (*Ep. c.* 2.) quomodo vivere sinè iisdem charitas poterit, virtus actuosissimæ indolis, & à qua fides ipsa agendi vim habet, ceu quæ, juxta Apostoli effatum, *per charitatem operatur*? (*Ad Gal. c.* 5.) Manibus, quas D. Augustinus pro operibus accipit, DEUM David profitetur quæsitum sibi esse, ac repertum: (*Ps. 76.*) *DEUM exquisivi, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Neque alia ratione utendum cuique est, si eum invenire, perfectéque cum eo conjungi desiderat. Quæ ratio proinde à Jeremia quoque commendatur: (*Thr.* 3.) *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum.* Corda etenim, prout interpretatur D. Gregorius, *cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam, quisquis orat, sed operari dissimulat; cor levat, & manus non levat.* (*L. 18. mor. c.* 5.)

5. Cùm itaque in præcedenti libro disputatum à nobis de affectibus sit, quos divina charitas excitare in animis solet, quod fuit Lectores quasi super Sinai cum DEO detinere; reliquum jam est, ut eosdem è sacro illius montis otio ad actionem traducamus, veluti post quadraginta dierum secessum indè

olim Moyſes deſcendit, Legis tabulas manibus præferens: nempe ut de actibus diſſeramus, ad quos DEI amor in arcana cum eo conſuetudine accenſus pergit ſe extendere: materia profectò infinitæ amplitudinis, ceu nullas non complectente exercitationes virtutis, quæ DEO placere, & pro majori ejus gloria ſuſcipi poſſunt. Authore ſiquidem D. Auguſtino, (*In Pſ. 31.*) ***Dilectio vacare non poteſt, nisi, quidquid poteſt boni, operetur.*** Quocirca, cùm permultæ hìc contineantur operationes præter communem modum arduæ, & vehementiſſimis naturæ propenſionibus repugnantes, ut eas animus contempta omni difficultate fortiter aggrediatur, DEI amore opus habet non vulgari, ſed extraordinario, heroicóque, & validiore omnibus aliis tum erga terrena quævis bona, tum erga ſemet ipſum affectibus: qualis à Salomone deſcribitur in iis Canticorum verbis, (*c. 8.*) ***Fortis eſt, ùt mors, dilectio, dura, ſicut infernus, æmulatio. Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.*** Nam, nisì amor DEI quibuſcunque aliis prævaleat rerum terrenarum amoribus; quonam pacto urgere efficaciter

ho-

hominem poterit ad operandum contra eorum inſtinctus ? Ceu multoties neceſſe illi eſt operari, ſi exequi ſemper velit, quod Deo maximè arridet. Certè, ſi plùs ille voluptatem, aut gloriam, aut aliud ex mortalibus bonis amet, quàm DEUM, incidente occaſione, ubi gratam DEO eſſe ſuam talium bonorum abdicationem viderit; horum amor, veluti apud ipſum divino eſt validior, ſic efficaciori ipſum vi ad ea retinenda, quàm divinus ad repudianda incitabit. Neque aliud profectò cauſæ eſt, cur difficilia experiamur, neque audeamus aggredi hæc, aut illa opera ad DEI obſequium ſpectantia, quàm quia plùs in nobis poteſt terrenus aliquis amor, cui illa adverſantur, quàm divinus, cui ſerviunt. Unde, ſi quæratur, quare hic, licèt noverit, DEO placere eleemoſynam, in ea tamen largienda ſit parcus: qua de cauſa ille, etiamſi palàm videat, coërcendis ſuis ſenſibus gratum ſe DEO fore, nihilominus coërcere illos negligat: cur alius, quàmvis ei conſtet, inimicorum amorem à DEO præcipi, nunquam tamen inducat animum, benignè, amicéque cum iis agere; hiſce omnibus, & quotcunque aliis ejuſdem generis quæſtionibus unum, ſempérque idem congruit reſpon-

ſum: nempe ideo talia evenire, quia in prædictis hominibus imperfectus, remiſsúſque amor DEI eſt, nec prævalens, quantùm par eſſet, amoribus pecuniæ, delectationis ſenſibilis, honoris profani, aliorúmque objectorum ſimilium: ut proinde, quos ſuſcipit, DEO gratificandi conatus, propter ſuam imbecillitatem, & validiorem illorum amorum repugnantiam, effectu ſuo careant: confirmantes hoc pacto illud D. Auguſtini pronuntiatum, (*In Pſ 85.*) *Si refrigeſcit amor noſter, refrigeſcit & actio noſtra*: cùm è contrario, qui perfectè DEUM amant, ubi quidpiam illius gratiâ eſt agendum, nulla retardari difficultate, nullos non obices ſuperare cernantur. Paucis: ubi duæ cauſæ ſecum pugnant, eam, quæ minùs habet virium, à fortiore vinci neceſſe eſt. Quare, cùm nihil nobis obſtet, nè ſecundùm amoris divini incitamenta operemur, præter contrarios terreni alicujus amoris inſtinctus; manifeſtè conſequitur, ſi hic illo in nobis ſit fortior, effecturum, ut multa omittamus opera, ad quæ ille nos incitat: contrà verò, ſi ille principatum inter amores noſtros teneat, nunquam fore, quantumcunque alii amores repugnent, quin cæleſtes illius impulſus ſequamur. *Si quis diligit*

git me, ſermonem meum ſervabit. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat, (*Joa. 14.*) corporata olim veritas dixit : non abſque myſterio præcepta,& conſilia ſua exprimens, numero jam unitatis, ubi ſe amantium mentionem faciebat; jámque multitudinis, ubi de non amantibus loquebatur : perinde quaſi ſignificare nobis vellet hinc alacritatem, qua primi ea omnia, non ſecùs atque unum cuſtodiunt; indè verò ignaviam, qua alteri eorum complura pro hujus, vel illius terrenæ cupiditatis ſuæ repugnantia exequi omittunt.

6. Neque verò ad patranda ſolummodo, quæcunque DEO placent, verùm etiam ad eos ipſos, de quibus ſuperiori libro egimus, erga illum exercendos affectus, neceſſe eſt, eum à nobis impenſiùs quibuslibet aliis objectis amari. Quo enim pacto aliquis poterit aſſiduam toto die retinere DEI præſentis memoriam, neque de ulla re libentiùs, & crebriùs, quàm de ipſo loqui, neque ardentiora vota, quàm è terris ad eum emigrandi in animo habere, neque ullo affici ſeu pleniori gaudio, quàm de illius beatitudine, & gloria; ſeu acerbiori mœrore, quàm de injuriis, quæ paſſim ei ab hominibus fiunt, neque

que alios eventus velle, quàm qui eo volente, ac jubente in mundo accidunt: quonam pacto, inquam, ità esse animatus erga ipsum poterit, si alios interim foveat, & dominari in corde suo sinat; nihilo minùs, imò & magis fors validos rerum pereuntium amores? Nulla certè ratione continget, ut id ipsi unquam liceat. Terreni quippe illi amores, ipsius cor, atque mentem, jam hi, jam illi occupantes nequaquam permittent, ut contemplando, amandóque DEO totus vacet. Idque sat perspicuè communis experientia, & quotidianus vitæ usus demonstrat. Cùm passim videamus, quàm ægre, qui hujusmodi sunt, vel ad breve tempus, tranquillam, & suavem, qualis est verè amantium, cum DEO habere consuetudinem possint: quantò ardentioribus bonorum sensibilium, quàm ipsius desideriis flagrent: quantò molestiùs proprias, quàm illius ferant offensas, plúsque de terrenis suis lucris, quàm de illius gloriæ incrementis lætentur: quàm remoti demum sint ab excipiendo cum plena, & hilari approbatione, quidquid de ipsis, esto naturâ suâ asperum, æterna illius voluntas decreverit. Ut proinde, qui DEUM non aliis quibusque objectis plùs amat, non nisi admo-

modum imperfectè, & ſecundùm meros affectus amare illum queat.

7. Imò ulteriùs pronuntio, ad ſolidam perfectionem amoris erga DEUM, tam interioris, & merè contemplativi, quàm externi, atque practici, non ſatis eſſe, ut cuilibet diverſorum à ſe amorum is præpolleat; ſed requiri præterea, ut ſinè ullis diverſis à ſe amoribus in anima hominis ſit. Nam, ſi horum aliquos, putà amorem pecuniæ, amorem voluptatum, amorem gloriæ, amorem proprii arbitrii, & judicii, unà cum eo reperiri contingat; non poterit anima ſinè horum reniſu omnes ſive interiores, ſive exteriores actus edere, ad quos ab eo impellitur: ideóque, etſi ejus impulſibus obſequatur; non id faciet promptè, hilaréque, & cũ ea facilitate, quæ perfectè amantium eſt propria, ſed laboriosè, violenter, cúmque repugnantia, & admiſtione voluntatis contrariæ. Quapropter, cùm & violentum ſit vi aliqua reluctante operari, & nihil violentum poſſit eſſe perpetuum, non poterit talis anima nè obſecundare quidem ſemper divini amoris impulſibus: ſed ſubinde vel retinebitur, vel in diverſa agetur à prædictis deterioris notæ amoribus, quos unà cum illo in ſe

fo-

fovet : jam omittens exercere actus ſupernaturales ab illo imperatos; jam exercens quidem, ſed languidè, negligentérque, & ſinè perfectione eorum propria; jámque ad alios etiam ſe abripi ſinens, quos ille improbat, tanquam pravos, ſibíque, & rationi contrarios. Quandoquidem igitur propoſitum, atque ſcopus noſtri hujus operis eſt, excitare in Lectoribus non qualemcunque DEI amorem, ſed omnibus ſuis numeris, partibúſque abſolutum, qui ſcilicet nullum ex aliis profanis amoribus virtute non excedat, nullúmque ab anima, ubi dominatur, non ejiciat; utramque harum perfectionum ei adjungere poſthac conabimur: nulla jam in re humanæ imbecillitati parcentes, ſed animam, quam hucuſque ceu rudem, ac teneram intrà dulces affectus detinuimus, remotis ambagibus ad duriſſima quæque virtutis exercitia vocantes: urgentéſque, ut omni purè humano tum rerum creatorum, tum etiam ſui ipſius amore abdicato totam ſeſe uni DEO impendat, neque aut quidquam, quo illi magis gratificetur, agere prætermittat; aut in ullo perfectionis gradu, quo ſublimior alius ſit, conquieſcat. Nam profectò amor divinus, niſi plenus, atque integer, & totius animæ Domi-

minus sit, verus dici amor vix potest: nobilissimis certè illis dotibus caret, quarum merito inter cæteras virtutes adeò eminet: neque illos tam singulares fructus producit, quos sacri Doctores illius esse proprios testantur. Quamobrem, quisquis illius studium profitetur, debet sibimet ipsi repetere illa D. Hieronymi ad Paulinum verba, (*Ep. ad Paul.*) *Nihil in te esse mediocre contentus sum, nihil nisi summum, & perfectum volo:* contendens, quantùm potest, cæleste suum objectum quavis re alia impensiùs amare, imò nihil, nisi ipsum, aut propter ipsum amare. quò cùm pervenerit, næ facillimum tunc, & quasi naturale experietur, jucundè cum Deo, instar filii cum patre, & amici cum amico agere: eum ubique ceu præsentem intueri: nullam præter ipsum loquendi, desiderandi, & gaudendi materiam habere: nihil velle, & agere, nisi quod ipsi placet, unóque verbo, esse quasi idem cum ipso. Ac præterea hujus libri materies, quamvis ultimum divini amoris complementum, & fastigium sit, potest tamen illius quoque fundamentum, atque initium vocari: cùm absque hac ille nequeat secundùm ullam suarum partium, nisi valde imperfectè obtineri.

8. Fa-

8. Fateor quidem, perfectionem hìc propoſitam altiorem eſſe, quàm noſtræ præſentis naturæ infirmitas ferat, beatorúmque magìs Cælitûm, quàm mortalium hominum propriam: neque ideo, ceu ſancti Leo, & Bernardus affirmant, poſſe quemquam, dum in terris vivit, quantumcunque nitatur, ſtabilem ſibi, ac perpetuam illius poſſeſſionem acquirere. (*Leo ſerm. 3. de Quadr., Bern. ſerm. de ſub. noſtr. vol.*) Quare vel perfectiſſimi quique inter DEI famulos, una Virgine illius matre excepta, nedum varios interdum hujus, vel illius profani amoris motus ſuo in corde ſenſerunt, verùm etiam humanæ fragilitatis vitio abrepti pluries ab iis ſunt in errores, & lapſus, quos divinus amor damnaret, juxta illud Jobi effatum: (*c. 4.*) *Ecce, qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Addo tamen, non debere nos propterea à pulcherrimi operis ſtudio deterreri: ſed omnes potiùs noſtræ ſedulitatis conatus expromere, ut, ſi perfectiſſimum illum DEI amorem, quo cæleſtes ſpiritus flagrant, à mortali noſtra conditione aſſequi prohibemur, ad eum ſaltèm, quàm proximè fas eſt, accedamus: &, quando non noſtræ opis eſt, terrenos quoſque affectus ſtir-

stirpitus ex animo evellere; eorum certè vim magis semper, magisque infringamus, quoad vix demum sentiantur, nec magis nobis impedimento sint, quò minùs divinæ charitatis imperia promptè, alacritérque exequamur. *Est quodam prodire tenus, si non datur ultra,* (*Hor. Ep. 1. L. 1.*) sapienter scripsit vetus Poëta: neque insipientius fingi quidquam potest, quàm nihil ex bono aliquo velle, quia totum adipisci non licet. Audiatur D. Gregorius Nissenus: *Non tamen*, ait ille, *quia, quod quæritur, exitum non habet, idcirco præceptum illud negligendum est. Perfecti sitis, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Nam, etsi totum consequi nequeas; tamen in rebus omnibus, quæ naturâ suâ bonæ sunt, non parvum lucrum est, vel partem earum consequi. Omne igitur studium, omnem curam, diligentiam denique omnem adhibeamus, nè ab ea perfectione decidamus. ad quam pervenire possibile sit, tantúmque ipsius possideamus, quantum consequi possumus. Ità enim se habere, ut ad ulteriora in bono semper velis ascendere, id ipsum forsan humanæ naturæ perfectio est.* (*De Vit. Moys.*)

9. Certè qui divitias, qui scientiam, qui gloriam persequuntur, vident ipsi quoque, in stadio se currere, ubi nullus apparet finis,

&, quantumcunque optatarum mercium acquiſiverint, plus ſemper ſupereſſe acquirendum: neque tamen ſuam ideo remittunt, ſed intendunt potiùs ſolertiam, quàm læti de præſentibus lucris, tam eorum ſimul avidi; quæ, nisi à labore, ſtudióque per ignaviam ceſſent, ſemper nova poſſunt facere, & facturos ſe ſperant. *Videas eos*, inquit D. Bernardus, *quidquid adepti ſunt, parvi pendere: non attendere, quanto labore ea vix tandem conſequi potuêre. Quoniam vileſcunt eis omnia præ deſiderio majoris fortè rei, quam alteri cœperint invidere.* (*Serm.* 1. *de Altit. Cord.*) Quare ſimili & nos, imò majori cum contentione animi debemus incumbere ad divinæ charitatis ſtudium, habentes continenter præ oculis, quidquid perfectionis in ea aſſequi licet, certíque, non priùs quieſcere à curſu, quàm eò pervenerimus. Tanquam ſi nobis quoque poſt quoſvis progreſſus repeterentur eæ voces, quas magnus Simeon Stylites ſub ſanctioris vitæ exordium inſonare ſuis auribus ſenſit. (*Ribad. in Vit.*) Quando ſcilicet viſus ſibi eſt, in fundamento effodiendo occupari, eóque jam effoſſo, neſcio, quem præcipientem audire, ut cum ligone profundius deſcenderet. Quod cùm feciſſet, quantum ar-

arbitrabatur sat esse; non satìs, non satìs est, inclamari rursus sibi audiit: perge altiùs emoliri humum: idque pluribus aliis vicibus factum est: non omittente sive ipso imperatum opus repetere, sive insatiabili illo exactore suum: *perge ulteriùs, non satìs est*, iterare. Rectè Laurentius Justinianus: *Verus amor uno gradu contentus non est: ad altiora semper nititur, & ad perfectiora indesinenter concupiscit attingere. Quas habet, non magni pendit divitias, proficiendi accensus desiderio,* (*De Cast. Con. c.* 2.) Et D. Joannes Climacus, cùm interrogâsset: (*Grad.* 1.) *Quis est fidelis, & prudens Monachus?* respondet confestim: *Qui in dies usque ad finem vitæ ignem igni adjicere, fervorem fervori, desiderium desiderio, & studium studio nunquam desiit.* Qualem inter alios fuisse B. Fulgentium nominatim accepimus: utpote qui, *parùm putans omne, quod faciebat, de die in diem fieri melior gestiebat.* (*Sur. in Vit.*)

10. Neque mihi quisquam objiciat, quandoquidem perfecta divini amoris integritas sinè admodum singulari privilegio obtineri à mortalibus nequeat, non apparere, qua ratione, & prudentiâ affectare hi illam possint. Nam, si præter rationem esset illam à nobis

quæri; parùm quoque rationi consentaneum fuisset, eandem à DEO nobis proponi. Quod ille tamen fecit, exigens universè ab hominibus, ut se diligant, non quocunque modo, sed *ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima & ex omnibus viribus suis.* Respondetur itaque, duobus modis posse à nobis bonum aliquod affectari, quod nostram capacitatem excedat: nimirum vel ità, ut illud nos penitùs comprehensuros putemus, vel ità, ut propositum solummodo habeamus plùs aliquid semper de illo adipisci. Ex quibus, licèt prior malesani hominis foret; alter tamen dubitari non potest, quin providentissimus sit: unúsque, & verus ille est, quo à nobis requiritur, ut omnimodam divini amoris perfectionem sectemur. Ità planè, subjicit D. Augustinus: jubemur, non utique ad gradum tam sublimem pertingere, cùm id præsentis vitæ nostræ status haud ferat; sed conniti duntaxat, ut ad eam sublimitatem propiùs semper, propiúsque accedamus, quod nemini seriò volenti per divinæ gratiæ auxilia non licet. (*S. Aug. ap. D. Th. de Char. a.* 10. *ad* 1.) *Indicatur nobis per hoc, non quid faciendum, sed potiùs, quò tendendum sit.* Quemadmodum etiam Plato in sua delineanda Re-

publi-

publica fatetur, vix posse contingere, ut talis politiæ species secundùm omnia sua lineamenta in rebus humanis existat: sed subdit, non inutile ideo existimari posse, quòd ipse illius simulacrum adumbret: utpote pro exemplari futurum, ad quod civitates, ut perfectæ sint, quantùm fieri potest, conformare se debeant. (*L 5. de Leg.*)

II. En igitur, quorsum valeat, divinæ charitatis perfectionem nobis proponi, qualem, & quantam omnino assequi nullis nostris conatibus possumus. Eò valet, ut, quemadmodum illius acquisitio nullos habet limites, ultra quos progredi semper ampliùs nequeat; sic neque ullum statuamus nos limitem nostris eam semper majorem acquirendi desideriis, & studiis: sed D. Bernardo, & Regio Prophetæ auscultantes, quorum alter definit, (*De Dilig. Deo.*) *Modum diligendi* DEUM *esse, diligere sinè modo*; alter verò proprium esse ait timentis DEUM (& quantò veriùs amantis?) *in mandatis ejus velle nimis*; (*Ps. III.*) altiùs collinemus affectibus, quàm quò pervenire effectibus possumus. Præsertim quòd, juxta Propertium, res eximias non felici solùm exitu absolvere, sed forti quoque animo aggredi, laudi tribuitur.

Quòd si deficiant vires, audacia certè laus erit. In magnis & voluisse sat est. Nec alioqui perfectiùs à mortalibus exerceri amor divinus potest, quàm si nulla in eo certa perfectione contenti sint, sed assiduis, & inexplebilibus studiis progredi semper ulteriùs nitantur. Unde illud est D. Prosperi effatum, (*Ap. S. Bonav. de Itin. Ætern. It. 4.*) *Indefessum proficiendi studium, & jugis ad perfectionem conatus perfectio reputatur* : comprobatum à D. Laurentio Justiniano, ubi scripsit : (*In Lign. Vit. de Char. c. 14.*) *Magna pars profectûs est, velle proficere : & in eo perfectiorem se quisque probat, quò ad majorem tendit perfectionem.* Nimiùm quàm refert, tum ad magni cujusque operis, tum ad hujus longè maximi effectum exaggerato illud animo aggredi, cúmque certa voluntate, in nullo consistendi gradu, qui inferior sit summo. *Nequeo satis mirari* scribit S. Teresia, *quantùm in itinere hoc proficit, magna spectare, & audere.* (*In Rel. Vit. c. 13.*) Quem suum sensum alibi etiam, de orationis studio agens, disertiùs, ac significantiùs sic exprimit. (*In Itin. Perf. c. 21.*) *Dico, multum in eo esse, imò totum, ut ad rem hanc firmum deliberatúmque afferamus propositum, nunquam cessandi, quoad illa potiti demum fuerimus.* Ac

cidat, quidquid poteſt accidere: deſudetur, quantumcunque eſt, laboris: obloquatur, quiſquis voluerit: ſive illò pervenire contingat, ſive medio in curſu vitâ deficiat, ſive peſſumeat mundus. Cujus generoſitatis exemplum illuſtre eſſe poteſt B. Catharina Genuenſis, uſque adeò interrita, & alacris ad aggrediendum, quidquid operis videret gratum DEO eſſe, & ad incrementum ſanctiſſimi illius amoris conferre; ut quædam ejus familiaris dictitaret, Catharinulam deſperatorum more ad perfectionem graſſari, neutiquam reputantem, quanto dein pudori futurum ſibi eſſet, à curſu improvidè, & ſupra vires ſuſcepto, retrorſum averti. Cùm Catharina è contrario magìs miraretur, quòd ipſa non auderet, DEO ſeſe totam protinus dedere, & omnia uno ictu terrenorum affectuũ retinacula abſcindere: ſed præ inani formidine reſiliendi à perfectionis ſtudio ſemper pergeret timido, & ſuſpenſo pede illius vadum tentare. (*In Vit. c. 45.*)

12. Ah! ubi in nobis eſt indefeſſa Pyrrhi Epirotarum Regis ſtrenuitas: qui *alias ex aliis ſpes ſemper involvens, & ſucceſſibus quidem ad alia capeſſenda elatus, quæ autem adverſa eveperant, aliis emendare cupiens, nec victor, nec vi-*

victus quietem pati sciebat? (*Plut. in Vit.*) Ubi ardor Julii Cæsaris: qui, *nîl actum credens, dum quid supereſſet agendum: & res feliciter geſtas non pro materia quietis, ſed pro incitamento ad majora gerenda habens, ſibi ipſi, tanquam alteri, aſſiduè æmulabatur, & novis operibus priora ſuperare certabat?* (*Luc. L. 2. & Plut. in Vit.*) Erubeſcamus, quòd hi antiquitatis Heroës magis inexplebili animo hominum gloriam quæſierint, quàm à nobis DEI amor quæratur: & ſaltèm ab eorum exemplis diſcamus, in tam immenſæ rei quæſitu modicum exiſtimare, quidquid toto ſit minus. *Utinam fratres*, ait S. Bernardus, *nos ſic eſſemus cupidi gratiæ ſpiritualis, quemadmodum ſæculares homines pecuniæ temporalis. Debemus certè, & multò debemus vincere in bono malum, & tantò amplius deſiderare, quantò pretioſius eſt, quod deſideratur. Sed utinam vel æquales eſſe poſſimus. Magna enim confuſio, magna valde, quòd ardentiùs illi pernicioſa deſiderant, quàm nos utilia. Citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam.* (*Serm. 1. de Altit. Cord.*)

)(o)(

CA-

CAPUT II.

DEUM esse à nobis amandum plus omnibus aliis rebus, plúsque etiam, quàm nos ipsos amemus.

SI in omnibus necessarium, & magni esse momenti rectum ordinem ducimus, maximè talem ducere in amando debemus. Si enim hic deesset, omnes simul virtutes in hominum vita deficerent: utpote quæ, D. Augustini sententia nihil aliud sunt, quàm amor rectè ordinatus. (*L. 15. de Civ. c. 22.*) *Definitio brevis, & vera virtutis, ordo est amoris.* Jam verò, ut rite ordinatus sit amor, debet justè distribui; adeò ut, quemadmodum ejus objecta non paris omnia meriti sunt, sed alia aliis amabiliora; sic neque omnia æqualiter, sed alia plùs, alia minùs amentur. Quapropter, cùm DEI amabilitas immenso intervallo cujusvis alterius rei amabilitatem excedat; consequens enimverò est, illius quoque amorem debere quibuscunque aliarum rerum amoribus eodem intervallo antestare: nec propterea ullum esse in terris tam nobis charum,

rum, & amabile objectum, quin illud præ DEO minimi faciamus, & parati simus deserere: exclamantes, ubi fortè eorum quodpiam ipsi vellet præhaberi: *Quis ùt DEUS? Quis ùt DEUS?* Heus! quid hoc temeritatis, impudentiæque est? Itáne igitur aliquem esse, qui audeat cum Altissimo, cum summo, cum incomparabili in contentionem venire? Vivat DEUS, regnet DEUS, cedat DEO, quidquid est, si tamen quidquam verè est, præter DEUM.

2. Utque manifestiùs agnoscatur, quàm deceat, divinum ità amorem quibuslibet aliis præferri; consideremus paulisper, quænam sint objecta amari à nobis præter Deum solita. Triplex esse illorum genus videbimus: & primò sumus quidem nos ipsi, quibus nihil inter res creatas habemus intimius, quódque plùs à nobis amari sui gratiâ consueverit. Sequuntur personæ, quas itèm, ceu nos, haud aliâ, quàm sui gratiâ, vel ob præclaras earum dotes, vel propter aliquam nobiscum affinitatem, vel ob gratuitam erga nos beneficentiam diligimus. Succedunt postremò res, & personæ, quas nequaquam per se ipsas, suíque causâ, sed quatenus solummodo nobis, aliísque personis sui causâ ada-

adamatis utiles ſunt, ſolemus diligere, ceu exempli gratiâ, opes, voluptates, doctrinæ, honorum inſignia. Quodnam ergo inter omnia hujuſmodi objecta unum eſt, cui DEUS non mereatur, quantùm ad æſtimationem, atque amorem, ſinè ulla comparatione anteferri?

3. Non eſſe illa ultimi generis, bona ſcilicet ſolius utilitatis reſpectu amabilia, tam extra omnem controverſiam eſt, quàm certò conſtat, nihil proportionis reperiri inter fructum, quem ex eorum omnium complexione, intérque eum, quem ex DEO ſummo bono, & ultimo noſtro fine percipimus. Fac enim, conſequatur quiſpiam, quantum in terris obtineri poteſt, voluptatum, divitiarum, gloriæ, potentiæ: poterítne, rogo, ex bonis adeò imperfectis, atque evanidis vel umbram referre ineffabilis illius felicitatis, quam DEUS ſuis in cælo poſſeſſoribus confert? reddens illos plenè beatos, tum quod ſpectat ad corpus, per omnimodam indolentiam, per jucundiſſimam ſenſuum expletionem, pérque alias ſupra modum mirabiles roboris, agilitatis, & decoris prærogativas; tum, quod ad animum pertinet, per claram viſionem incomprehenſibilis ſuæ

pul-

pulchritudinis, pérque largiſſimam participationem infiniti ſui gaudii: neque id ad certi alicujus temporis ſpatium, ſed per totam, quantacunque eſt, æternitatem, ſinè ullo timore, nè unquam, non dico, defectura, ſed vel minimi quidquam detrimenti ſenſura ſit perfectiſſima eorum beatitas? Certè nemo non videt, tantùm hanc partem alteri antecellere, ut injurioſum ei eſſet, cum illa in comparationem vocari. Quamobrem, ſi non alia de cauſa divitias, honores, ſenſuúmque oblectationes amamus; nisì propter fructum, qui indè percipi ſolet; quidni tantò impenſiùs bonis his omnibus DEUM amandum putemus; quantò ampliorem perfectionis, & jucunditatis fructum nobis provenire ex eo uno, quàm ex iis omnibus ſimul coacervatis fatemur? Aut, ſi ipſum plùs iis omnibus amandum putamus, quidni parati eſſe debeamus ad ea omnia, quoties obtineri unà cum ipſo nequeunt, præ ipſo abdicanda? Quiſnam voluptatis amator non eam mavult ibi quærere, unde uberior, quàm ibi, unde parcior promanat? Aut ubinam cernere avarum contigit, qui majoribus lucris minora anteferret? Amentur ergo, ſi ità libet, bona creata, ſed non plus ſummo bo-

bono. Quærantur, sed nunquam cum summi boni dispendio. Possideantur, sed non adeò tenaciter, ut, si quando vel ipsis, vel summo bono carendum fuerit; eligamus pro ipsorum conservatione, hujus jacturam facere. Alioquin, secundùm verissimam D. Augustini conclusionem, res creatas plùs earum Conditore, hoc est minùs nostrum bonum plùs maximo diligentes, arguemur non DEUM modò, sed & nos ipsos minùs justo diligere. *Quid eligamus*, ità S. Doctor, *quod præcipuè diligamus, nisi quo nil melius invenimus? Hic est DEUS. Cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus.* (*Ep.* 52.)

4. Non tamen me fugit, quonam pacto excusare hìc quispiam se possit de suo remissiori erga DEUM, quàm erga res creatas, amore, quoties harum aliquâ fruiturus contra legem, voluntatémque illius agit. Dicet nempe, illum præsentis boni gustum divinæ legi contrarium, cùm vel gravi culpa vacet, vel expiari illico per pœnitentiam possit, non habere vim hominis DEO æternùm privandi: neque se ideo, dum creato illo bono fruitur, plùs illud, quàm sempiternam, & beatam DEI possessionem, verùm plùs tolum-

lummodo, quàm divinæ gratiæ ſeu tempo-
rariam conſervationem, ſeu aliquod incre-
mentum diligere. Sed prædicta excuſatio
nullius momenti eſt ad imprudentiæ, per-
verſique ordinis culpam ab amore illius de-
pellendam. DEUS quippe, non ſolùm,
prout in cælo per beatam ſui viſionem poſſi-
detur, ſed prout etiam in terris per ſuam gra-
tiam nobiſcum conjungitur; bonum homi-
nis eſt, quibuslibet aliis, quæ in præſenti vita
expeti, & poſſideri ab eo poſſunt, ſinè ulla
comparatione excellentius. Quare, qui ex
terreni alicujus boni amore divinam grati-
am vel ad tempus repudiat, dubitari non po-
teſt, quin, quamdiu illo bono cum ipſa inſo-
ciabili pergit frui, minùs ſuum bonum ma-
jori plùs amet. Præterquam quod certiſſi-
mum eſt, quoties homo, ut obſequatur Deo,
præſenti aliquo bono ſe abdicat, toties no-
vum ab eo ulterioris in cælo beatitudinis
gradum acquiri: certiſſimúmque itèm eſt,
novum illum beatitudinis gradum ratione
tum ſummi boni, quod indè augetur, tum
infiniti temporis, quo ejus acceſſio prorога-
tur, ſupra quàm dici poſſit, caduco illo bo-
no præſtare, per cujus abdicationem acqui-
ritur: adeò ut S. Tereſia poſt conſpectam
di-

divinitus cæleſtis gloriæ immenſitatem profeſſa ſit, ſi optio ſibi daretur, vel tolerandi uſque ad mundi exitum, quidquid tolerari ærumnarum in terris poteſt, atque hoc pacto majorem tantillò beatitudinem in cælo aſſequendi; vel confeſtim evolandi ad eam poſſidendam, ſed pauxillò minorem; primam ſe partem ultro, & ſinè ulla dubitatione electuram. Quamobrem, qui aliquo præſentis vitæ bono frui mavult, quàm illius abſtinentiâ incrementum ſibi æternæ beatitudinis promereri; næ is electione ſtultiſſima minimum bonum maximo ſuo bono anteponit: ac proinde, cùm ex quovis divini obſequii, & amoris actu longè amplior percipiatur fructus, quàm ex poſſeſſione, & uſura terreni cujuslibet boni; manifeſtum jam remanet, debere nos, ſi rectum in amando ſervare ordinem volumus, divinum amorem, atque obſequium terreno cuivis bono anteferre.

5. Adde, quòd DEUS diligi à nobis debet, non eo ſolùm amore, qui concupiſcentiæ dicitur, prout videlicet bonum eſt poſſidenti maximè utile; verùm etiam, multóque magis amore, quo amici diliguntur, nimirum prout eſt ſummè bonus, & infinitè per

per se ipsum amabilis. Unde nova oritur ratio, cur plùs ipsum quovis bono utili diligamus, nihil dubitantes horum cuilibet, quandocunque ipsius amicitiæ usus sic poscit, nuntium remittere. Amicus siquidem, juxta dictum commune, est *alter ego*, & veluti unum quid, atque idem nobiscum. Quare, ceu nos ipsos plùs quolibet bonorum nobis utilium diligimus, sic DEUM quoque, si instar amici, hoc est, quasi unum quid nobiscum intueamur; plùs omnibus hisce bonis diligamus, necesse est: adeò ut nullum ex iis sit, quo in ejus gratiam parati non simus carere. Nec aliter profectò consueverunt se homines gerere vel erga mortales amicos, quorum causâ nullum charum adeò bonum est, quin eo plures ultro se exuerint. Exemplo sit, quantùm ad gloriam, Joabus, copiarum Davidis ductor: adeò Regis sui, quàm honoris amantior, ut cùm expugnaturus jamjam esset urbem Rabbat, eum misso nuntio ad ultimam imponendam obsidioni manum, captæque urbis laudem eo pacto sibi asserendam, in castra invitaverit: *Nè*, inquiens, *cùm à me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria.* (L. 2. Reg. c. 12.) Exemplo, quantùm ad vitæ commoditates, Hy-

Hypsicratea Mithridatis uxor : (*Val. Max. L. 4. c. 6.*) quæ ex viri amore delicias sui sexûs oblita, non timuit illius ceu bellantis, seu fugientis lateri, perpetuâ in equo comes, omniumque periculorum, & ærumnarum socia adhærere. Exemplo, quantùm ad rem familiarem, Agathocles ille, qui, ùt refert Lucianus, (*In Tox.*) ad amici Diniæ paupertatem levandam, nîl dubitavit vel paternam domum venumdare. Exemplo, quantùm ad libertatem, Dandamis Scytha, qui, eodem Luciano teste, (*ibid.*) ut amicum à captivitate redimeret, in illius vincula volens libens succedaneum se obtulit. Exemplo, quantùm ad ipsammet vitam, Drimachus latronum Princeps, qui, cùm rescîsset, amplam mercedem se interficienti esse propositam; charum inprimis sodalem induxit, ut sibi caput præcideret, magistratibus pro pacta pecunia exhibendum : tanti habens cruentam mortem oppetere, dum illius pretio amicum ditaret. (*Athen. L. 6.*) Si ergo hi, quos recensui, plùs quavis sua utilitate dominos dilexêre, atque amicos mortales, ultroneam eorum respectu facientes quorumvis bonorum jacturam; conjectare hinc fas est, quantò æquiùs idem faciendum à nobis sit,

immortalis noſtri amici, & Domini gratiâ; à cujus gratuita erga nos charitate, & munificentia profluxit, quidquid poſſidemus bonorum: quippe incomparabiliter plùs diligi à nobis meretur, quàm perſona ulla mortalis, quantumcunque ſive ob egregias ſuas dotes, ſive ob congeſta in nos beneficia, ſive ob naturalem nobiſcum conjunctionem amabilis: prout & ſecundo loco affirmavi, & demonſtrare jam aggredior.

6. Neque ad id præſtandum aliis opus mihi eſt argumentis, niſi ut breviſſimè innuam, quantò ipſi excellentiùs unumquodque ex prædictis tribus nominibus, quàm ulli mortalium conveniat. Nam, ſive naturalis neceſſitudo attendatur; & palàm apparet, ſicut à nullo ente creato penitiùs, quàm à DEO, tum in prima noſtri productione, tum in perpetua deinceps conſervatione pendemus; ſic neque cum ullo alio arctiori nos, quàm cum ipſo naturæ nexu conjungi: ſive grati animi, mutuíque amoris obligatio ex acceptis beneficiis contracta obſervetur; & quis tot hominum, támque eximia munificæ charitatis pignora exhibuit, quin ulteriùs ſinè ulla comparatione progreſſa ſit in benemerendo de nobis infinita DEI bonitas? ſive de-

demum singularia naturæ, personæve attendantur decora; & quotusquisque meridiana luce clariùs non videt, quàm immenso intervallo, non cujuslibet modò entis creati, sed & quotquot vel creata sunt, vel creari possunt, entium decora ab omnifaria increati, supremique entis perfectione excedantur. Quocirca, si ideo hanc, vel illam personam amamus, quia aliquem ex commemoratis tribus titulis in ea deprehendimus, tantóque amamus magis, quantò illam major eorundem seu numerus, seu præstantia commendat; quidni tantò earum qualibet DEUM amare ampliùs debebimus, quantò excellentiori ratione omnes ii tituli in ipso concurrunt? Debebimus sanè: profitentes idcirco de hominum quolibet ad DEUM comparato, quod de Socrate, & Platone ad veritatem comparatis, profitebatur Stagirites Philosophus, (*Vid. L. 1. Eth. c. 6.*) *Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica Veritas.* Adeò ut nemo sit, seu tam arcto sanguinis nexu nobis conjunctus, seu tam præclarè de nobis meritus, seu tam eximiis ornatus dotibus, seu tam longo, intimóque usu familiaris, cujus gratiæ, & voluntati dubitemus divinam præferre: & cum quo divortium re-

nuamus facere, nè à DEO ſeparemur. Haud quaquam ejus exemplo, qui invitatus à Chriſto, ut ſibi adhæreret, ſepeliendi patris curam antiquiorem habuit, reſpondens, (*Luc. 9.*) *Permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum*: cùm deberet advertere, quod Chryſologus poſtea monuit, (*Serm. 19.*) *Terrenum patrem cæleſti poſtponendum eſſe Patri*; ſed potiùs eorum in deſerto Levitarum ſimiles, qui, cùm divinæ gloriæ cauſa ageretur, (*Deuter. 33.*) *Dixerunt patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos*: digni enim verò Abrahæ nepotes, qui Iſaacum ad montem ducens, ubi immolandus DEI juſſu erat, quamvis ab eo nuncupari patrem ſe audiret, eúmque viciſſim appellaret filium; non tamen vacillabat in propoſito divini circa ipſum exequendi præcepti: *nec paterni nominis appellatione revocatur*, ceu de illo ſcripſit D. Ambroſius, *cùm ille patrem vocaret, hic filium. Chara quidem nominum pignora, ſed amabiliora præcepta. Itaque, licèt compaterentur corda, vota durabant.* (*Or. de fide Reſur.*) Quia videlicet, ſecundùm epiphonema ejuſdem ſancti Doctoris, *præferenda eſt religio neceſſitudini, pietas propinquitati.* Neque magnum quid videri poteſt

si homo personas sibi maximè charas honori divino sacrificet, postquam DEUS hominis gratiâ ipsammet morti obtulit unigeniti, & consubstantialis sui Filii personam: *proprio Filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (*Ad Rom. 8.*)

7. Reliquum est ad perfectum amoris ordinem, ut DEUM non modò supra omnes tum res nobis utiles, tum personas nobis charas, verùm supra etiam nos ipsos amemus. Et paucæ fors nobis, aut obscuræ, exiguíque ponderis causæ adsunt, talem ipsi locum in nostra voluntate assignandi? Prima ducitur ex ipsius bonitate, & perfectione, quæ, sicut omnem aliam infinitè excedit, ità procul dubio meretur, ut eum infinitò plùs aliis rebus omnibus, quæ à nobis distinctæ sunt, diligamus. Cùm enim par sit, ut eum infinitò plùs amemus, quàm quidquid rerum creatarum à nobis distinguitur; non autem par sit, ut nos ipsos, nisi finitè plùs aliis rebus creatis amemus; evidenter hinc sequitur, par esse, ut eum plùs nobis amemus. Quemadmodum ex eo, quòd pinus magis, quàm ulmus altitudinem coryli exuperat; necessariò unusquisque arguat, majorem pini esse, quàm ulmi altitudinem.

Quod ex duobus magis excedit tertium, majus est altero. Neque ad idem evincendum minùs valet jus illud, quod fini cuilibet naturaliter convenit; ut in amando instrumentis suis præferatur, tanquam iis, quæ omnem ab ipso amabilitatem suam ducunt; ac proinde, si prædita sensu essent, juxtáque rationem operari vellent, non tam sui, quàm finis gratiâ, & consequenter illo minùs se amare deberent. Cui certissimæ veritati si adjungamus, non habere hominem, imò nec habere posse pro ultimo fine absoluto se ipsum; sed necessariò Conditoris sui gratiâ esse, tanquam divinæ ipsius gloriæ instrumentum; colligemus procul dubio, debere illum non tam sui, quàm DEI gratiâ, nec unquam nisi DEO minùs se amare. Accedit præterea, quòd DEUS non est aliquid sejunctum à nobis, sed potissimum verius, intimúmque esse nostrum: nempe illud esse primarium, in quo unusquisque magis, quàm in semet ipso subsistit, & à quo magis, quàm ab ipsamet anima habet, quòd vivat. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Et ipse est esse rebus, vitâ viventium, essentia entium, omnis principii superoriginale principium*, ceu à Doctore Gentium Paulo, & Dionysio Areopagita illius dis-

discipulo traditur. (*Act. Ap. c. 17. de Div. Nom. c. 1. & 5. & de cæl. Hier. c. 5.*) Quemadmodum igitur unusquisque creatum suum esse sic amat, ut magis præcipuas, & necessarias illius partes minus talibus chariores habeat, plus animam exempli gratiâ amans, quàm corpus, plúsque in ipso corpore cor, & caput, quàm pedes; haud aliter unusquisque etiam principem suam in DEO subsistentiam, & vitam amare plus debet, secundaria, & inferiori alia, per quam in se ipso subsistit, ac vivit: hoc est plus amare increatum, & universale omnium, quæ sunt, quàm creatum, & peculiare suum esse. Denique nemo inficiari potest, beatos cæli Cives à præcipua DEI visione ad eum, & quidem necessariò plus se ipsis amandum impelli. Ergo neque inficiari quisquam potest, inesse DEO meritum, ut eò usque ametur: ac proinde necessarium omnino esse, ut, quisquis respondere illius meritis vult, plus se ipso illum amet. Licet quippe ratiocinari in hunc modum: Circa cujuslibet rei qualitates illorum potius judicio stare oportet, qui magis, quàm qui minus idonei ad pernoscendas eas sunt, circa colores exempli gratiâ bene oculati, quàm lusci homines, & circa sapores sani, quàm

ægroti judicio. Jam verò certissimum est, beatos Cælites, qui DEUM palàm in ipsame essentia sua vident, meliùs comparatos esse ad judicandum de nativa ipsius amabilitate, quàm nos mortales, qui eum nunquam nisi in obscurissimis ænigmatibus, & simulacris, à propria illius specie alienissimis vidimus. Cùm ergo cælestes illi spiritus experiantur, ac sentiant, longè quavis re alia, nè se ipsis quidem exceptis, amabiliorem, magísque amandum eum esse; planissimè sequitur, idem prorsus sentiendum nobis quoque esse, si legitimè volumus, & secundùm rectam rationem sentire.

8. His tamen rationibus nonnulli non acquiescunt, objicientes, nimiùm quàm sibi durum, & captu arduum videri, quonam modo possit quispiam aliud quid se impensiùs amare. Cùm amor nostri sit ea animi affectio, quam nobis ab ipso statim exortu primam, & omni alia vehementiorem natura indidit. Unde ab ipso, tanquam ab universali exemplo, atque regula modum, rationémque amandi alia desumimus. Atque ita se sentire ostendit Orator Romanus, dum scribit: (*L. 2. Qu. Tuscul.*) *Præclarum illud est, & , si quæris, rectum quoque, & verum, ut*

eos

eos, qui nobis chariſſimi eſſe debent, æquè ac noſmet ipſos amemus. Ut verò plùs, fieri nullo pacto poteſt. Nè optandum quidem eſt in amicitia, ut me ille plùs, quàm ſe amet, ego illum plùs, quàm me. Perturbatio vitæ, ſi ità ſit, atque officiorum omnium conſequatur. Nec diverſa Ariſtotelis fuiſſe opinio videtur in nono Ethicorum libro, dicentis: (*c.* 8.) *Omnia, quibus amicus definitur, unicuique erga ſe ipſum maximè inſunt. Dictum ſiquidem eſt, omnia, quæ ad amicitiam pertinent, à ſe ipſo ad alios devenire. Proverbia itèm conſentiunt: ut una anima; & amicorum omnia communia: & amicitia æqualitas: & tibia genu propinquius. Omnia enim hæc unicuique erga ſe ipſum maximè inſunt: quippe cùm amicus maximè ſibi ipſi ſit.* His ergo ut ſatisfaciam, moneo illos primùm, multa inexpertis, neque altiùs rem examinantibus incredibilia videri, quæ, ſi eorum vel periculum facias, vel rationes perpendas, haud magno negotio intelliges. Si itaque ipſi haud percipiunt, quî homo poſſit DEUM ſe ipſo impenſiùs amare; conentur amorem concipere, qualis, & quantus flagrare in ſanctorum virorum cordibus ſolet; ídque non ſolùm fieri poſſe agnoſcent, ſed à ſe ipſis etiam revera fieri percipient: examinent, quas

modò attulimus, rei rationes, eámque, si non ità dilucidè, ut, qui experiendo sentiunt, tanta saltèm cum alacritate intelligent, quanta ad credendam, fatendámque illius possibilitatem sufficiat. Ego quidem nedum nihil difficultatis in hujusmodi erga DEUM amore dep ehendo; sed minimè etiam video, qui eodem aliquis possit vel mortalem aliam personam diligere: adeò ut nihil æquè optet, ac eam lætam, & felicem videre: quæ illi accidunt infortunia, ægriùs, quàm si eadem sibi acciderent, ferat: de illius bona valetudine, glòria, commodis, lucris, aliísque successibus magis, quàm de suis ejusdem generis prosperitatibus gaudeat: nulloque non bonorum, quæ possidet, paratus sit ultro illi cedere, & consequenter plùs se ipso illam diligat.

9. Nego deinde, amorem nostri esse inter cæteros quosque amores præcipuum, & ad quem validissimo nisu à natura urgeamur: quin contra cum Doctore Angelico affirmo, (*Vid. 1. p. qu. 60. a. 5. & 1. 2. qu. 109. a. 3.*) animam hominis non solùm ab infuso divinitus charitatis habitu, sed ab ipso quoque ipsi innato appetitu ad DEUM plùs se ipsa amandum impelli. Cùm & appetitus ratio-

na-

nalis ad ea omnia propendeat, quæ ratio naturalis ipsi approbat; & hæc, ùt paulò ante ostendimus, disertissimis intrà animum vocibus clamet, DEUM esse ab unoquoque hominum plùs omni re alia, imò etiam plùs ipso se amandum. Unde Suarius docet, (*De Char. Disp.* 1. *Sect.* 5. *n.* 4.) si primævæ status justitiæ etiamnum permaneret, facillimum, suavissimúmque hominibus fore, DEUM sibi in amando anteferre, uti facillimè, suavissiméque quibuslibet aliis rebus creatis se ipsos anteferunt. Quòd si in statu præsenti vehementiores ad nostri, quàm ad DEI amorem experimur animi instinctus; unum id, & nocentissimum quidem vitiorum est, quæ ex primi parentis culpa in nostram naturam fluxerunt; sed vitium, quod instar aliorum ejusdem culpæ effectuum, divina opitulante gratia, corrigi potest: ùt illud correctum videmus fuisse à tot sanctissimis viris, in quorum animo sui amor non modò non obtinebat principatum, sed vix videbatur supersesse, usque adeò DEI amor omnem penè illius vim, atque sensum extinxerat.

10. Quod denique ad prolata ex adversò veterum Sapientum testimonia attinet, respondeo, eos esse ibi locutos de amore nostri,

ſtri, quando is in contentionem venit cum amore non quidem ſummi entis, ſed amicorum duntaxat mortalium. Patet id, quantùm ad Ciceronem, ex ratione, qua probat, nemini amicum plùs ſe ipſo eſſe amandum, quia ſcilicet *perturbatio vitæ, ſi ità ſit, atque officiorum omnium conſequatur.* Cùm manifeſtum ſit, perturbationem hujuſmodi nullo pacto conſequi, vel timeri ex eo poſſe, quòd homines DEUM ſe ipſis plùs ament. Nec de Ariſtotele ſecùs exiſtimandum, ſi perpendatur, quod alibi docuit: nimirum debere unumquemque civium intueri ſe ipſum, non quaſi rem ſuam, ſed quaſi partem Reipublicæ: quod perinde eſt, ac debere impenſiori cura, & charitate affici erga Rempublicam, quàm erga ſe ipſum; cùm, ut ibi protinus ſubditur, cura, & amor cujuslibet partis ad curam, & amorem totius dirigi debeat. En Philoſophi verba: (*L. 8. Polit. c. 1.*) *Non debet quiſque civis ſe ſuum exiſtimare, ſed civitatis. Particula quippe civitatis unuſquiſque eſt. Cura verò ſingularum particularum reſpicere nata eſt ad curam totius.* Sed minimi profectò intereſt, quæ utriuſque ibi mens fuerit. In quocunque ſenſu locuti ſunt, nullius hic momenti eorum authoritas eſt: utpote hominum

num, qui veræ fidei expertes minùs de divinis rebus cognoverunt, quàm noſtrates pueri, ac mulierculæ noverint. Cui tam exiguæ circa DEUM intelligentiæ majus etiam amoris erga eundem frigus reſpondit: luculenter ſe prodens tum in eorum vita, terrenis uſquequaque curis dedita, tum in libris, ubi nè minima quidem mentio, aut ſcintilla ſacri illius ignis occurrit. Adeò ut Ariſtoteles in ſecundo magnorum Moralium pro abſurda re habeat, quòd aliquis profiteatur Deum à ſe amari. negans, ideo veram reperiri poſſe inter DEUM, hominéſque amicitiam. Nam, prout ibi ait, (*c.* 12.) *Amicitiam ibi eſſe dicimus, ubi amor reciprocus. At amicitia erga* DEUM *neutiquam reciprocum, & nè amare quidem ſuſcipit. Alienum quippe fuerit, ſi quiſpiam dixerit, Jovem amare.* Et hujuſmodi authoribus præbendas nos aures putabimus, penſíque faciendum, quid de amore illo ſenſerint, cujus ſacram artem nè à primo quidem limine ſalutârunt? Valeant enim verò cum ſuis ex humana Philoſophia hauſtis dogmatibus: & nobis, qui *habemus firmiorem propheticum ſermonem*, concludendum relinquant, ſi homines vehementiori inſtinctu ad ſe ipſos, quàm ad DEUM amandum urgentur; mora-

morbum hunc esse ab hæreditaria Adami noxa in ipsis productum. Quo tamen nequidquam obsistente, naturalis ratio clara voce testatur, non sui, sed DEI amorem illum esse, cui dominatus in hominis voluntate conveniat: quique instar primariæ, & universalis regulæ modum, rationem, ac mensuram præscribere quibuscunque aliis rerum creatarum amoribus debeat.

CAPUT III.

In quo posita sit, & quanta esse debeat exuperatio amoris erga DEUM præ amore erga nos ipsos. Tres proponuntur illius gradus: deque primo agitur, qui est, quovis bono spoliari, & quidvis malorum pati citiùs velle, quàm DEUM gravi culpa offendere.

DUo sunt modi, quibus unum quidpiam plùs amari altero potest: vel scilicet secundùm affectionis vehementiam, ùt quando incitatiori, & magìs sensibili motu in illud, quàm in alterum, tendit voluntas, vel se-

ſecundùm æſtimationis vim, ut cùm data optione unum præ altero eligitur. Qui modi, utì inter ſe differunt, differentibúſque è cauſis proveniunt, ità non ſemper in ejuſdem objecti amore ſimul, paritérque concurrunt: ſed non rarò contingit, ut aliquid minori in æſtimatione habitum ſuaviùs, flagrantiúſque ametur; vel contrà vehementiori cum amoris ſenſu dilectum in electione alteri poſthabeatur. Sic inter duos filios, alterum puſionem venuſti oris, feſtivæque, & amœnæ indolis; alterum juvenem, non vulgaribus naturæ ornamentis, præſidiiſque ad res gerendas inſtructum, ſi amoris menſura ab affectu petatur; primus patri eſſe charior videbitur; cùm ille plus delectationis ex præſentia ejus capiat, blandiùs ei arrideat, ſuáſque omnes in eo habeat delicias. At ſi contrà æſtimatio attendatur, quivis facilè dixerit, ſolido, & efficaci hoc amore ſecundum plùs diligi; cùm eum pater reſpiciat, velut præcipuum ſuarum fortunarum, ac domûs ſuæ fulcimentum: nec dubitaturus ſit, ſi ità res ferret, alterius jacturam pro incolumitate, & conſervatione illius facere. Jam utroque ex his modis DEUM amare plùs nobis debemus: amare plùs nobis eorum primo: ità ut majori cum intenſio-

sione exerceamus erga illum, quàm erga nos, interiores actus gaudii, desiderii, & quorumcunque aliorum affectuum, qui concipi ab amantibus solent: & amare item plùs nobis secundo: adeò ut, quotiescunque occasio se dederit, illius voluntatem, & gloriam quibuslibet nostrarum rerum utilitatibus præferamus. Sed circa primum nil opus est me hic diutiùs hærere, cùm in præcedenti libro, cujus materia affectiones amoris propriæ erant, de illo sat egerim: ostendens, quantò vehementiùs erga DEUM, quàm erga nos, & quæcunque alia objecta affici debeamus. Unum itaque id supereſt, ut de secundo agere instituam, qui utpote practicus suum juxta divisionem initio operis factam hic propriè habet locum.

2. Quoniam verò superiori capite jam probavi, DEUM esse hominibus plùs quavis re alia, séque adeò ipsis amandum; necessarium mihi a bitror, explicare, quantum esse, & quousque progredi in actuoso hoc ejus amore illud *plùs* debeat. Manifestum quippe est, posse hominem pluribus modis DEUM sibi in amando præferre: qui modi non ejusdem omnes perfectionis sunt; sed adeò inter se impares, ut aliquis solius præcepti obli-

obligationem impleat, alius ultra illam progrediatur, alius neque ad faciendum ei satis pertingat. Utque id, quantùm ad postremam hanc partem, quæ una novi quid, ac dubii videtur præferre, luculenter perspicias; propone tibi aliquem, qui amore DEI impulsus, conditionalem hujusmodi actum concipiat, si in eventu imaginario, & prorsus impossibili ad conservandam DEI existentiam, vel augendam beatitudinem, necesse esset me in nihilum redigi; libentissimè eligerem prædictum illius bonum extremo hoc meo impendio mercari. Quid de isto homine tibi videtur? Poterísne ire inficias, DEUM ab ipso plùs aliquatenus, quàm se diligi? Haud equidem poteris. Cùm nullum sit certius indicium, unde arguamus, aliquem ex duabus personis, vel rebus hanc plùs alterâ amare; quàm si eum viderimus, pro hujus conservatione alterius interitum, aut jacturam eligere. Et tamen, quàm certò constat, eum aliquo modo amantiorem DEI, quàm sui esse; tam facilè apparet, illum DEI amorem curtiorem justo esse, nec præcepti mensuram implere, ceu qui cum voluntate DEUM graviter offendendi queat simul componi. Fac enim, eundem homi-

nem in neceſſitate vel divinæ Legis violan
dæ, vel mortis obeundæ conſtitui: næ à præ
dicto erga DEUM amore inhiberi non ſati
poterit, quin retinendæ vitæ ſtudio ad divi
næ Legis violationem induci ſe ſinat: utpot
ad rem, quæ nullo pacto adverſatur exiſten
tiæ, ac beatitati divinæ, ſolis DEI bonis al
eo ſupra ſemet ipſum amatis, ſed uni tantum
modo officit externæ DEI gloriæ, minim
ſcilicet illius bono, neque intrà ſui amori
objecto comprehenſo: cui propterea no
apparet, cur nequeat ſuam vitam præoptare
quamvis cæteroqui paratiſſimus ſit, excel
lentioribus aliis, & ſummis DEI bonis ean
dem poſtponere. Similiter ac, ſi aliquis pr
amici vita tuenda paratus animo eſſet, ſuum
omnem cenſum impendere; non tamen al
hac ſua voluntate impelleretur, ad levius ali
quod illius bonum eodem ſumptu emendum
putà ad convivium, vel magnifici ſpectacul
genus ipſi adornandum: ſed poſſet, quam
vis intrà dictam menſuram amare illum per
gens à ſupervacuis hujuſmodi illius oblecta
tionibus tanto ſuo impendio procurandis a
lienum ſe oſtendere.

3. Quandoquidem igitur ad reſponden
dum & DEI meritis, & noſtræ obligation

hau

haud satis est, eum quomodolibet plùs nobis amare, præferendo videlicet bona illius nostris, intrà idem genus, ceu existentiâ existentiæ, & vitam vitæ, imò in dispari etiam genere, veluti unicũ illius sapientiæ, aut beatitudinis gradum toti nostrorum bonorum summæ; quænam justa erit mensura eum amandi plùs nobis? Dicam breviſſimè. Amandus est à nobis ultra omnem proportionem, ac mensuram plùs nobis: adeò ut vel minimum inter illius bona, exteriorem videlicet apud homines gloriam, nostris omnibus, quæ summa etiam ducuntur, bonis, famæ, valetudini, libertati, sapientiæ, lætitiæ, ac vitæ præhabendum putemus: promptissimi ad hæc omnia ultro abdicanda, dummodo id illi integrum maneat. Neque ità eum amare gratuitæ liberalitatis genus, sed debiti officii solutio est: prout liquidò apparet ex rationibus superiori capite allatis, nimirum ex eo, quòd ipse amabilitatis infinitæ objectum, ultimúsque rerum omnium creatarum sit finis: cùm uterque ex his titulis apertissimè ostendat, debere à creato quovis ente plùs quàm se amari, nec plùs quocunque exsuperationis modo, sed eo, quo reperiri ulterior nequeat, & qualem nos paulò antè indicavimus.

Nam primò tanta est finis dignitas, omnem que adeò rerum sui gratiâ factarum dignitatem supergreditur, ut quodlibet harum detrimentum, imò etiam vel omnimoda, extrema consumptio haberi pro nihilo mereatur, si cuilibet, quamvis minimo, ipsius bono conducat. Ac proinde, cùm homo finis, in cujus utilitatem corporeæ quæ substantiæ procreatæ à DEO sunt, nihil pe si habet jam unam earum, jam aliam, quo tiescunque id sit ex suo usu, destruere. Unde colligendum cuivis relinquo, si æquum ipse arbitratur, tantò se impensiùs productis causâ sui rebus diligere, ut qualecunque suum oblectamentum, aut commodum ipsimet earum existentiæ anteponat; æquum item esse, ut DEUM suum ultimum finem tanto intervallo supra se amet, ut & minimi ex illius bonis maximo cuique suorum bonorum præhabeat. Sed meliùs adhuc iden perspiciet, si animadvertat, DEUM non modò suum esse ultimum finem, verùm etiam infinitæ amabilitatis objectum. Talem quippe agnoscens, non poterit, quin fatea tur, eum infinitè amabilorem creata quavis re esse: dignúmque, ut creatum quodcunque ens exuperatione, non tanta duntaxat

vel tanta, sed determinatum omnem modum transcendente, plùs se ipso illum amet. Certè, ubi quidpiam infinitè bonum, pulchrum, perfectúmque est; quantumcunque voluntas finita conetur, & lièt totam se, virésque suas omnes in eo magìs, ac magìs amando exerat; nunquam tamen concipere amorem poterit, qui, non dico, illius amabilitatem adæquet, sed minùs quàm infinita intercapedine infra illam subsistat. *Non vereor, in amore nè modum excesserim.* (vel de naturali, ergáque homines amore ajebat Plinius) *Neque enim periculum est, nè sit nimium, quod esse maximum decet:* útque ego in re nostra addo, *quod esse infinitum decet.* (*Ep. 24. L. 8.*)

4. Constituto jam, opus esse, ut ad DEUM dignè nobis in amore præferendum, vel infimum ex ipsius bonis, exterior nempe ipsius gloria, maximo quovis nostro bono impensiùs ametur; adeò ut ambobus in contentionem venientibus illa semper præ omnibus his eligatur; facilè nobis porrò erit, ex variis inferioribus aliis, aliísque superioribus divinæ gloriæ gradibus varios, paritérque inæquales gradus deducere, per quos in DEO supra nos ipsos amando altiùs possimus, altiúsque consurgere. Nam, veluti a-

liqua ſupremi illius Domini gloria eſt, ſi ex
actè obſerventur leges ſub extremæ indigna
tionis ſuæ pœna ab eo promulgatæ; & majo
gloria eſt, ſi debita iis quoque legibus obedi
entia præſtetur, quæ cæteroqui ſinè gravi ip
ſius offenſione violari poſſent; & ſumm
gloria eſt, ſi quæcunque ejus voluntas, quam
vis nulla lege ſancita, neque ullam obligati
onem inducens, non minori cum ſedulitat
impleatur, quàm ſi legis vim, nexúmque ob
tineret, ſic illam nos poſſumus ſecundùm
unumquemque prædictorum trium gradu
um plùs nobis diligere. Poſſumus primò
quantùm ad illius infimum gradum, per fi
miſſimam voluntatem, quodvis citiùs ſeu bo
num abdicandi, ſeu malum patiendi, quàm
graviter contra DEI legem peccemus. Pol
ſumus ſecundò, quantùm ad medium, per ſi
mile animi decretum, amittendi quidquid
mitti, & tolerandi quidquid tolerari poteſt
nè DEUM vel perlevi quapiam illius legum
violatione offendamus. Poſſumus tertiò
quantùm ad ſupremum, per voluntatem a
què certam faciendi quæcunque etiam citr
ullius legis obligationem DEO placere agno
verimus, quamvis propterea, quidquid m
dimè chari eſt, repudiare, quidquid maxim
xuri, & aſperi ſubire oporteat.

5. Ho

5. Hos porrò diversos, & impares divinæ gloriæ, ac proinde etiam DEI amores, si comparare invicem libeat, videbimus. Primum severissimè omnibus præcipi, nec posse citra capitalem noxam, æternæque mortis reatum omitti. Secundum præcipi & ipsum quidem, sed non adeò severè, ut, illum omittens, plùs quàm levis delicti, & temporariæ pœnæ reus fiat. Tertium denique nulli præcepto esse obnoxium, neque ex ullo culpæ, aut pœnæ metu, sed ex libero tantùm majoris perfectionis studio exerceri. Perspiciemus insuper, quemcunque ex prioribus posse concipi absque ullo sequentium, primum scilicet absque aliis duobus, & secundum absque tertio: at nullum contra posteriorum esse, quin necessariò præcedentes requirat, & in se ipso virtualiter saltèm contineat, secundus, videlicet primum, & utrumque horum tertius. Fieri quidem poterit, ut, cui certum, deliberatúmque est, extrema omnia perpeti, quandocunque id necessarium sit ad gravem DEI offensam vitandam, non etiam deliberatum idem sit, ubi illa perpeti oporteat, quò ipsi nè leviter quidem displiceat, aut quò magìs tantùm placeat: útque, qui paratus est, sua omnia seu com-

pendia, seu dispendia prorsus negligere, nè DEUM ulla in re, quamvis minima offendat; paratus quoque ad eandem rerum suarum despicientiam sit, nè ulla in re, quamvis libera, & indifferente illius voluntatem exequi omittat. At nunquam contrà veniet, ut quisquam vel universis rebus suis merum DEI placitum præferat, multò minùs ut præcepta illius anteponat, vel ultra omne suum malum leviſſimas quasque DEI offensiunculas oderit; quin graves, ac mortiferas eodem, majoríque etiam odio aversetur. Agnoscemus postremò, quemvis sequentium perfectiorem esse, secundum scilicet primo, & ambobus tertium: tum quia Christianæ totius perfectionis consilia, quæ tertius pro scopo suo habet, latiùs patent præceptis, quorum observantiâ duo priores contenti sunt: latiúsque itèm præcepta, culpas veniales prohibentia, quæ secundus implere contendit, præceptis gravia interdicentibus crimina, quæ unica sunt primi materies: tum quia enixioris specimen amoris est, quantovis suo impendio vel ipsis personæ adamatæ oblectamentis, & commodis, quàm necessariis tantummodo usibus, ac negotiis servire; ùt patet in exemplo trium hominum, qui pa-

ra-

rati sint, omnes suos census in amici gratiam expendere: sed unus, nè gravi is detrimento afficiatur; alter nè leve aliquod incommodum subeat; tertius nè ullo ex concupitis sibi bonis frustretur. Quos inter, si de amoris præstantia disceptatio sit, nemo erit, quin secundum primo, & utrique ex his tertium anteferat.

6. Per hosce ergo tres gradus ad summam practici, operosique erga DEUM amoris perfectionem oportet nos niti: incipiendo ab eo gradu, qui maximè necessarius, facilisque est: nimirum à supremo nostro Conditore, propter infinitam perfectionem, & pulchritudinem suam, usque adeò plùs cæteris rebus universis, nobisque ipsis amando, ut paratissimi simus, quidvis potiùs & bonorum dimittere, & malorum pati, quàm debitam ulli ejus graviori præcepto obedientiam negare: gradu sanè tanti momenti, ut, nisi eo conscenso, nemo queat legitimam divini amoris mensuram implere: prout colligere licet ex Christi Domini verbis apud S. Joannem, tum capite decimo quarto, ubi pronuntiat: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Si diligitis me, mandata mea servate*; tum in proximè sequenti, ubi

idem confirmat, subjungens; *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in dilectione ejus.* Quo utroque in loco cælestis Magister fidelem præceptorum DEI observantiam pro argumento, & conditione veri erga ipsum amoris attulit: & in posteriori suo etiam declaravit exemplo, qualis, quámque perfecta hæc in nobis observantia esse debeat: tam firma nimirum, & propositi tenax, ut ad omnes illius partes implendas nec labores, nec pericula, nec insectationes, nec probra, nec cruciatus, nec mortem refugiamus: quemadmodum ipse ad exhaurienda dilecti sui Patris mandata nihil horum refugit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

7. Hinc videmus veros omnes DEI servos, atque amicos pro sanctitatis suæ fundamento altè in anima defixisse, & defixum perpetuò servâsse decretum immobile exequendi quovis pacto, & quantocunque cum rerum suarum dispendio, quidquid DEUS severè, districtéque imperaret: nihil pensi habentes, nè dilectum suum Dominum, denegatâ suis imperiis obedientiâ, graviter offenderent, omnium, quæ charissima homi-

ni

ni sunt, jacturam facere, nullísque non ærumnis, & ipsi adeò morti se offerre: sed ubique servantes illam D. Augustini regulam, (*Tr. 51. in Joa.*) *Cùm ergo causæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatnr, aut faciendum esse contra* DEI *præceptum, aut ex hac vita emigrandum: quorum duorum homo, si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore; ibi eligat,* DEO *dilecto emori, quàm offenso vivere.* Quódque operis meritum, & laudem auget, ità se gesêre, *non ex tristitia, aut necessitate*, tanquam si pœnæ metus invitos alioqui, & restitantes compelleret, sed *corde magno, & animo volenti*, quia supremum Legislatorem, respectúque illius positas quoque ab eo leges intimè amabant. Qualem fuisse Regium Prophetam fidem faciunt repetitæ illæ toties in Psalmo 118. prædicti amoris significationes: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? Tota die meditatio mea est. Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi. Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti.* Et qualem se declarabat B. Catharina Genuensis, dum Deo profiteretur, (*In Vit. c. 29.*) *O amor! si alii uni-*

nica obligatione adiguntur præcepta tua exequi, ego non unicam, ſed decemplicem mihi imponi eorum exequendorum obligationem volo, quia ſuavitatis uſquequaque, & amoris ſunt plena. Ità, ità profectò animæ illæ divino amore æſtuantes dicebant: chara hominum approbatio, & benevolentia eſt: ſed ô quantò DEUS charior? dulcis naturalium appetitionum expletio: ſed ô quantò dulcior DEUS? Amabilis libertas, & principatus: ſed ô quantò DEUS amabilior? Neceſſe agedum nobis ſit, ſi ſanctas ipſius leges renuamus perfringere, fortunis omnibus ſpoliari, ærumnoſam in compedibus, & tetri carceris ſqualore vitam traducere, nullo non contumeliarum genere affici, *tanquam purgamenta hujus mundi fieri*, pérque acerbiſſimos, & naturæ intolerabiles cruciatus mortem obire. Quid refert? Ad hæc omnia pro ipſo ſubeunda paratiſſimi ſumus. Hæc omnia nihili pendimus, dummodo ſartam tectam tueamur, quam ipſi debemus, obedientiam, & fidem. Ubinam eſtis Antiochi? ubinam Diocletiani? ubi Sapores? ubi Genſerici? ubi quidquid vel in terris carnificum, vel ſub orco dæmonum eſt? Adeſtedum, facturi periculum, plúſne apud nos veſtræ timor ſævitiæ, an di-

vi-

vinæ amor bonitatis valeat : númve inferre nobis quidquam mali possitis, quo non multò magis perhorrescamus infideles cælesti nostro Domino esse. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? &c. sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certi enim sumus, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo JEsu Domino nostro.* (*Ad Rom.* 8.)

8. Talis fuit (ut aliquos nominatim recenseam) Joannes Chrysostomus, de quo Eudoxiæ Imperatrici, immaniter contra ipsum furenti, & extrema omnia comminanti, non verè minùs, quàm libere quidam ex ejus famulitio dixêre, nequidquam certamen ab ea adversùs hominem suscipi, qui nihil pro malo haberet, formidarétque, præter DEI offensam. (*Sanjur. in Arar. p. 2. c. 7. Sect.* 18.) Talis adolescens integerrimus Joseph, qui longè satiùs duxit effrontis dominæ iras, calumniásque in perniciem suam irritare, & quidquid sibi proventurum indè esset infamiæ,

miæ, atque ærumnarum ſubire, quàm *peccare in DEUM ſuum.* (*Geneſ.* 39.) Talis Suſanna, conjugialis pudicitiæ rariſſimum ſpecimen, quando inter mortem, Deíque offenſam conſtituta, nîl dubitavit, præ hujus horrore in illius fauces irruere, imperterrito animo ſolicitantibus ſuam fidem reſpondens: (*Dan. c.* 13.) *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Talis ſanctiſſimus Vates Iſaias, qui juſſus à DEO per publica Hieroſolymæ compita omnino nudus concionari, nulla habita ſeu naturalis ſuæ verecundiæ, ſeu popularium ſermonum ratione, ad tres dies, inſolentem illam, probrosámque ſui ſpeciem vulgo exhibere perrexit, *nihil DEI præceptis honeſtius judicans*: prout in heroicæ illius obedientiæ commendationem ſcripſit D. Hieronymus: (*In cap.* 20. *Iſ. Vide Corn. à Lap. Ibid.*) Tales Machabæi ſeptem fratres, ſi ætas ſpectetur, imbelles pueri; ſin verò animus, heroës veteranæ virtutis, qui Antiocho Regi præſentem mortem, & graviora ipſa morte ſupplicia intentanti, nî ſacrilegis ſuis juſſis parerent, impavidum hoc unius ore omnes reddiderunt reſponſum: (*L.* 2. *Mach. c.* 7.) *Quid quæris? Et quid vis diſcere à nobis*

Pa-

Parati ſumus, mori magìs, quàm patrias DEI *leges prævaricari.* Tales demum Stephani, Ignatii, Clementes Ancyrani, Laurentii, innumeríque alii Martyres, uſque adeò DEI amantiores, quàm ſui, ut, nè illum debito cultu, atque obſequio fraudarent, ſua ultro corpora ferro, igni, lapidibus, belluis, & ſæviſſimo cuique mortis generi obtulerint: palàm facientes, quantò horribilior humano omni malo eſſe debeat iis, qui DEUM ex toto corde amant, gravis quæque ejus offenſio: quámque, ubi de illius exequendis imperiis agitur, nulla nobis rerum noſtrarum habenda ſit ratio. Sed quoniam de primo hoc amoris gradu ſatìs jam in præcedenti libro diſſerui, tempus me admonet, ut prolixiori ejus tractatione omiſſa de altero agere inſtituam, ad quem in DEO plùs amando progredi nos debere affirmavi.

CA-

CAPUT IV.

De secundo gradu amoris Dei super omnia: voluntate nimirum, gravissima quævis mala potiùs subeundi, quàm eum vel perlevi culpa offendendi.

DEberi à nobis DEO hujusmodi amorem, manifestè paulò antè collegi ex eò, quòd ipse infinitæ amabilitatis objectum sit, nostérque ultimus finis. Juvat nihilominus eandem veritatem dupli alio, efficaciori fortasse, quia magis popu lari, & sensibili argumento confirmare: erudendo illam scilicet, tùm ex plena libertate, qua minimum quodvis nostrum incommodum vel gravissimo aliorum minùs nobilium animantiũ impendio nos solemus avertere, tum ex terribili severitate, qua DEUS poe interitum in eos animadvertit, qui quamvi levicula, & veniali culpa se offenderint. U igitur à primo prædictorum capitum ordiar, puto, amice Lector, te quoque per incale scentis anni æstum à culice aliquo, vel musc infestari, nec religioni ducere, si importunam be

bestiolam depellendæ illius vexationis culpâ interficias. Atqui evidenter patet, nullo modo comparari posse tædium, quod illa tibi affert cum nece, qua illam afficis. Quanam igitur ratione fas tibi est, tuum id factum à culpa injustitiæ tueri? Respondebis, ùt opinor, si nulla apparet comparatio inter tuum, & illius malum; neque ullam apparere inter tuæ, naturæque illius pretium. Quamobrem, ceu illa non meretur, ut ullam naturæ ipsius præ tua rationem ducas; sic neque mereri, ut quodcunque vel extremum illius malum pensi habeas, ubi hoc ad tuam propulsandam esto levem molestiam conducat. Rectè tu quidem. Sed ut ad conclusionem accedamus, quæro iterum: plúsne tu secundùm naturalem præstantiam muscæ, an secundùm eandem tibi DEUS antecellat. Inficiari certè nequis posteriorem exuperantiam nimiò quantò primâ esse majorem. Cùm tu, & musca ad idem pertineatis finiti entis genus; inter te autem, & DEUM, spectata hinc tua limitatione, indè illius infinitate, nulla appareat, quantùm ad nativam dignitatem, proportio. Si ergo, quòd essentiæ tuæ dignitas, tametsi finito intervallo muscæ dignitatem supergrediatur, æquum tu

censes, & nemine quidem contradicente, quodvis tuum esto minimum malum pluri ipsamet illius nece æstimari, adeò ut pro quantulacunque tua molestia abigenda pos sit hæc jure optimo eligi; arguendum hin tibi, & cuivis ratione utenti relinquo, ec quid, cùm esse divinum infinita exuperatio tuo præstet, jus, fásque sit, qualemcunqu DEI offensiunculam pluris tuo fieri, imò d creatæ totius universitatis exitio; adeò u prohibendæ illius causâ ultro hoc velle, d eligere oporteat. Argumentum est, ùt a junt, *ad hominem*, neque prima illius part admissa negari ullo modo consequens po test.

2. Circa alterum verò ex prædictis capi tibus, quò ejus conclusio ad intelligendu sit clarior, proderit, tribus, quas subjicio veritatibus mentem advertere. Prima est pœnas, quibus animæ nondum satìs perpu gatæ sub præsentis vitæ exitum à divina justi tia plectuntur, multò atrociores esse omn bus, quas in terris maximè horremus: (*Vi Suar. t. 4. in 3. p. Disp. 40. Sect. 3.*) prout v de sola sensûs pœna, præter Doctorem An gelicum, (*4. Dist. 21. qu. 1. a. 1.*) aliósqu Theologos, D. Augustinus, & D. Cæsari

planissimè affirmant. Quorum prior de igne pias animas ad purum excoquente ait, (*In Ps. 37.*) *Graviorem esse, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Alter verò post commemoratam nonnullorum vecordiam temporarios illos cruciatus haud magni se pendere ajentium, dummodo certi interim sint de æterna salute, subjungit: (*Hom 8.*) *Nemo hoc dicat, fratres charissimi: quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quàm quod possit pœnarum in hoc sæculo aut accidere, aut sentiri, aut cogitari.* Quibus testimoniis libet coronidis locò addere exemplum, à Cantipratano relatum. (*Ap. L. 2. c. 51.*) Erat, inquit ille, pius quidam DEI servus, qui gravissima corporis ægritudine jam annum conflictatus, enixis apud DEUM precibus institit, ut cita morte suo illi tam prolixo cruciatui finem imponeret. Neque irritæ preces abiêre: apparens quippe illi Angelus potestatem, optionémque fecit DEI nomine, ut eligeret sive protinus mori, sed per subsequens triduum in subterraneo lustralium flammarum ergastulo culpas suas luere, sive alterius anni spatio præsentis morbi ærumnas perferre, iisque tandem expiatus rectà in cælum migrare. Prima conditio potior homini est visa:

Eámque idcirco præoptans, ſolutam corpore animam ad triduanas flammei illius carceris pœnas dimiſit. Sed vix unum ibi diem egerat, cùm en rurſus apparere illi Angelus, & percontari, numquid priſtina electione eſſet contentus. Cui ille, ô impoſtor, non Angele, hæccíne tua fides? Triduanam ſolummodo hìc mihi moram paciſci, eámque deinde ad tot annos producere? Quos tu annos memoras, ſubjecit Angelus. Doloris magnitudo in cauſa eſt, ut eam arbitreris tam longam, quæ revera ultra unum diem non proceſſit: adeò ut ſecundùm conventa bidui adhuc ſpatio proroganda ſit. Quod ſi id durum videtur, primámque retractare pactionem libet; non abnuit DEUS tibi permittere, ut locò bidui hìc tranſigendi ad tuum lectulum redeas, præteriti morbi cruciatus ſolido ibi anno paſſurus. Non uno tantùm anno, ſed quotquot ad mundi uſque finem ſuperſunt annis, eos perpeti malo, quàm vel tantulam hìc moram protrahere, laborans, æſtuánſque anima reſpondit. Cúmque dicto corpori reſtituta, quod necdum mandatum humo erat, perrexit ſolidum annum priſtinos dolores ferre: ſed tantò quàm antea æquiùs, faciliúſque, ut ludi, & nihili inſtar eo

du-

duceret, præ illorum immanitate, quos in purganti igne pertulerat.

3. Secunda veritas est ad ejusmodi pœnas nullis non præsentibus graviores promerendas, sufficere vel culpæ duntaxat venialis reatum: prout licet colligere tum ex illa apud S. Matthæum Domini sententia, (*c. 5.*) *Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem*; tum ex prima D. Pauli ad Corinthias epistola, ubi inter res piacularibus flammis exurendas recensentur etiam, (*c. 3.*) *fœnum, & stipula*: materiæ nimirum, quæ ob suam levitatem pro venialibus culpis accipi solent. Neque desunt exempla, quæ idem apertiùs, atque expressiùs testentur: exempla videlicet D. Severini Colonienſis Episcopi, qui post obitum significavit non nemini atrocissimis se in igne doloribus cruciari, quòd præ negotiorum ingruentium turba Sacerdotalem psalmodiam absque legitimis intervallis totam continenter recitâsset: (*Nieremb. in Vit. div. c. 34.*) nec non alterius cujusdam, quem D. Vincentius Ferrerius tradit, unius culpæ venialis causâ ad annuos in piaculari ergastulo cruciatus damnatum fuisse: (*Ibid.*) & complurium præterea religiosorum hominum, quorum animas ejusdem

ordinis Monachus per oblatam sibi divinitu
speciem vidit, horrendis torqueri supplicii
eò quòd, licèt integri à capitalibus noxis, ne
gligentiùs tamen vixissent, quàm eorum pro
fessio, & cœnobii disciplina exigebat. (*Spe
Exemp. Dist.* 2. *Ex.* 60.)

4. Tertia veritas est, animas justorum
quæ post interitum corporis à divina justiti
expiantur, leviores pœnas suorum criminu
pendere, quàm quibus mererentur affici. Ne
que enim ulla apparet probabilis ratio, cu
DEUS, qui, *cùm iratus fuerit, misericordiæ
cordatur*, ac propterea ipsosmet perduelles
sibíque invisissimos orci spiritus ex Theolo
gorum sententia, *citra condignum* punit; si
veriùs, & sinè ullo clementiæ temperamen
to cum iis agere animabus putetur, quæ p
gratiam sanctificantem illius sponsæ sunt, a
que filiæ.

5. His itaque extra controversiam pos
tis, fingamus patrem esse, qui filium suu
jubeat in teterrimum carcerem retrudi, ib
que per complures diebus singulis horas si
vissimè in equuleo distendi. Quid, amabo
dici in eventu hujusmodi posset? Alterum
his duobus profectò: nempe vel filium eno
me quodpiam scelus patrâsse, cùm ipsem

pater tam graviter in eum animadvertat; vel si in levi tantùm materia pérque juvenilem imprudentiam deliquerit; qui eum ità plectit, neutiquam patris, imò neque hominis nomen mereri, sed pro immani sævitiæ portento esse habendum. Jam verò scimus, DEUM plerisque justorum mortali vita defunctis, quibus cæteroqui tanquam filiis charissimis sempiternam cælestis sui regni hæreditatem reservat, pœnas irrogare, quæ juxta primam præmissarum veritatum cunctis terrenis suppliciis gravitate antecellant. Et scimus præterea, juxta veritatem secundo loco propositam, hujuscemodi pœnas iis infligere, quamvis sæpe non nisi venialium culparum rei sint. Quidnam ergo hìc dicendum? Nihil utique aliud, nisi aut culpas etiam veniales malum esse pœnis iis dignum; aut Deum ità eas punientem injustum, & crudelem tyrannum. Atqui secundum à nemine dici potest, quin certissimis contradicat tum divinæ fidei, tum etiam rationis humanæ principiis. Supereſt ergo, ut primum dicamus: nimirum culpas veniales, ratione injuriæ, qua summam DEI Majestatem afficiunt, dignissimas esse, quæ atrociter adeò plectantur: imò juxta tertiam veritatem, nè posthu-

mis illis quidem tam horrendis ſuppliciis pro improbitatis ſuæ merito, ſed *citra condignum* puniri. Unde nihil jam obeſt, quin ex dictis pro certiſſimo colligam, debere nos graviſſima, & extrema omnia citiùs pati, quàm earum ullam ſcienter admittere. Si enim vel ipſi purgantium flammarum cruciatus, licèt omnibus præſentis vitæ malis graviores, infra malitiæ illius meritum ſunt; quidni æquum ſit, ut vitandæ hujus causâ, quidquid duri, & acerbi tolerari in terris poteſt, ultro ſubeundum putemus?

6. En itaque, utrùm DEUS bonum ſit, quovis alio ſuperius; cùm vel minima quæque ejus offenſa graviſſimis omnibus præſentis vitæ malis præponderet, neque ulla poſſit eorum diritate ſatis puniri. Et en quoque, utrùm pro tam incomparabili ſua bonitate eò uſque à nobis diligi mereatur, ut parati ſimus, quæcunque præſentis vitæ mala potiùs ferre, quàm eum vel leviſſimè offendere. Huc igitur in eo plùs nobis ipſis amando, provehi nos decet: ut nimirum extremo quovis noſtro malo, vel minimam quamque illius offenſiunculam graviùs perhorreſcamus, atque enixiùs vitemus: certiſſimi, nolle unquam Domino tam infinitè amabili, & quem

tan-

tantò plùs nobis diligimus, ægrè facere, etsi propterea, quidquid maximè chari est, amittere, & quidquid maximè inviſi, tolerare opus fuerit. Quid enim? Itáne ſciens ego hanc, vel illam rem à DEO eſſe vetitam, eíque diſplicere, adeò nihilominus vecors, adeò impudens, adeò juris, officiíque omnis eſſe immemor poſſim, ut eam illo ſpectante, & indignè ferente, quavis de cauſa facere audeam? Ah priùs, quàm eò uſque indignitatis progrediar, fulminibus cælum me obruat, ſubito tellus hiatu me abſorbeat. At voluptas illa ab ipſo interdicta nimiùm quantùm genio blanditur. At, ſi ab omni mendacio abſtineam; multas rei amplificandæ occaſiones corrumpam. At, ſi adverſarii convicia patienter excipiam, plurimum mihi apud conſcios dignitatis decedet. O rationes riſu potiùs, quàm reſponſo dignas! perinde quaſi honoris integritas, rei amplitudo, geniíque oblectatio tanti pretii, atque ponderis bona ſint, ut mereantur vel in mentem, nedum in æſtimationem venire, ubi de vitanda offenſione DEI agitur. Pereant, age, funditus omnia, quæ poſſidere, & amare in terris poſſum, dum nè vel tantillum à debita ſupremo illi Domino obſervantia deſciſcam, quem

incomparabiliter plùs meis fortunis, plùs meo honore, plùs quocunque alio meo bono, quin plùs etiam me ipso, ac subſtantia, & perſona mea amo.

7. Novi quidem, multa ab eo juberi, aut vetari, non ſumma cum ſeveritate, neque tam diſtrictè, ut inobſequentibus ſuæ inimicitiæ, ac ſempiternæ mortis pœnam denuntiet. Sed quid tum? Ideóne, quia ille mitis, ac benignus in præcipiendo fuit, negligentiorem in obtemperando eſſe me deceat? Imò hæc ipſa ejus lenitas, ceu amabiliorem eum reddit, ſic promptiorem ad ipſi obſequendum debet me reddere. Et lætari quidem poſſum, quòd hanc, vel illam ipſius legem ſolvere abſque capitali noxa fas eſt: ſed ideo duntaxat lætari, quia, quantò minùs mali timendum mihi eſt, ſi eas ſolvero, tantò majus, certiúſque amoris erga ipſum ſpecimen daturus ſum, ſi iiſdem nihilominus paream. Servorum eſt, ad heri juſſa implenda metu indigere, nè alioquin domo abigantur. Filiis bene moratis ſat ſtimuli, ad quidvis vel faciendum, vel cavendum eſt timor, nè ſecùs patri diſpliceant. Et quid, rogo, ſcribit D. Baſilius, ſentiendum eſſet de filio, qui diceret: ego quidem cavebo, nè patri inſidi-

as ſtruam, capútque illius hoſtibus prodam, aut ſimili alio facinore exhæredari ab eo merear. Cæterùm non magni admodum pendam, multa alia patrare, quæ improbari ab eo novi, quandocunque id mihi voluptati futurum, aut commodo ſit? (*Proœm. in Reg. ſuſ. Diſp.*) *Quis eſt filius, qui propoſitâ ipſi parentis gratiâ, cùm in rebus illi majoribus obſequatur, in iis, quæ levioris momenti ſunt, ipſum prudens velit offendere?* Certè, qui affectus ità eſſet, ingenii ſe nimiùm ſervilis, omni patris amore vacuum, & penitùs filii nomine indignum probaret. Quapropter nè tales & nos ſimus, quoties de facienda re aliqua deliberatio incidit, obſervare confeſtim debemus, interdicátne illam DEUS, an permittat: &, ubi primum fortè conſtiterit, nihil ultra morari in quærendo, ſeverúmne, an mite illius interdictum ſit, ſed quovis vel mitiſſimo contenti eſſe, ut omnem extemplo faciendæ illius rei cogitationem abjiciamus: imò eam veluti aliquid impoſſibile à nobis fieri ſpectemus. Ah non leve malum quantulacunque ſupremæ illius majeſtatis injuria eſt, imò tanti revera ponderis, ut tetrius quid, atque horribilius creatæ totius univerſitatis, cæli, terræ, hominum, Angelorúmque excidio

cen-

censeri debeat. Mundi quippe universitas cum omnibus, quæ complectitur, elementis, cælis, hominibus, Angelis, comparata ad infinitum DEI esse longissimè minor recula est, quàm præ ipsa atomus, vel pulviſculus sit. *Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* (*Sap.* 11.) Quamobrem, si nihil dubii esse potest, quin leviſſimum quodvis mundanæ totius molis incommodum gravius malum sit, unius atomi excidio; multò minùs dubitare possumus, quin minima quælibet DEI offensio secundùm mali rationem mundanæ totius universitatis dissolutioni præponderet. Nemo itaque eum abduci in errorem se sinat, ut culpas veniales parvi faciat, quia leves appellari audit. Sed noverit, hac illas appellatione insigniri, quo ab iis discernantur, quæ cùm divinæ inimicitiæ, tum mortis sempiternæ reatum continent, supremúmque intèr execratiſſima quævis mala diritatis obtinent locum: adeò ut vocare illas leves nihil aliud sit, quàm in ejusmodi comparatione minùs graves vocare. Cæterùm impossibile omnino esse, ut ulla infiniti boni offensa, esto aliis ejusdem offensis inferior, absolutè loquendo,

exi-

exigui malum momenti mereatur vocari: nec potiùs quasvis rerum creatarum offensas, ruinas, & clades immanitatis suæ pondere excedat.

8. Et sanè, si eos contemplemur, qui in divinæ charitatis via ulteriores habuêre processus, videbimus ad unum omnes, veluti DEUM sinè ulla proportione plùs se ipsis amabant; sic minimam quamque ejus offensam extremo quovis suo malo plùs horruisse: nec deesse inter illos, qui arctissimo voti nexu ad veniales quasque culpas in perpetuum vitandas se obstrinxerint. (*Vid. Rho. Hist. Virt.* L. 3. *c. 11.*) In quorum exemplo observare fas est, quàm libera, & sui potens voluntas, atque indoles hominis sit, qui divino se amori devovit. Nempe hic, juxta D. Thomæ doctrinam; (*L. 3. c. Gent. c.* 128.) *Sibi ipse lex est:* neque solùm legibus communiter latis, servi more, ac modo non subest; sed eas insuper quadam ceu Legislatoris authoritate jam laxat, jam restringit: obligationis vim, quam aliorum respectu illæ habent, quodammodo ab iis auferens, & eandem, ubi aliorum respectu deest, quantùm ad se iis superaddens. Quocirca, veluti in gravibus observandis præceptis, tam non coactè, & absque

que ullo servili metu se gerit, quàm si ab externa qualibet obligationis vi liber, ex ultroneo duntaxat voluntatis instinctu illa observaret, *habens charitatem, quæ eum locò legis inclinat, & liberaliter operari facit*; ità quantùm ad alia præcepta, quæ vim graviter obligandi ex se ipsis non habent, necessitatem sibi ultro imponit, tam religiosè illa observandi, quàm si summa cum severitate ad id urgeretur: non aliam in animo patiens, præter obligationem sui amoris, à quo sinè respectu ad pœnam impellitur ad servanda ea, quæ à legis servis ex puro pœnæ metu servantur. *Cùm liber sit*, (juvat rem totam supradicti Doctoris Angelici verbis concludere) *qui sui causâ est; illud libere agimus, quod ex nobismet ipsis agimus. Hoc verò est, quod ex voluntate agimus. Quod autem agimus contra voluntatem, non libere, sed serviliter agimus. Cùm igitur Spiritus sanctus per amorem voluntatem inclinet in bonum verum, ad quod naturaliter ordinatur; tollit & servitutem, qua servus passionis effectus contra ordinem voluntatis agit; & servitutem, qua contra motum suæ voluntatis secundùm legem agit, quasi servus legis, non amicus. Propter quod Apostolus dicit:* (2. ad Cor. c. 3.) *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et ad Gal. 5. *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege.*

(L.

(L. 4. c. Gent. c. 22. Vid. & 1. 2. qu. 93. a. 6. ad 1.)

9. Tales igitur noſtros itèm ſenſus, affectúſque eſſe oportet, ſi cordi habemus, ad eum gradum pertingere, qui in DEO plùs nobis amando eſt ſecundus: adeò ut, nisì fidem noſtram volumus (quod neque neceſſarium eſt, neque omnibus promiſcuè ſuadendum) nuncupato à prædictis DEI famulis voto obligare; ſaltèm, quod illi jurârunt, non minùs ſanctè obſervemus, quàm ſi juratum æquè à nobis fuiſſet: divinæque charitatis fervor, qui ad votum de cujuſvis peccati venialis fuga nuncupandum eos impulit, nos ad propoſitum, non minùs voto efficax de eadem concipiendum impellat. Ut verò hoc ità efficax ſit, præter repetitam pluries diebus ſingulis illius inſtaurationem proderit primò inter matutinam meditationem percurrere animo peccata venialia, in quæ labi nos frequentiùs contingit, & quorum eo die præbere nobis anſam poterunt ſeu res, quas tractabimus, ſeu loca, quæ adibimus, ſeu perſonæ, quibuſcum congrediemur; opponendo ibi protinus humanis ad ſingula incitamentis, quas ex adverſo divinus nobis amor ſuggerit ea vitandi rationes: enixéque

DE-

DEUM obsecrando, ut præsentem nostram voluntatem nullo ipsum pacto offendendi, quando exequenda mox erit, opportunis gratiæ suæ auxiliis confirmet. Proderit secundò, si superveniente interdiu aliqua hujus, vel illius venialis peccati occasione, quæ ad illud vehementiùs nos impellat, memineri-mus id tempus esse, ubi certò experiri liceat, num *verbo, & lingua* duntaxat *diligamus* DEUM, an *opere, & veritate*: num nostra erga ipsũ charitas fuco subornata in meram speciem sit, an solidis in corde radicibus nixa: num in summa nostros apud animos hominum gratia, terrenive alicujus boni respectus, an divina ipsius gloria, & voluntas plùs valeat. Unde mox hujusmodi cogitationibus quibusdam quasi stimulis ad propriam DEUM verè amantium alacritatem excitati, in animosa illa Christi Domini verba erumpamus: (*Joa. 14.*) *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; faceſſat hinc, quidquid ei displicet, quantumcunque humano meo sensui le-nocinetur: repudiantes confestim cum exe-cratione animi illud seu lucrum, seu genii blandimentum, seu mortale aliud quodvis bonum, cujus præsentis cupiditate ad peccan-

dum

dum ſtimulamur : nec magni aliquid nos feciſſe arbitrantes, quòd ejus illecebras debito divinis præceptis obſequio poſthabuerimus : cùm vel ſacrilegus Balaam profeſſus ſit, nullis ſe adduci quantumcunque amplis conditionibus poſſe, ut quidquam extra Dei loqueretur præſcriptum. (*Numer. c. 23. & 24.) Numquid aliud poſſum loqui, nisi quod juſſerit Dominus. Si dederit mihi Balaac plenam domum ſuam argenti, & auri; non potero præterire ſermonem Domini DEI mei: ut vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo : ſed quidquid juſſerit Dominus, hoc loquar.* Proderit demum, ſi, quoties hanc, aut illam leviorem culpam cum majori aliqua, eſto non plena animadverſione commiſſam eſſe à nobis deprehenderimus, juſtum noſtræ adversùs DEUM infidelitatis concipiamus pudorem, intimo cum doloris ſenſu eam deteſtantes, nec omittentes illo ipſo die per voluntariam aliquam corporis caſtigationem illius à nobis pœnas repetere: ad exemplar D. Paulæ Romanæ, quæ, teſte S. Hieronymo, (*Ep. 27. ad Euſtoch.) ità levia peccata plangebat, ut eam graviſſimorum criminum crederes ream.* Cum hac tamen cautione, ut nè commiſſi pœnitentia in nimium mœrorem, animíque abjectionem

nem degeneret : sed potiùs ipsemet lapsus pro incitamento nobis sit ad repetendum, instauratis viribus, & majori cum alacritate divini famulatûs cursum, juxta illud Vatis Baruch effatum : *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Domino, decies tantùm iterum convertentes requiretis eum.* (*c. 4.*)

CAPUT V.

De amando DEO plùs nobismet ipsis usque ad tertium, eúmque supremum hujusce exuperationis gradum : ità nempe, ut nullius sive boni, sive mali nostri respectu prætermittamus quidquam agere, quod ipsi esse gratius noverimus.

EXcellens modus amandi DEUM plùs se ipso est, quem hactenus vidimus, quando scilicet tantum eum aliquis facit, ut, nè illi vel minimæ offensionis causam præbeat, sua omnia pro nihilo habet emolumenta, atque commoda. Sed longè hic excellentior, quem tractare jam aggredimur, quando nimirum DEI servus ità comparatus animo est

ut non modò nulla in re cæleſtem ſuum Dominum velit offendere; ſed inſuper illius placitum ſolicitè ubivis requirat, & certus ſit, ſemper agere, quidquid illi acceptum eſſe intellexerit: minimè attendens, faciléſne, an difficiles, jucundæ, an moleſtæ, ſuæque voluntati conſentaneæ, an diſſentaneæ ſecundùm ſe ipſas res ſint, ſed unum id ſpectans, utrùm DEO placeant: & ſimul atque tales eſſe agnoverit; nihil ultrà interponens moræ, quin continuò iis manus admoveat. Agedum intrà ſe ait, quicunque huc proceſſit, eveniat, quidquid eventurum eſt: res familiaris diffluat, valetudo fatiſcat, obſcuretur fama, ſubeatur vitæ diſcrimen, in odia, obtrectationéſque hominum impingere oporteat, totus contrà avernus inſurgat, peſſumeat tellus, ruat cælum, ſus déque miſceatur mundus: voluntas DEI quovis pacto, quovis impendio exequenda eſt. Hoc penitùs conſtitutum, clavíſque trabalibus defixum in animo eſt, nec ultrà in deliberationis aleam vocandum. Reliqua, quemcunque ſors dederit, curſum, exitúmque habeant. *Navigare eſt neceſſe, vivere non eſt neceſſe.* (*Plut. in Vit. Pomp.*) Excellentiſſimus, prout ajebam, inter hactenus memoratos, nec minùs

latè patens, quàm tota Christianæ vitæ perfectio, hic amandi DEUM modus est, cùm pro materia, objectóque habeat, quæcunque potest DEUS ab hominibus velle: qui vult procul dubio, ut sui famuli nullum ex actibus, sive ad religionem, sive ad humilitatem, sive ad mortificationem, sive ad charitatem, aliásque virtutes spectantibus, quandocunque nihil vetat, nec facultas deest, prætermittant; sed, quàm possunt maximè, sancti sint, ac perfecti. *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* (1. *ad Thessal.* c. 4. *Matth.* c. 5.) Quare omnino absoluta illius praxis in cælesti tantummodo patria habet locum, ubi *DEUS erit omnia in omnibus*: & ad illam conniti, curando, quoad ejus fieri potest, ut voluntas DEI *fiat, sicut in cælo, & in terra*, id est tam omnimodis à se impleatur in terrestri hoc exilio, quàm impleatur ab Angelis in regno cælesti, quod non nisi paucorum, & perfectissimorum hominum est. Qui licèt in præsentis vitæ, ac viæ statu magnanimum suum propositũ haud possint plenè assequi, nec quantùm ad omnimodam sacri hujus exercitii perfectionem, superas illas mentes æquare; quod tamen ad

stu-

ſtudii vim, & contentionem attinet, iis antecellunt: utpote qui, ſi aliquando propter neceſſariam terrenæ conditionis infirmitatem à divina voluntate implenda deficiunt; nihilominus, ubi eam implent, (quod ferè fit, quoties magìs deliberatè, attentéque operantur) neceſſe habent illius gratiâ innatis quibuſque ſuis affectionibus obluctari, & vim facere. Quod amoris ſtrenui, contentioſi, & pugnacis decus beatis Cælitibus intercludit tranquilliſſimiſui ſtatûs perfectio. Adeò ut in qualibet mortalium, ſuperúmque virtute diverſam illam liceat agnoſcere, majoris hinc excellentiæ, hinc verò fortitudinis laudem, quam in caſtitate nominatim obſervavit D. Bernardus, affirmans: *Differre inter ſe hominem pudicum, & Angelum, ſed felicitate, non virtute.* Nam *ſi illius caſtitas felicior: hujus fortior eſſe cognoſcitur.* (*Ep.* 42.)

2. Quamvìs verò hujuſmodi amor divinam voluntatem humanis quibuſcunque ſuis bonis, & affectibus præferens ob innatam ſibi arduitatem rarus admodum inter homines ſit; adeò tamen æquitati, rationíque eſt conſentaneus, ut mirum videatur, non eſſe communem omnibus, qui DEUM aliquatenus noverint. Quotus enim quiſque non

videt, quoties Domini, ac ſervi voluntates inter ſe diſconveniunt; debere hunc, ſi quem pudoris, juſtæque reverentiæ ſenſum in animo fovet, quod hero potiùs, quàm quod ſibi libet, agere? Aut cui dubium eſt, quin, ubi aliud finis, aliúdque inſtrumenti uſus requirit, debeat hoc illius utilitati ſuam poſthabere? Atqui nónne ampliſſimum DEUS in nos, noſtráque omnia dominii jus obtinet? Nónne idem ſupremus finis ille eſt, ad quem noſtrum eſſe, noſtríque omnes actus longè intimiori, & magis neceſſaria collineatione diriguntur, quàm vel calamus ad ſcribendum, vel culter ad ſecandum, vel quodcunque aliud inſtrumentum ad proprium, & peculiare ſuum opus? Ubi ergo æquitas noſtra eſt? ubi fas? ubi juris, & rationis reſpectus, ſi nihilominus in operando noſtra commoda, noſtráſque propenſiones illius placito, & voluntati anteferimus?

3. Legi apud Xenophontem, tantam in Perſarum animis erga Cyrum ſuum Regem benevolentiam fuiſſe, ut (*Cyrop. L. 8.*) *quilibet magnum quæſtum putaret, ſi ei gratificaretur.* Legi apud Lucianum, (*In Tox.*) Zenothemim quemdam, cùm Menecratem amicum ſuum triſtem videret, ex deſperatio-

ne

ne conjugis reperiendi ſuæ filiæ, & indotatæ, & præter modum deformi; tanto conſolandi eum ſtudio flagrâſſe, ut, quamvìs ævo florens, opulentus, ac nobilis, illud monſtrum mulieris ſibi matrimonio copulaverit, viginti quinque talenta dotis nomine ei ſcribens, eámque mox in rheda quaquaverſus ſecum circumvehens ùt rariſſimum quoddam fidelis amicitiæ trophæum. Legi in ſacra Regum hiſtoria, tres Hebræos milites, cùm David ſuum Regem, & ducem ſuſpirantem audiſſent: *O ſi quis mihi daret potum aquæ ex ciſterna, quæ eſt in Bethlehem*! uſque adeò majorem explendæ illius cupiditatis, quàm cujuſcunque ſui periculi rationem duxiſſe, ut non expectato imperio, nihílque interponentes moræ, *irrumperent caſtra Philiſtinorum, & haurirent aquam de ciſterna Bethlehem*, quæ in eorum poteſtate tunc erat, *& afferrent ad David.* (*L.* 2. *c.* 23) Tantámne igitur in horum pectoribus vim obtinuerit mortalis amici, vel Domini amor; nec tantundem apud nos valeat gratificandi DEO ſtudium? Sed, ubi neceſſe ſit, quò ejus voluntati faciamus ſatìs, laborioſi quidpiam, moleſtíque agere, tergiverſabimur, & ſubterfugiemus, cauſantes nulla nos præcepti obligatione ad id

cogi? Ah ità ſe gerere nimis quàm alienum foret à divinæ charitatis ingenio: quæ, ſi ea ſit, quam decet eſſe, quodcunque cæleſtis Domini placitum inſtar præcepti habet, atque implere omni ſtudio contendit. *Nos*, ait D. Hieroymus, *ſi verè Chriſtum diligimus, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, nisi quod eum velle cognoſcimus.* (*Ep. ad Celant.*)

4. Libétne ſcire, cujuſmodi eſſe ſoleat, qui perfectè DEUM amat? Diſce ex S. Gertrude, quæ in omni ſua vita nihil ſtudebat aliud, quàm cæleſtis ſui Sponſi voluntatem inveſtigare, & inveſtigatam peragere, prout ipſemet Dominus B. Mathildi de illa revelavit his verbis. (*L. 1. Inſin. c. 12.*) *Omni tempore coram me ambulat, indeſinenter quærens, agnoſcere cordis mei beneplacitum. Quod cùm primùm didicerit, feſtinat illud ſummâ diligentiâ perficere: nec ibi tum quieſcit, ſed ad aliud mox cognoſcendum, perficiendúmque iterato ſe fervore convertit:* ſimilis prorſus fulgetris in Jobi libro deſcriptis, quæ vix DEO jubente egreſſa, ad eum protinus redeunt, tanquam nova juſſa acceptura. (*Vid. c. 38.*) *Eunt, & reverentia dicunt ei: adſumus.* Diſce ex magno Gentium Apoſtolo, & vaſe electionis Paulo, qui cùm pro DEI gloria duri aliquid, periculo-

sique suscipiendum esset; nullis sive hostium terriculis, sive amicorum dissuadentium precibus retardari poterat, nè quò ab amoris divini impetu rapiebatur, securus, atque alacer properaret: quemadmodum testatus luculenter Mileti est animosis iis vocibus: (*Act.* 20.) *Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Hierusalem, quæ in ea ventura mihi sint, ignorans, nisi quòd Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino* JESU: nec minùs Cæsareæ, ubi fratribus, qui ab eodem se itinere dehortabantur, (*Ib. c.* 21.) *Quid facitis*, dixit, *flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum, propter Nomen Domini* JESU. Nempe, juxta verissimum Joannis Chrysostomi de illo præconium, (*Hom.* 2 *de Lau. Paul.*) *Ad confusiones, & injurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis, quàm ad honorum oblectamenta properabat. Perfrui enim charitate Christi hoc illi vita, hoc regnum, hoc promissio videbatur. Horum verò, quæ hìc habentur, nihil asperum, nihil suave etiam re-*

putabat. Sic despiciebat universa, quæ cernimus, ùt solet herba jam putrefacta contemni. Discè etiam ab insigni DEI servo, nostræque Societatis Sacerdote, Didaco de Saura, tam cupido quærendi, faciendíque in omni re, loco, atque tempore, quod maximè acceptum dilecto suo Domino esset, ut, teste Nierembergio, (*In Vit. div. c. 32.*) perpetuum, & insolubile de hoc votum ediderit, ferro juxta cor altè adacto sibi pectus rescindens, & expresso indè sanguine suam illam sponsionem conscribens. Neque contentus ità generatim eam feciſſe, post aliquod temporis spatium expressiori, & magis distincta significatione instauratam voluit: disertis verbis se obligans ad puritatis Angelicæ studium, ad sedulitatem exequendi, quàm perfectissimè posset, quidquid à se Moderatores sui vellent ad nihil excepto DEO amandum, ad nihil faciendum, cogitandum, & dicendum, nisi ex amore sanctissimæ Triadis, ad omnes servandas sui ordinis leges, nec ullam vel minimam imperfectionem sponte, scientérque admittendam, ad assiduam postremò divinæ præsentiæ, diviníque amoris exercitationem curandam. Imò neque hìc terminus inexpleto ardori illius fuit: sed conatus est nova, & magis peculiari verborum forma idem vo-

votum exprimere: declarans, illius vi obstrictum se velle ad summam humilitatis, modestiæ, silentii, castitatis, obedientiæ, misericordiæ, benignitatis, patientiæ, fortitudinis, justitiæ, orationis, charitatis erga proximos, & cujuscunque alterius virtutis præstantiam, & ad exercendos diebus singulis, quotquot, & quàm perfectissimos posset, tum externos, tum interiores actus prædictarum, aliarúmque omnium virtutum. Votum sanè admirabile, sive illius nuncupandi ardor, sive implendi observetur sedulitas, quam ipsemet scripto contestatus est in hæc verba: *Nullam, quæ mihi se obtulerit, vincendi mei ipsius, & honesti cujusquemodi actûs exercendi occasionem scienter neglexi.*

5. Quanquam quid opus nobis est, ad perfectæ charitatis notionem in mente formandam, has vel illas esto pereximias ejus imagines contemplari, cùm ipsum̃et exemplar habemus præ oculis, verũ nempe, atque æternũ Dei Filium? Cujus vita omnis, à primo conceptu ad extremũ usque spiritum, nihil aliud, nisì continens obsecundandi, placendíque dilecto suo Patri studium fuit: prout & illius nomine, ac verbis David cecinit: (*Ps.* 39.) *In capite libri scriptum est de me, ut facerem volun-*

luntatem tuam. DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei; & ipsemet deinde luculentiori adhuc sermone in pluribus Euangelii locis declaratum voluit. Quid enim? Nónne illum, cùm à discipulis ad reficiendas cibo vires invitaretur, respondentem audimus: (*Joan.* 4.) *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis, &c. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus?* Nónne audimus profitentem Judæis, non aliam sibi esse omnium, quæ loqueretur, agerétque rationem, nisi unum æterni Patris sui placitum? (*Joan.* 8.) *A me ipso facio nihil: sed, sicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper*: imò profitentem, nè posse quidē se operari à se ipso, & secundùm propriam, sed secundùm illius voluntatem? (*Joan* 5.) *Non possum à me ipso facere quidquam: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Quid plura? Nónne audimus in Gethsemani horto, quanquam & præ labiis amarissimum subeundæ jamjam diræ necis calicem, & turbulentissimum immanis tristitiæ pelagus in animo haberet; nulla tamen tædiorum, formidinum, & angorum, quibuscũ lethaliter conflictabatur ratione habita suum honorem, suum corpus, suum spiritum,

su-

ſuam vitam, séque totum paternis devoventem arbitriis? *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Non mea voluntas, ſed tua fiat.* O ſacrificium, cui ſive altiſſimum æſtimetur oblatæ rei pretium, ſive acerrima nè offerretur ſensûs naturalis repugnatio, ſive major ad offerendum appetitûs ſuperioris alacritas; nullum par neque prior ulla ætas vidit, nec viſura eſt poſterior? O Filium planè digniſſimum! qui, tanquam perfecti obſequii, & amoris exemplar, ab increato ſuo Patre adoptivis omnibus filiis ſuis proponeretur, teſtificatione illa, ad Jordanis primùm ripas, dein in Thaboris vertice audita: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* (*Vid. Matt. c. 3. & 17.*)

6. Hæc itaque, ô Lector! via certiſſima eſt, Chriſti Domini, fideliúmque illius comitum veſtigiis trita, per quam te incedere oportet, ſi eniti ad perfectæ charitatis verticem cupis. Non ſatìs tibi eſt, quidquid DEUS jubet, accuratè exequi, quantumcunque innatis propenſionibus, & terrenis rationibus tuis adverſetur: & quidquid rurſus vetat, quantumlibet commodum, volupe, atque honorificum ſit, omnino refugere: ſed in quavis etiam re, eſto indifferenti, & ubi pro ar-

arbitratu tuo, citráque ullam vel levem DEI offensam operari fas est; debes attendere, quid eum ibi magis delectet, neque ullo postmodum difficultatis, aut incommodi objectu retineri, quin illud protinus amplectaris, & faciendum decernas. Adeò ut nulla apud te majoris momenti sit ratio, nullus vehementior impulsus, nulla vis efficacior, & necessitati propior, quàm si tecum cogites: hæc res DEO arridet, DEUS hac re delectatur, hanc rem agens, DEO magis gratificabor; sed præ hac ratione contrariæ quævis rationes ex oculis tibi, animóque evanescant: &, simul atque de hoc constiterit, voluntas toto propensionis suæ nisu illuc feratur, tanquam ad rem sinè dubio eligendam, quæque consultatione non indiget, nec prætermitti ullo modo potest.

7. Quando Christus Hierosolymam super jumento ingressurus præcepit discipulis, ut pullum asinæ, quem certo loco alligatum reperturi erant, vinculis solverent, & ad se adducerent; jussit simul, ut, si quispiam obsisteret, ei dicerent: *Dominus operam ejus desiderat*; fore enim, ut hac ratione audita, quisquis ille esset, pecudem solvi, & abduci permitteret: *Solvite pullum, & adduci-*

cite: & ,si quis vobis dixerit: quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est, & continuò illum dimittet. (*Mat. 21. Luc. 19. Marc. 11.*) Ità prorsus evenit. Oppoſuerunt ſe quidam Diſcipulis, juſſa exequentibus, clamantes: heus! quidnam iſtud rei eſt? *Quid ſolvitis pullum?* Sed ecce! audito reſponſo: *Quia Dominus neceſſarium habet*; confeſtim nihil ultrà repugnare auſi, quieverunt. Idem ergo curandum tibi eſt, ut eveniat in omni etiam re, quam DEUS à te fieri deſiderat. Conſurgent quidem ex adverſo, ſimul atque illam agere inſtitueris, cupiditates, & rationes terrenæ, multa objicient, nulla lege illam præcipi, ſupervacuè ſe lædi, clamabunt. Sed quid reſpondere te oportet, ut tumultuantes compeſcas, & earum contradictioni ſilentium imponas? Nihil ſanè aliud, præter modò recitata diſcipulorum verba: *Dominus neceſſarium habet, Dominus operam ejus deſiderat.* Tale eſt cæleſtis Domini placitum: ità ille fieri amat: hoc ſatis ſupérque eſt, ut res protinus fiat, ut quilibet æquo illam animo ferat, probétque, & ſupremæ illi rationi ſuas omnes privatas rationes ſubmittat. *A Domino egreſſus eſt ſermo: non poſſumus extra placitum ejus quidquam loqui tecum.* (*Geneſ. 24*)

8. Ve-

8. Verè, ſapientérque ſcriptum eſt à Seneca, virum probum in quavis deliberatione unum id ſpectare, numquid fieri rem propoſitam deceat: & ſi decere agnoverit, eam illico aggredi non ultrà reputantem, quantò ſibi conſtatura impendio ſit. (*Ep. 66.*) *Ad omne pulchrum vir bonus ſinè ulla cunctatione procurret. Stet licèt illic carnifex, ſtet tortor, atque ignis, perſeverabit: nec quid paſſurus, ſed quid acturus ſit, aſpiciet.* Perinde quaſi ſecum dicat: res juſta eſt, erga facienda. At non parùm moleſtiæ, & incommodi afferet. Afferat vel amplius. Curæ mihi eſt, quid debeam agere, non quid poſſim pati. Mala feram, ſed bonus. Cujus fortitudinis exemplum eſſe poteſt Socrates, qualis à Platone deſcribitur, certiſſimus ſcilicet, cicutam, quamvìs innocens in ſuo carcere potiùs haurire, quàm oblata clam judicibus, prout amici ſuadebant, pecuniâ ab illo ſe iniquo ſupplicio redimere. Et ſanè voluptatis non exiguæ res eſt audire, quanta cum ſecuritate, & firmitudine animi egregius ille vir rationes rejiciat, quibus Crito ſuus familiaris eum hortabatur, ad mortem tali pacto evadendam. Quid contendis, inquit, ô amice! propoſiti à te conſilii utilitatem, facilitatémque mihi oſten-

ſtendere? Oſtende potiùs, quod pluris refert, unúmque aliquid ponderis in mea trutina obtinet, rectum pariter, honeſtúmque idem eſſe. Alioquin, quantumcunque ad vitæ conſervationem faciat, & quantocunque mihi ſtudio à te commendetur, nunquam inducturus animum ſum, illo uti. *Ego enim is ſum, qui meorum nulli paream, ſed ſoli rationi.* Mox cùm demonſtrâſſet, honeſtius eſſe, inimicis ſe necandum permittere, quàm clandeſtinis numorum pactionibus motis effugium quærere; ſubjungit, rationum, quæ id evincebant, ſonitu totum ſibi animum ità occupari, ut nihil ſenſûs jam retineat, non modò ad approbanda, ſed neque ad percipienda, quæcunque ex adverſo, vel amicorum benevolentia, vel inſitus à natura vitæ amor poſſit ſuggerere. *Hæc quidem, ô dulcis amice Crito! audire videor: atque in me ſermonum ejuſdem ſonitus adeò reboat, ut alia audire non poßim. Deſine ergo, & pergamus hac: quandoquidem hac nos DEUS ipſe ducit.* (*Plat in Crit.*) Quòd ſi Philoſophus hic, divinæ cæteroquin fidei expers, honeſtatem merè humanam, & naturalem tanti æſtimavit, adeóque præ illius amore cura omni, atque ſenſu contra iarum quarumvis rationum, & vitæ ipſius ca-

ruit; eruendum hinc tibi relinquo, quantò impensiori studio verus, ac fidelis DEI servus erga sanctissimam illius voluntatem, primam, æternámque honestatis totius regulam affici debeat: & quantò firmius decretum in animo habere, sese ubique ad eam conformandi, si vel ipsius vitæ jacturam facere oporteat. Tanta certè decreti hujus firmitudo esse in ipsius animo debet, ut quamdam propemodum necessitatis speciem referat, & impossibile ei videatur, placere DEO aliquid, nec à se illicet fieri, juxta illam Christi orationem apud S. Lucam: (*c. 22.*) *Pater, si vis, transfer calicem istum à me*: quam S. Matthæus hisce verbis expressit, (*c. 26.*) *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Tanquam si idem valeant hæ voces, *si vis*, quod hæ, *si possibile est*: nec animæ cælestem Patrem intimè amanti aliud videatur, gratum quidpiam, vel ingratum ipsi esse, quàm possibile, vel impossibile factu sibi esse.

9. Et ô te felicem! si ex perfecto DEI amore quàm firmissimè apud temet ipsum statueris, divinum illius placitum pro unica posthac volendi, & nolendi regula habere: adeò ut in quavis operandi occasione tecum protinus dicas: quidnam hìc DEUS à

me

me vellet? quidnam ei acceptius hìc eſt? neque aut rem ullam aggrediaris, in qua illius voluntatis character non appareat; aut ullam prætermittas, quæ notam adeò amabilem præferat: Iſraëlitarum exemplo, qui ad promiſſam Palæſtinæ regionem tendentes, non niſi ex DEI nutibus ſeu progrediendi, ſeu conſiſtendi auſpicia leguntur ſumpſiſſe. (*Numer. 9.*) *Ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium ejus figebant tabernaculum.* Felicem te! iterum dico: Quis enim dignè explicet, quot, quámque inæſtimabiles fructus ex hac perfectæ charitatis exercitatione tibi ſint proventuri? Proveniet, ut hinc primò ordiar, purgatio animi ab innumeris erroribus, vitiis, peccatis, intemperiis, perturbationibus, aliiſque hujus generis peſtibus, quæ ex propriæ voluntatis uſu oriuntur, illóque amputato omnes ſimul uno quaſi ictu exſcindentur. Proveniet una in omni tum externa, tum interiori operatione perfectio. Nam ùt corpus, tantò ad rite operandum eſt aptius, quantò magìs paret animæ, cui ſubditum naturâ eſt, ab eáque moveri ſe ſinit; ità & anima nunquam rectiùs operatur, quàm cùm DEO legitimo, ſapientiſſimóque Rectori ſuo mortui inſtrumenti

instar] se penitùs moderandam, &, quò ille voluerit, impellendam permittit. *Homo*, inquit D. Augustinus, *ità factus est rectus, ut non secundùm se ipsum, sed secundùm eum, à quo factus est, viveret, id est illius potiùs, quàm suam faceret voluntatem.* (*De Civ. L. 14. c. 4.*) Proveniet facultas evadendi plano, communique, & expositò omnibus tramite ad eminentissimæ sanctitatis fastigium. Cùm, teste D. Teresia, (*In Fund. c. 10.*) *manifestum sit, summam perfectionem haudquaquam in spirituali dulcedine, inque mentis raptæ supra se ipsam excessibus, sed in conjunctione nostræ voluntatis cum divina esse positam: adeò ut nihil sit, quod videamus DEUM velle, quin & nos idem plenè atque omnino velimus.* Proveniet supernaturalium quæstuum incredibilis copia: cùm omnes i actus, quos tam multos diebus singulis ex a more, atque studio voluntatis divinæ edes, charitatis Theologicæ actus futuri sint: virtutis nempe omnium excellentissimæ, quâque nihil majoris apud DEUM meriti est Proveniet suavis quædam libertas familiariter agendi cum DEO, tanquam cum parente amantissimo: adeò ut in dubiis, & angusti tuis rebus fidelissimè ad ipsum confugias, nihil dubitans, quin, sicut tu voluntatem ipsius pr

pro tua habes, neque unquam implere vel extra præcepti obligationem omittis; sic & ipse, qui à nemine in amando vinci se patitur, morem viciſſim geret voluntati tuæ, & juſta tua vota promptè implebit. Nam, ùt ſcribit D. Bernardus, (*Serm. 69. in Cant.*) *Qualem te paraveris* DEO, *talis oportet tibi appareat* DEUS. *Cum ſancto ſanctus erit, & cum viro innocente innocens erit. Quidni æquè & cum amante amans, & cum intento intentus, & ſolicitus cum ſolicito?* Proveniet, ſed quid ultra immoror, omnia ſingillatim recenſens, quæ indè emolumenta percipies? Satius erit ſummatim dixiſſe, ſi ſedulam charitati huic tam perfectæ operam dederis; *ventura tibi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilem honeſtatem per manus illius.* (*Sap. 7.*) Ità planè *omnia bona*: nam ità amanter DEI voluntatem in omni re ſpectare, atque implere, eſt mortali ſub corpore Angelorum ſpeciem referre, quos ſecundùm maximè propriam eorũ notionem, Regius Vates appellat: *Miniſtros* DEI *facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.* (*Vid. Pſ. 102.*) Eſt non hominum, ſed DEI vitam agere: qualiter hac ipſa de cauſa Paulum Apoſtolum vixiſſe obſervat Chryſoſtomus, ſcribens de illo: (*In c. 2. Ep.*

ad Gal.) *Quoniam ad voluntatem Christi faciebat omnia; non dixit: vivo Christo, sed quod longè majus erat, vivit in me Christus.* Est denique in præsenti adhuc exilio cæleste illud DEI regnum sibi anticipare, cujus adventum, juxta solennem orandi formulam à Christo nobis traditam, quotidianis precibus efflagitamus. Teste siquidem D. Petro Chrysologo: *Hoc est regnum DEI, quando & in cælo & in terra voluntas DEI est sola: quando in omnibus rebus DEUS vivit, DEUS agit, DEUS regnat, DEUS est totum.* (*Serm.* 67.)

CAPUT VI.

Quàm facilè hallucinari nos contingat circa DEI placitum: quantáque idcirco sedulitate certam illius in omni nostro actu perspiciendi rationem debeamus scrutari.

DEI amor, qui nos urget ad facienda, quæcunque agnoscimus ei magis placere; nequit fieri, quin stimulos etiam nobis addat ad investigandum, quidnam in omni opere nostro magis ei placeat. Quomodo enim credi possit

sit, bonum aliquod impensè ab eo expeti, qui dicat: ego quidem non omittam illud amplecti, quoties mihi ultro se obtulerit. Cæterùm non ità solicitus de ejusdem inquisitione ero, déque vestiganda ratione, qua illud certò assequi valeam? Ah non adeò incuriosus, & piger circa sua objecta amor est: neque sic negligi vel à negotiatore ingentis pretii gemmam, vel à Philosopho arcanam quampiam veritatem videmus, ut eas simul atque in conspectum suum venerint, sinè ullo examine pro legitimis, ac probis recipiant. Sed quemadmodum nôrunt & vitrum haud rarò colorari in falsam pyropi, aut smaragdi speciem; & illas, quæ mathematicæ demonstrationes videntur, nihil sæpe aliud, quàm subdola sophismata esse; sic neque primus induci se patitur ad pretium pro gemma sibi oblata solvendum, priusquam attento eam obtutu pluries spectârit, cúmque aliis haud dubiæ probitatis contulerit, & peritos rerum talium æstimatores sciscitatus de ea sit; neque alter conclusioni acquiescit, quæ certa, & indubitata primo aspectu videtur, nisi illam priùs ad statas dialecticæ leges accuratè explorârit, & propositiones, unde eruitur, suis rite momentis perpenderit, & ar-

gumenta, quibus oppugnari illius veritas poteſt, diſſolverit.

2. Hinc adeò cùm in veteri, tum in nova Lege commendari, tanquam rem ad perfectèDEO ſerviendum neceſſariam, videmus, perattentum, & diligens ſtudium, non modò exequendæ, verùm etiam indagandæ voluntatis divinæ. Commendat illud Jeremias, exigens, ut, ſi quando plures diverſæ viæ occurerint, nè earum quamlibet ſinè ullo diſcrimine ingrediamur, ſed ſuſpendamus greſſum, donec conſtiterit, quænam ſit melior. (*c. 6.*) *State ſuper vias, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Commendat B. Joannes Euangeliſta: nolens, ut abripi nos ſinamus à quovis ſpiritu, tametſi ſecundùm ſpeciem recto, & divino, nisi per idonea argumenta talem revera eſſe agnoverimus. (*Ep. I c. 4.*) *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex DEO ſunt.* Sed inprimis, & majori cum verborum pondere illud D. Paulus commendat. Nam & in epiſtola ad ad Coloſſenſes profitetur, continenter ſe DEUM obſecrare, ut eis plenè oſtendat, quid velit. (*c 1.*) *Non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis DEI*; & Philippenſibus

bus scribens, non satìs habet, amari ab iis DEUM, sed requirit præterea, ut eorum amor adjunctam sibi, & copiosam illam quidem habeat rerum, quæ DEO magìs placent, scientiam. (*c.* 1.) *Oro, ut charitas vestra magìs, ac magìs abundet in omni scientia, & sensu, ut probetis potiora*: & Romanos demum hortatur, ut solicitè exquirant, quonam pacto gratificari DEO maximè possint: (*c.* 12.) *Reformamini in novitate sensûs vestri, ut probetis, quæ sit voluntas* DEI *bona, & beneplacens, & perfecta.* Quam recti itineris in divino famulatu tenendi solicitudinem non studiosiùs ille aliis inculcavit, ac penitùs fixam suo in animo habuit: reversus propterea iteratò Hierosolymam, cúmque aliis Apostolis de prædicatione sua collocutus, *nè forte in vacuum curreret, aut cucurrisset.* (*Ad Gal.* 2.)

3. Secundùm hæc igitur sacrarum Literarum documenta, atque monita veri omnes DEI famuli, quàm ardenter cupiebant cælesti Domino in omnibus vitæ suæ actis placere; tam intenti semper fuerunt ad explorandum, quid ei maximè gratum foret, quóque pacto serviri sibi ab ipsis vellet: nulli parcentes diligentiæ in hac re investiganda, nec sola probabilitate contenti, si certam assequi

illius possent notitiam : sed, prout scribit D. Bernardus, (*Serm 17. in Cant.*) *metuentes, & vehementer exæstuantes, nè fortè*, inter duas occupationes, utramque alioquin sanctam, putà rerum divinarum contemplationem, & piam proximorum curam; *alteri plùs justo inhærerent, & sic in utrolibet vel ad modicum à divina deviarent voluntate.* Cujus studii, præter memoratum paulò ante sanctissimum Gentium Doctorem Paulum, nobile exemplum universæ posteritati esse possunt, Regius Propheta David, & Seraphicus Pater Franciscus Assisias. Nempe alter Psalmo 142. coram DEO provolutu submissè ab eo flagitat, certior fieri de via, qua sibi incedendum in famulatu ipsius sit : *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es tu.* Psalmo 118. quater scrutinii voce exprimit suam in divinæ legis sensu exquirendo sedulitatem: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. Declinate à me maligni, & scrutabor mandata DEI mei. Mirabilia testimonia tua : ideo scrutata est ea anima mea.* Quasi diceret, quod postea scriptum à D. Bernardo est: (*Serm. 62. in Cant.*) *Formidolosa scru-*

ſcrutatio majeſtatis: at voluntatis tam tuta, quàm pia. Quidni totâ diligentiâ inſtem, ſcrutando ſacramento voluntatis, cui parendum per omnia ſcio? Alter verò, cùm poſt accuratam, & pluries repetitam penſitationem diſcernere per ſe ſatìs nequiret, quidnam DEUS fieri à ſe mallet: num ut ſolitariæ orationi totum vitæ ſuæ tempus impenderet, an ut proximorum etiam ſaluti operam daret; miſit rogatum D. Claram, ſacráſque illius Virgines, ut ea ſuper re DEI voluntatem precibus ſuis explorarent, & perceptam ſibi aperirent. Mox cùm nuntius expetitam dubii deciſionem ferens redîſſet, non aliter, quàm ſi à DEO ipſo miſſus adveniret, primò quidem pedes ei abluit, tum ad montem vicinum hominem duxit: ibíque flexis coram eo genibus, & brachiis ſupra pectus in crucis ſpeciem decuſſatis. Quidnam, inquit, fieri à me vult Dominus meus JEſus Chriſtus? Demum ab eo audiens, placere DEO, ut præter privatæ contemplationis ſtudium ad æternam quoque animarum ſalutem procurandam incumberet; tanta cũ lætitia, & alacritate id reſponſum excepit, ut ad navandam quantocyùs juxta auditum DEI placitum proximis operam, curſum illico è monte arripuerit, pérque medios ſaltus, atque

que agros fervore ſtudii ſui actus, properaret ſe hominibus reddere. (*Plat. de St. Rel. L. 1. c. 18.*) Quapropter, ſi cæleſtem noſtrum Dominum tam perfectè diligimus, quàm hi, cæteríque horum ſimiles illius ſervi eum dilexêre; haud ſufficit nobis, firmum propoſitum impigre faciendi, quæcunque ipſi placere agnoverimus; ſed neceſſarium quoque eſt ſolers ſtudium eadem certò agnoſcendi, ut, quemadmodum illud prohibet, nè per torporem, atque ignaviam; ità hoc prohibeat, nè vel per errorem, atque inſcitiam eorum quidquam, quæ à nobis ille agi vult, omittamus. Alioquin, ſi hujuſce ſtudii ſolertiam negligimus, palàm faciemus, minori, quàm perfectus illius amor requireret, nobis curæ eſſe, omnimodam executionem voluntatis divinæ. Audiatur D. Bernardus: *Sapientia* DEUS *eſt, & vult ſe amari, non ſolùm dulciter, ſed etiam ſapienter. Unde Apoſtolus, rationabile, inquit, obſequium veſtrum. Alioquin facillimè zelo ſuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas. Nec habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm ſi efficere poſſit, ut in ea incautè, & non cum ratione ambulemus.* (*Serm. 19. in Cant.*)

4. Et

4. Et verò numquid adeò manifestè Dei voluntas in omni re hominibus patet, ut nihil periculi immineat, nè pluries ipsius locò eligatur, quod ipsi seu minùs consentaneum est, seu etiam contrarium: sed satìs ad eam implendam sit generale propositum, faciendi ubique, & in omnibus, quidquid existimetur DEUS velle? At longè aliter judicare unanimis ex adverso sacrorum Voluminum, & Sapientûm sensus nos cogit. Si enim Dei voluntas manifesta in luce sese omnibus proderet, quidnam causæ esset, cur Baruch Propheta, de clara ejus notitia, tanquam de peculiari privilegio, Israëlitis gratularetur, dicens: (*c.* 4.) *Beati sumus, Israël, quia, quæ DEO placent, manifesta sunt nobis*? Et, si ad eam ubique implendam solus charitatis fervor sufficeret, quid necesse B. Petro Apostolo erat, nos hortari, nè ab inconsulto fervore extra rectum iter abripiamur? (*Ep.* 1. *c.* 4.) *Nolite peregrinari in fervore.* Certè, si ità se haberet, supervacanea omnino DEI famulis discretio esset, quæ tamen ab omnibus interioris vitæ Magistris adeò commendatur, ut D. Bernardus de illa pronuntiet: (*Serm.* 49. *in Cant.*) *Tolle hanc, & virtus vitium erit. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit: or-*

do

do modum tribuit, & perpetuitatem. Ah nimis proclive, & usitatum est inter homines, scribit D. Gregorius, circa interiores motus suos falli, tribuendo spiritui, quod à carnis instigatione oritur : (*Hom. 5. in Ezech.*) *Plerumque impetus carnis se sub spiritualis impetûs velamine palliant : & , quod carnaliter facit , mentitur sibi ipsa cogitatio , quod spiritualiter faciat.* Quin imò tam clarè, patentérque id dilucet, ut etiam ab ipsis Ethnicis in cæca infidelitatis nocte perspectum fuerit. Unde & Tacitus eximiæ laudis locò in Agricola habet moderationem sapientiæ : (*In Vit.*) *Retinuisse illum*, scribens, *quod difficillimum est, ex sapientia modum*; & Aristoteles inter impedimenta virtutis recenset, non solam alienationem voluntatis ab illa amplectenda; sed exiguam quoque mentis perspicacitatem in ea dignoscenda : (*L. 1. Eth. c. 9.*) *Probum*, inquiens, *virum esse difficile est , quia in omni re medium invenire difficile est* ; & Poëta ille morum censor monet, vitia compluries sub ascititia virtutum larva latere : ut proinde ad ea declinanda haud satis sit intestinam eorum deformitatem odisse, nisi etiam discernatur, qua oculos capiunt, extimæ honestatis fallacia. *Fallit enim vitium specie virtutis , & umbra.* (*Juven. Sat. 14.*)

5. Ne-

5. Neque paucæ, vel obscuræ, abstrusæque sunt causæ, unde modò commemorata oritur difficultas perspiciendi, quid in quovis vitæ actu sit optimum, & divinæ voluntati maximè congruens. Nam primò, juxta verissimum Ecclesiastici effatum : (*c.* 37.) ***Non omnibus omnia expediunt***, nec, quidquid à nonullis laudabiliter fit, factúmve est, pari itèm cum laude ab aliis quoque fieret. Sed multæ in sanctorum virorum gestis actiones occurrunt, quibus licèt ipsi DEO impensè placuerint; si quis tamen ipsorum virtutis expers imitari easdem vellet, non solùm Deo non placeret, sed & displicere ei posset. *Rectè quædam ab aliis gesta* (juvat Cassiani verbis rem eloqui) *malo ab aliis præsumuntur exemplo, & , quæ nonnullis bene cesserant, perniciosa ab aliis sentiuntur. Nam si eadem quis agere, non eodem affectu, aut dissimili virtute præsumpserit; profectò exinde laqueum mortis incurrit, unde alius æternæ vitæ fructus acquirit.* (*Coll.* 14. *c.* 7. *&* *Coll.* 24. *c.* 8.) Utque in peculiari quopiam exemplo luculentiùs id pateat, de S. Paulo Anchoretarum Principe, déque aliis quàm plurimis illius imitatoribus proditum memoriæ legimus, potiorem eos vitæ partem duxisse ab humano commercio disjun-

junctos, omníſque exortes ſubſidii, quod à frequenti Sacramentorum uſu, diviníque verbi pabulo, & ſpiritualium magiſtrorum regimine humana imbecillitas percipit: neque dubitare fas eſt, quin ejuſmodi itinere ad eximiam ſanctitatem pervenerint. Sed num ideo quicunque alius, eſto imperfectus, rerúmque ſpiritualium rudis, ac tyro, prudenter fecerit, ſi illud idem vitæ inſtitutum arripiat? Imò potiùs perinde id multis foret, ac per Sanctorum veſtigia orcũ versùs contendere? Legimus quoque in D. Joannis Eleemoſynarii vita de Monacho quodam nuncupato Vitale, qui Alexandriæ totos dies mercenariis miniſteriis operam locabat, noctu verò jam ad hanc, jam ad illam ex fœminis quæſtum corpore facientibus diverte-bat, diurni laboris ſui pretium iis offerens, dummodo noctem illam inſontem tranſigerent, & apud eas uſque ad diluculum in angulo orans, tanquam pactæ continentiæ exactor, & cuſtos. (*Sur. in vita 23. Jan.*) Quam vivendi rationem, licèt DEO grata in ipſo eſſet, prout complurium ejuſmodi mulierculárum converſiones, & patrata ab ipſo miracula teſtabantur; quotuſquiſque tamen non videt, manifeſtam permultis exitii occaſionem

nem futuram ? Idem dic de familiari uſu, quem D. Franciſcus Xaverius habebat cum aleatoribus, & concubinariis, ſedens juxta primos, dum ludo operam darent, séque ultro convivam alteris offerens, *ut omnes lucri faceret.* Idem de imitatione ſtulitiæ, qua S. Simeon, Salo indè cognominatus, ad mundi honorem, vulgíque opiniones proculcandas uti ſolebat. Idem de extraordinariis, graviſſimíſque afflictationibus, queis Stylitæ, Macarii, Petri de Alcantara, aliíque inſignes DEI ſervi diſcruciâſſe ſua corpora, & tantùm non mactâſſe traduntur. Quid plura? Ullúmne magìs palmare edi poteſt charitatis ſpecimen, quàm occaſiones, ſanguinis, atque ſpiritûs pro DEO effundendi captare? Et tamen ille D. Pachomii alumnus, (*Maſ. in Vit. tredec. Conf.*) tentare auſus ejuſmodi aleam, nimiùm quàm exitialem ſenſit, Apoſtata è certamine abiens, in quo Martyris decus ſe adepturum crediderat. Unde promptum eſt, arguere, quàm ignari eorum ſimus, quæ nobis privatim expediunt, & facienda hic, aut illuc ſunt, ut DEI voluntatem certò impleamus.

6. Accedunt huc fraudes hoſtis tartarei, qui juxta D. Pauli teſtificationem, (*2. ad Cor.*

c. 11.) *transfigurat se in Angelum lucis*, ad capiendos doloſa boni ſpecie, quos apertis ad malum inſtigationibus nequiviſſet ſubvertere. Quarum fraudum innumera adduci poſſent exempla, ſed brevitatis gratiâ tria hìc tantùm retuliſſe ſuffecerit. Et primum ſit ſubtilis illa ars, qua P. Georgium Juſtinianum, Apoſtolicum noſtri Ordinis Concionatorem ab ipſomet religioſæ vitæ tyrocinio oppugnare eſt aggreſſus: ſingulis nempe noctibus ſub mentita DEI paræ imagine intuendum ſe illi exhibens, quò is, præ nimia cæleſtis ſibi oblati ſpectaculi jucunditate, neceſſariis ad corpus, animúmque reficiendum ſomni obliviſceretur, contractáque ex perpetuis vigiliis inſaniâ, vel alio immedicabili morbo perdurare in vita religioſa nequiret. Sed fraus, quamvìs ad aliquot dies lepidè, éque authoris ſententia proceſſiſſet, ſuo demum exitu caruit. Siquidem tyronum magiſter inſolitam in adoleſcentis vultu maciem obſervans, ſciſcitatus ab eo eſt rei cauſam. Eáque cognitâ, juſſit illum, ſimul atque importunum ſpectrum ſibi denuo apparuiſſet, per ſacroſanctum DEI Nomen ab eo quærere, quidnam perſonæ eſſet, cúrque tam crebrò ſe inviſeret. Cujus adjurationis vi coactus

eſt

est avernalis tenebrio se prodere, & fallax scena cum artificis probro, ac dedecore in perpetuum evanuit. (*In Vit. c. 2.*) At non ità improspere cum alio eremi incola ludus cessit veteratori nequissimo. In antiqui familiaris speciem subornatus eum adiit: dictáque, & accepta salute, fabulam narrari illi est aggressus de patris sui obitu, qui, paucis antè diebus è vita decedens, ipsum ex asse reliquisset suorum hæredem bonorum: adhortans idcirco, ut quàm primùm in urbem rediret, ad capessendam paternæ hæreditatis possessionem, si minùs eâ fruiturus, at saltèm ad alienæ egestatis subsidium usurus. Quo expleto charitatis officio, liberum deinde ipsi foret, ad amicæ solitudinis otium postliminio reverti. Acquievit credulus Anachoreta subdolis vocibus: sed vix in patriam regressus, en occurrere sibi videt parentem, quem fato esse functum, atque humatum audierat. Rogatúsque ab eo de reversionis suæ causa; cùm ob inopinam adeò speciem confusus, perturbatúsque, nihil aliud responsi inveniret; finxit illius se amore, ac desiderio impulsum, ut rediret, fuisse. Suóque hoc responso implicatus, & vitæ laxioris suavitate detentus, eremi cogitatione able-

gata, domi unà cũ ipſo ſanctioris vitæ tranſfuga deinceps permanſit. (*Spec. Exempl. Diſt. 2. Ex. 124.*) Claudat hunc locum exemplum illius Monachi apud Caſſianum, quem ſtygius tenebrio Angelum lucis mentitus, ſuis præſtigiis, & technis circumvenit, ut ei perſuaſerit, Abrahami ſacrificium pe agere, immolando filii ſui caput, quem ſecum in cœnobio educabat. Jámque moliebatur exequi atrox conſilium: & executus procul dubio fuiſſet, nisì quòd puer, longè ipſo ſagacior, rem ſubodoratus, vel quia cultrum inſolitâ diligentiâ ab eo acui videret, vel quòd fortè de prompto Iſaaci ad immolationem ſiram animo loquentem audiret; fugâ providè arreptâ, parricidales illius manus evaſiſſet. (*Col. 2. c. 7.*)

7. Quanquam, ut verum loquar, multò adhuc magis metuendæ ſunt fraudes domeſtici alterius cacodæmonis, noſtri nempe affectûs, & genii: propter miram, & penè ineluctabilem ei inſitam vim, depravandi judicii, efficiendíque, ut id eſſe meliùs exiſtimemus, quod ipſi magis arridet: prout quotidie in veſcendo experimur, ubi ſecundùm obſervationem D. Auguſtini: (*Ep. 109.*) *Etiamſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat.*

Qua-

Quapropter, si quis fortè peculiari naturæ suæ instinctu ad quietem, otiúmque propendeat, quantumcunque habilis cæteroqui sit, ad curandam fructuosè animarum salutem, facillimè sibi persuadet, non posse à se DEO meliùs serviri, quàm si in sacro secessu per assiduam contemplationem illi intimè adhæreat. Quemadmodum è contrario, qui proclivi ad res gerendas, & conversandum cum hominibus indole præditus est, non exiguo versatur in discrimine, nè sub prætextu charitatis exercendæ erga proximos, minùs, quàm par esset, sibi, ac DEO vacet. Atque ità *sua utrique DEUS fit dira cupido*: & magis DEO se placere arbitrantes, minùs revera illi placent. Neque in his tantùm, verùm etiam in aliis proprium innatæ affectionis est, glaucoma oculis obducere: repræsentando videlicet, tanquam divinæ gloriæ zelum, quod ex impetu iracundiæ facimus: tanquam honestum, & laudabile obsequium, quod ex ignavo alienæ offensionis metu præter fas hominibus indulgemus: tanquam tuendæ veritatis studium, quod pervicacia judicii est: tanquam necessariæ authoritatis custodiam terreni honoris cupidinem: & tanquam valetudinis, viriúmque fulcimentum, delica-

tiorem corporis cultum. Quæ genii fallaciæ, cùm D. Augustino compertissimæ essent, assidua illum suspensione animi torquebant, circa usum rerum hinc delectabilium, indè autem necessariarum, aut salubrium: nescientem nimirum statuere, quatenus iis utendum sibi esset: & an prævalere apud se deberet metus concupiscentiæ illuc impellentis; an studium utilitatis indè promanantis. Audi illum super cibatûs mensura: (*Confes. l. 10. c. 31.*) *Sæpe incertum fit, utrùm adhuc necessaria cura corporis subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas necessitatis? His tentationibus quotidie conor resistere, & ad te refero æstus meos: quia consilium mihi de hac re nondum stat.* Audi, super sacra divinarum laudum modulatione, cujus concentu, quemadmodum magnopere se excitari ad pios affectus sentiebat, ità verebatur simul, nè ad eam magis à sensibili aurium pruritu, quàm ab interioris sensu pietatis traheretur. (*Ib. c. 33.*) *Ità fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis.* Audi circa æstimationem, & benevolentiam hominum, quàm iis, qui DEI famulos diligunt, atque honorant, perutilem, tam

his

his metuendam ob anceps discrimen, nè inordinato illius amore irretiantur. *Ecce video me laudibus meis non propter me, sed propter proximorum utilitatem moveri oportere: & utrùm ità sit, nescio.* (*lb. c. 37.*)

8. Quod si fortè aliquis, ad prædictas amoris proprii technas vitandas, in quovis vitæ actu, ad partem propensionibus suis magis contrariam deflectere instituat; poterítne hoc saltèm pacto sibi satis consulere, nè unquam à DEI placito diversus abeat? Neque hac ratione id certò assequetur. Nam vel moderatè, & quantùm sibi satis videtur, vel quantùm plurimùm poterit, & sinè ullo certo fine, atque modo, à parte genio magis grata in adversam deflectet. Si primum: aliqua semper timendi causa erit, nè à naturali suo instinctu minùs quàm par erat, utpote occultis illius fraudibus, atque illecebris detentus recesserit. Sin verò alterum: quidnam tandem id fuerit, nisi moderationis, prudentiæque illius omnino oblivisci, sinè qua, ùt suprà jam vidimus, virtus ipsa in vitium desciscit? Nisi Spiritui sancto repugnare præcipienti: (*Eccles. 7.*) *Noli esse justus multùm, neque plùs sapias, quàm oportet sapere?* Nisi cursim tendere, sed extra legitimum

tramitem, contra prudentissimam D. Augustini monitionem, dicentis: (*Serm. 55. de Verb. Dom.*) *Melius est intrà viam claudicare, quàm extra viam fortiter ambulare?* Nisì insanire, præ inconsulto sapientiæ, ac virtutis studio, ceu cordato illi Poëtæ visum est, cùm scripsit: (*Horat. Ep. 6. L. 1.*) *Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui, ultrà, quàm satìs est, virtutem si petat ipsam?* Nisì demum contra ipsummet suum finem, ac propositum agere: reddendo se scilicet ob malè providam DEO magìs placendi sedulitatem, ejusdem placitis exequendis minùs idoneum: adeò ut ipsi quoque accomodari possit illud Jeremiæ effatum: *Quia plus fecit, quàm potuit, idcirco perierunt?* c. 48.)

9. Exemplo illustrior res fiet. Fac, præfervidæ, animosæque indolis quispiam vitam legat sancti alicujus viri ob eximiam in corpore afflictando severitatem apprime conspicui. Illico intrà se dicet: hoc enim verò est seriò rem agere; hoc DEI placitum naturæ propensionibus anteferre, pérque sanctum sui odium, perfecto illius amori sese habilem fingere. Quid multa? Decernet paria ipse quoque aggredi, & simile corpori bellum indicere. Nec quamvìs prospiciat facilè e-

ven-

venturum, ut nova illa vivendi auſteritas valetudinem ſibi peſſumdet, & ad alia majoris momenti opera ineptum ſe reddat, propoſito abſiſtet: ſed id genus diſcrimina, tanquam inanes larvas, & terricula ab innato mollioris vitæ appetitu ſibi objecta, flocci faciens, alacri animo inſtituet, hoſtiliter ſecum agere, & corpus, quantùm poſſit maximè, flagellis, ciliciis, jejuniis, ac vigiliis atterere. Hic certè honeſto, & laudabili ſecundùm genus ſtudio ad ità operandum movetur: neque ambigi poteſt, quin propterea hujuſmodi, eſto immoderatis, ideóque haud omnino, & abſolutè probandis ſui afflictationibus DEO placeat. Sed, en tibi, poſt non multi temporis ſpatium caput ei perquam graviter debilitatur, ſtomachus languere incipit, viréſque adeò percelluntur, ut non modò cœptas ſui vexandi exercitationes proſequi nequeat; ſed cogatur inſuper Medicorum ſe arbitriis permittere, & ad plures menſes ab omni vel moderato corporis cruciatu temperare, imò extraordinariis quoque illud blandimentis fovere: prætérque id uſitata etiam orandi exercitia, & priſtinos pro utilitate labores relinquere: opera ſanè, quibus DEO magis gratificari, & illius gloriam ex-

tendere latiùs potuiſſet, quàm illo inconſulto, brevíque adversùs ſe ipſum rigore. Ut proinde in juſto acriorem illius ſeveritatem appoſitè quadret, quod de immodica largiendi proluvie ſcripſit M. Tullius: ipſam ſcilicet exitio ſibi eſſe, dúmque ſuæ materiæ non parcit, ex nimio ad nihilum redigi. (*De Offic. L. 2.*) *Largitio fontem ipſum benignitatis exhaurit. Ità benignitate benignitas tollitur. Quid autem ſtultius, quàm, quod libenter faciat, curare, ut diutiùs facere non poſſis?* Adde, quòd plura itèm alia, nec exigui ſanè ponderis detrimenta ex illa immoderatione proveniunt. Provenit inprimis periculum, nè paulatim propter breviorem orandi uſum, variáſque tum corporis, tum animi remiſſiones, quas diutina invaletudo requirit; circa ipſam perfectionis ſubſtantiam, & interioris quoque profectûs, ac mortificationis ſtudium lenteſcat. Provenit rurſus puſillorum, & imperfectiorum offenſio, qui à minùs proſpero ejus ſucceſſu deterreri facilè poſſunt, nè & ſibi eadem conantibus idem eveniat, atque hinc alienationem animi concipere à caſtigando neceſſariis etiã, & moderatis afflictationibus corpore, dicentes: (more ignavorum hominum, & cupidè arripientium

prx-

prætextus, unde ſua excuſetur ſocordia) ab aggredientibus nimia, nè juſta quidem præſtari: conſultiúſque eſſe, in modico acquieſcere, quàm totum amittere. Provenit denique timendi occaſio, nè ipſe quoque à nimia ſeveritate in nimiam erga corpus ſuum indulgentiam delabatur: cùm perſæpe contingat, ut, juxta vulgare proverbium, qui ferventi aqua aduſtus eſt, vel tepidam cavet: nempe ut qui animoſus plùs nimiò fuit ad aggredienda, quæ ſuas vires excedebant; ſi improſpero eventu mulctetur, juſto timidior evadat, & præ ſupervacua, & immoderata cautela etiam ea, quæ poſſet, aggredi omittat: non ſinè impendio ſuo experiens, quàm verè Caſſianus ſcripſerit: (*L. 3. c. 8.*) *Totum procul dubio carni reddet, quiſquis ei non rationabiliter partem ſubtrahere, ſed totum tentaverit denegare: &, ut veriùs dixerim, non ſuperflua, ſed neceſſaria voluerit amputare.* Unde colligitur, non fuiſſe ex majori DEI gloria illam rigoris nimietatem, unde tantum divinæ gloriæ deceſſit: nec propterea certam rationem divini placiti attingendi eſſe, ſi homo in omni vitæ actu, quantùm maximè poteſt, contra ſuum placitum tendat: ſed pro certo haberi oportere, quod memoratus paulò ante

te Cassianus subjungit: DEUM scilicet (*Coll. 21. c. 22.*) *Nihil ad cultum, atque honorem suum absque judicii moderatione fieri velle: quia honor Regis judicium diligit:* ac proinde, velut omnia legis antiquæ sacrificia sale condiri jubebat, (*Levit. c. 2.*) *In omni oblatione tua offeres sal*; sic in omni legis novæ sacrificio moderationis, & prudentiæ, mystici nempe salis, condimentum requirere: secundùm illa Apostoli verba, quibus nos obsecrat, *ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium nostrum.* (*Ad. Rom. 12.*)

10. At fortasse hìc quispiam responderit, ad DEI providentiam spectare, ut suos famulos à prædictis discriminibus incolumes servet, neque idcirco, quòd magis ei placere contendant, ità errare cum spirituali detrimento suo sinat. Quapropter in vitæ sanctioris curriculo nullam esse valetudinis rationem ducendam, consueti nimirum prætextus, quo inertia se studet tueri: sed fortiter, cúmque certa divinæ opis fiducia contra genii, atque corporis propensiones pugnandum. Præsertim quòd morbi fortuita de causa, nedum ex Euangelicæ perfectionis studio contracti, majorem adjuvandi, quàm

impediendi spiritualis profectûs vim habent: ceu multorum exempla testantur, quos in corpore malè affecto, ac propemodum semimortuo integrum conservâsse animi robur, déque pristino orationis, & mortificationis ardore nîl penitùs remisisse accepimus. Qualem inter alios se exhibuit D. Fulgentius, qui, ùt in vita ejus refertur, præ nimio abstinentiæ rigore in morbum lapsus, (*Apud Sur.* 1. *Jan.*) *Contra spem omnium ex infirmitate corporis majores vires animi capiebat: & tantò abstinentior, quantò debilior, de salute perpetua jugiter cogitabat, salutem verò corporis arbitrio Domini committebat.* Qualis itèm fuit præstans ille famulus, Benjaminus nomine, quem refert Palladius à se inventum, tam enormi hydrope turgentem, ut ambabus manibus unum ex illius digitis complecti nequiret: verùm adeò simul illius morbi securum, ut profiteretur, se invisentibus suum corpus, neque dum valeret, quidquam sibi utilitatis attulisse; neque nunc infirmum damni quidquam afferre. *Orate filii, nè meus internus homo hydropicus sit. Hoc enim corpus neque cùm bene se haberet, mihi quidquam profuit; neque cùm malè, me læsit.* (*Hist. Laus. Sect.* 12.)

11. Ta-

11. Talis, inquam, nonnullorum esse hìc responsio poterit: sed responsio nullius ponderis, neque secundùm ullam partem refutari difficilis. Esto quippe, ad paternam Dei providentiam pertineat, curare, nè sui famuli præ ipso suæ certiùs inveniendæ voluntatis studio ab ea longè devii ferantur; id tamen ità intelligendum est, si prædictum illorum studium non temerarium, & præceps, sed rationabile, & prudens fuerit: nimirum si ipsi ad certò inveniendum, quid in omni vitæ suæ actu DEO magìs placeat, eâ regulâ utantur, quam ille hujus rei gratiâ ad manum esse omnibus voluit, & nos paulò infra explicabimus: non verò si eâ prætermissâ aliam incertam, & plerumque fallacem, qualis est proprium judicium, adhibeant. Fateor itaque, & sequenti capite ostendam, nullo fieri modo posse, ut DEUS eos falli permittat, qui suam voluntatem tramite omnibus indicato, & proposito assequi studeant: nihil enim aliud hoc foret, quàm se amantes, sibique fidentes decipere. Sed simul contendo, perquam proclive factu esse, ut à quæsito divinæ voluntatis termino in abrupta, & præcipitia errabundus divertat, qui prædictam longè tutissimam, & rectà illuc ferentem viam

am deferens, aliam dubii exitûs, periculíſque obnoxiam arbitratu ſuo eligit. Qui hac tam parùm appoſita ad ſuum finem electione palàm facit, neque magnæ admodum curæ ſibi eſſe DEI placitum, dum illud, quà certò invenire poſſet, quærere omittit: ac proinde ab ipſius non ſtudio, & amore, ſed neglectu, atque incuria in fraudem deducitur.

12. Quod verò ad morborum effectus attinet, facilè aſſentior, utiles illos potiùs, quàm adverſos interiori ægrotantium perfectioni eſſe, quando ſua vi omnem in his ſenſum corporeæ voluptatis extinguunt, uníque illos vivere dolori permittunt: at non itidem, quando invaletudo veriùs curæ indigens, quàm gravis infirmitas eſt, nec aliud ferè incommodi affert, quàm quòd inhabilem ordinariis obeundis miniſteriis hominem reddat. Cùm facilè admodum ſit, ut hujuſmodi intemperiis exercitus, niſi in ſancto ſui odio, & DEI amore multùm proceſſerit, partim ab invaletudinis ſuæ otio, partim ab exigua ad res divinas meditandas habitudine, partim à neceſſaria refovendi corporis cura, & quotidiano longioris ſomni, ſelectioris cibi, aliorúmque id genus ſenſui blandientium remediorum uſu, non mediocre ſpiritua-

tualis sui profectûs detrimentum accipiat. Præterquam quòd corporis ægritudo, etsi nihil ea laboranti spiritualis incommodi afferret, vetat eum nihilominus multa operari ad insigne proximorum bonum, párque divinæ gloriæ incrementum utilia. Quamobrem, qui pro unico suarum actionum scopo majus DEI obsequium sibi proposuit, vitare illam debet, tanquam huic suo fini adversantem: neque in eum ultro se statum conjicere, ubi, licèt pro viribus DEO servire contendat, minùs tamen ad obsequium, gloriámque ipsius operari poterit; quàm in alio operari posset, commodæ nimirum, integræque valetudinis statu.

13. Nego demum, morbos ex inconsulto majoris boni studio contractos, spirituali ægrotantis profectui, ac DEI obsequio minùs officere, quàm qui ex fortuitis, naturalibúsque causis originem ducunt; tum quia in hisce posterioribus nihil loci habent illa propriæ, alienæque offensionis pericula, quibus causam, vel occasionem præberi à prioribus vidimus: tum quòd in iisdem homo non per suam imprudentiam ad ea sese inhabilem fecit, quæ bona valetudine utens, sanctè, utilitérque patraret; sed per meram DEI volun-

luntatem talis evaſit: ac proinde, ſi infirmitatem ſuam ex ſanctiſſimis illius manibus libens accipiat, ſperare indubitanter poteſt, illam ſibi per ejuſdem auxilium lucro potiùs, quàm fraudi futuram. Quod ſi aliqui ex ſanctis viris nihil penſi habuerunt, nimiis afflictationibus corporis ſuam valetudinem labefactare, reſpondeo, nihil indè elici ad immoderatæ auſteritatis defenſionem poſſe. Vel enim ii per voluntarias hujuſmodi pœnas ad alia majoris divinæ gloriæ opera inepti evaſerunt; & dubitari tunc minimè poteſt, quin eas moderando plus obſequii præſtitiſſent; vel quamvis ægroti perrexerunt, nihilo ſanis minùs pro gloria illius laborare; & hic ab illo uſitatum præter morem impertitus iis vigor palàm demonſtrat, peculiari ejuſdem inſtinctu ad piam illam in ſuum corpus ſævitiam motos fuiſſe, neque ideo pro certa, & communi regula eſſe omnibus poſſe.

14 Supereſt jam, ut poſtquã vidimus, quàm facilè hominibus ſit hallucinari circa voluntatem divinam, quámque idcirco neceſſarium, omni curâ, atque ſtudio ad diſcernendam eam uti, videamus, quonam pacto id aſſequi omnes poſſint. Neque enim credi poteſt, DEUM, qui providè adeò, largéque,

& ad res minoris momenti necessaria nobis instrumenta suppeditat; hìc, ubi de maximè necessaria re agitur, omnis nos subsidii expertes reliquerit. Itaque amantes DEI animæ, & quarum in corde assiduum, flagrantissimúmque votum est, ei, quantùm maximè liceat, placere, agite, huc adeste. Ego quippe omni asseveratione promitto, facillimam indicaturum me vobis, & nemini non patentem viam, quam si teratis, nè latum quidem unguem, aut transversum digitum à DEI placito declinare unquam poteritis. *Et erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur. Et hæc erit vobis directa via, ità ut stulti non errent per eam.* (*Isai. c. 35.*) Magni ultra modum pretii est thesaurus, quem polliceor, summa, quam in vobis cerno, illius acquirendi cupiditas. Age, missis ambagibus, illum tandem monstremus.



CA-

CAPUT VII.

Obedientiæ virtutem unicam viam esse, qua in omnibus certissimè reperiri voluntas DEI possit.

DUo sunt, quæ obedientiæ hìc attribuuntur decora : alterum, quòd ea dirigente certi sumus, divinam nos in omni vitæ actu reperturos voluntatem: alterum, quòd secundùm ordinarias divinæ providentiæ leges nullo alio ductu, & regimine tantum id boni indubiè assequi possumus. Utque breviùs ambo colligantur, quòd ad finem prædictum trames illa est & certus, & unicus: decora sanè, quàm singularis pretii, & ad omnes, qui DEUM amant, in illius amorem rapiendos idonea ; tam cuivis necessariò fatenda, qui eorum probationes justa lance perpendat. Nam, ad primum quod spectat, ordinarium hunc esse, & juxta communem providentiam perpetuum DEI amorem videmus, ut homines in præsentis vitæ statu gubernet, non utique aut per se ipsum sensibili modo eis apparens ; aut per Ange-

los, qui in quavis re ambigua illis divinam voluntatem manifestè declarent: sed per aliorum hominum regimen, quos ad hunc usum suos quasi Vicarios constituit. Unde & Cornelium Centurionem allocutus quidem per Angelum est: (*Act. 10.*) sed ità, ut eũ fidei institutionem à Petro Apostolo petere juberet: & cùm ipsemet præsens Saulum convertisset, non tamen, quid ab eo fieri vellet, quamvìs roganti, significare per se ipum voluit, sed de hoc edocendum ad Ananiam suum ministrum transmisit, respondens: (*Ibid. c. 9.*) *Ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Quod ambigi nequit, quin ab eo fiat, tum propter alias majoris nostri boni causas, tum inprimis, ut tantò magìs emineat nostra illius placitis obedientia, quantò minùs apparet in persona hæc nobis proponente suprema ejus Majestas. Quemadmodum majus exhibet principi obsequium, qui eum suis in ministris, quàm qui in se ipso duntaxat reveretur, & colit: útque quivis orthodoxæ fidei cultor altiùs intelligentiam suam DEO subjicit, summa mentis firmitudine credens mysteria, quæ toti Ecclesiæ revelata ab eo sunt, quàm si eadem sibi peculiariter, & nominatim revelata ex ipsomet illi-

illius præsentis ore accepisset. Nam quid, rogo, excellenti dignum laude à nobis præstaretur, si audientes DEUM ipsum, manifesta sub specie aliquid præcipientem, vel affirmantem, induceremus animum promptè illi obtemperare, & indubitanter credere? Nihil certè singulare, atque eximiũ in hujusmodi obedientia, & fide appareret. At nunquam eum palàm loquentem vidisse audîsséque, & tamen exequi, ac credere, quidquid ejus nomine ab aliis hominibus illius ministris proponitur: neque minùs sedulò exequi, & minùs firmiter credere, quàm si ipsemet sensibili modo, séque apertè exhibens, idem proponeret; næ hìc extraordinario virtutis conatu opus est: næ submissio hujusmodi ùt maximè ardua, sic perinsignis meriti capax, & DEO exhiberi digna est.

2. Constituto jam, quòd DEUS in ordinaria, & communi gubernatione hominum, authoritatis suæ vices aliis hominibus tradat; altero ex duobus hisce modis id faciat, necesse est: vel nimirum indicando per arcanas voces ei, quem suum Vicarium delegit, quid in re quavis faciendum subjectis præscribere, tanquam à se volitum, debeat; vel his universim edicendo, se velle ab iis fieri, quidquid

non palàm improbum à ſuis Vicariis, quanquam ex proprio eorum judicio, atque inſtinctu eis fuerit præſcriptum. Similiter ac terreni etiam Principes ſuis ſolent Præfectis circa res aliquas certam voluntatis ſuæ ſignificationem verbo, aut ſcripto tradere; circa alias verò plenum iiſdem adminiſtrandæ, ùt iis videtur, provinciæ arbitrium permittere. Quapropter, quemadmodum impoſſibile eſt, ut, qui aſſignato ſibi à Rege Gubernatori paret, contra Regis voluntatem agat, útque hic nullam propterea ſuccenſendi illi habet cauſam; ſic neque fieri unquam poteſt, ut, qui legitimi Præſidis voluntati morem gerit, DEI ſimul voluntatem non impleat: útque ullam metuendi cauſam habeat, nè ab illo fortè improbetur, quod jubente, & probante illo agit.

3. Id porrò ut certiùs agnoſcatur, proderit ad contrarii falſitatem reſpicere. Si enim, qui ſubeſt, moderatoris ſui juſſa exequens, voluntatem DEI non impleret, neque contra hanc ageret, illa exequi abnuens. Quod conſequens nemo non videt, quàm rationi abſonum ſit, quámque manifeſtè ex illius falſitate contrarii veritatem liceat eruere. Quapropter, ſicut nulli eſſe dubium poteſt, quin

quin divinæ voluntati repugnet, qui rectoris sui imperiis non obtemperat; sic neque dubitari à quopiam potest, quin illam exequatur, quisquis hæc servat. Sed firmiùs adhuc idem comprobatur testimoniis sacrorũ Voluminum: ubi inculcari obedientiam videmus non DEI tantùm jussis, sed hominum, qui locò ipsius præsunt. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris; surge, & ascende ad locum, quem elegit Dominus* DEUS *tuus: veniésque ad Sacerdotem Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæréque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem: & facies, quæcunque dixerint, qui præsunt loco: sequerísque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* (*Deut. c.* 17.) Ità DEI nomine Judaico populo edicit sanctus Legislator Moyses. Et D. Paulus Dominis Ethnicis obtemperari vult, non secùs ac DEO, (*Ad Ephes. c.* 6.) *Obedite Dominis carnalibus in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ùt servi Christi, facientes voluntatem* DEI *ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino,*

& non hominibus. Cujus tam perfectæ obedientiæ hanc in Epistola ad Romanos rationem affert, quòd omnis humana potestas ex suprema DEI potestate, quasi rivulus è suo fonte promanet. (*c.* 13) *Non est potestas, nisi à DEO. Quæ autem à DEO sunt, ordinata sunt. Itaque, qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit.* Quid plura? Christus Dominus nè ipsos quidem scribas, & pharisæos, quatenus ex Moysis cathedra differebant, ab hujusmodi regula excipit, dicens apud S. Matthæum: (*c.* 23.) *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere.* Et cum Apostolis loquens, professus planissimè est, se illum esse, cui in ipsis & præstaretur, & denegaretur obsequium. (*Luc.* 10.) *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Quod effatum non ad ipsos solummodo pertinere, sed ad omnes eos itidem, *qui post ipsos aliorum futuri essent moderatores; ex multis*, (ùt scribit D. Basilius) *iisdémque certissimis divinarum literarum testimoniis, manifestisque argumentis probari potest.* (*In Const. Mon. c.* 22.) Quapropter certissimi dogmatis locò apud omnes sanctioris vitæ tum magistros, tum sectatores fuit sem-

per

per, legitimum quemvis præsidem non esse aliter, quàm ut Christi personam spectandum, nec secùs, quidquid ipse præcipiat, oportere accipi, quàm si illud ipse Christus præciperet: ac proinde, quemadmodum omnino impossibile esset, à DEI voluntate quemquam discedere, faciendo, quæ DEUS palàm per se ipsum loquens juberet, sic pro re penitùs impossibile esse habendum, ut ab eadem quisquam discedat, faciendo, quæ facere à legitimo suo præside, hoc est DEI Vicario jubetur. Et quantùm ad Magistros, sat fuerit, unum pro cunctis D. Bernardum audire, qui disertè pronuntiat: (*De Præc. & Disp. c.* 12.) *Sive* DEUS, *sive homo* DEI *Vicarius mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, ubi tamen* DEO *contraria non præcipit homo.* Neque sensu proprio contentus, sancti quoque Benedicti testificationem adjungit in regula hisce verbis expressam: *Obedientia, quæ Majoribus præbetur,* DEO *exhibetur. Quamobrem, quidquid vice* DEI *præcipit homo, quòd non sit tamen certum displicere* DEO; *haud secùs omnino accipiendum est, ac si præcipiat* DEUS. *Quid enim interest, utrùm per se, an per suos ministros, sive Angelos, sive homines innotescat suum beneplacitum* DEUS? Quam

sententiam paulò infrà sic concludit: *Ipsum proinde, quem pro* DEO *habemus, tanquam* DEUM, *in his, quæ apertè non sunt contra* DEUM, *audire debemus.* Quod verò ad sanctioris vitæ sectatores pertinet, sufficere itèm unum poterit veterum Ægypti Patrum exemplum: apud quos sanctissimum fuisse, & inviolabilem ritum, Cassianus testatur, *universa, quæcunque à præposito suo fuerint præcepta, tanquam à* DEO *cælitus edita, sinè ulla discussione complere.* (*L. 4. c.* 10.)

4. En itaque, ô Lector! quàm jure ego affirmaverim, facillimum nobis esse per meram obedientiam, vel sinè ullis aliis documentis, & regulis indubitatissimè agnoscere, quid maximè à nobis DEUS velit, neque fieri posse, ut in ullo opere, auspiciis illius facto, à supremi Domini placito diversi abscedamus. Ità planè se res habet. Connitamur, quantumcunque fas est, nullisque artibus, atque industriis parcamus ad deprehendendũ, quænam circa unumquemque nostrorum actuum sit *voluntas* DEI *bona, & beneplacens, & perfecta*; nunquam sanè reperire nobis contigerit nec examen aptius, nec judicium sagacius, nec magis veram prudentiam, nec disciplinam certiorem, nec breviorem artem,

tem, nec expeditiorem viam, nec auſpicium tutius, nec revelationem minùs dubiam, nec oraculum diſertius, nec regulam magìs univerſalem, & ſinè exceptionibus, quàm ei nos omnino dirigendos permittere, qui nobis locò DEI præeſt. Imò tam verum id eſt, ut, ſi quid ille faciendũ nobis mandaverit, quamvìs Angelus ſenſibili ſub imagine apparens, contrarium juberet nos facere, deberemus ſinè ulla hæſitatione primum mandatum exequi, & poſteriori aures occludere, tanquam fallaci ſibilo antiqui ſerpentis transformati ad nos circumveniendos in cæleſtis nuntii habitum: exiſtimantes nobis quoque ibi dici, quod Galatis olim D. Paulus dixit: (*c. 1.*) *Licèt Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit.* Quia denique hæc via tutiſſima eſt, quam DEUS patere in Eccleſia cuivis voluit, ſanctiſſimum ſuum placitum ſinè ullo erroris metu cupienti invenire. *Hæc eſt via: ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* (*Iſa. c. 30.*)

5. Parùm tamen ad juſtam obedientiæ æſtimationem foret primum hoc aſſertum ei decus, quòd ſcilicet, quiſquis illius ductum fideliter ſequitur, nulla in re poſſit à divinæ vo-

voluntatis ſcopo aberrare. Aſſerendum jam eidem etiam alterum ſupereſt, quòd nimirum ad cæleſtem illum terminum ſinè ullo errore obtinendum trames illa, ùt initio affirmavi, non certiſſimus modò, ſed & unicus ſit: nam ubi tandem extra obedientiam fas homini eſt æquè certum eſſe de ſua in omnibus, quæ vel agit, vel agere omittit, conformatione ad DEI voluntatem? Num in ſuimet judicii ſagacitate? ultronea deceptio ſui eſſet, id ſibi promittere. Cùm nimis explorata ſit illa D. Baſilii in oppoſitam partem ſententia: (*Conſt. Mon. c. 21. & 22.*) *Rem nempe omnium difficillimam eſſe, ſe ipſum cognoſcere, & curare. Quia unuſquiſque ſibi ipſi benevolus judex eſt, & quæ jucunda ſunt, ea cenſet utilia.* Quamobrem rite, ſapientérque obſervatum à Curtio eſt, nunquam eſſe homines ad optimum diſcernendum minùs idoneos, quàm cùm illud pro perſonis ſibi maximè charis, & quibus præcipuè conſultum vellent, hoc eſt pro ſe ipſis exquirunt. (*L. 7.*) *In ſuo quiſque negotio hebetior eſt, quàm in alieno.* Et Ariſtoteles idem probat Medicorum exemplo, qui ægrotantes neutiquam propria ſibi arte conſueverunt mederi, ſed aliis ſe curandos permittunt: (*L. 3. Polit. c. 12.*)

12.) *Quasi nequeant verum discernere, qui de propriis judicant, & in affectu sunt constituti.* Ut proinde scitũ illud D. Bernardi pronuntiatũ epiphonematis locò apponere hic liceat: *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* (*Ep. 89.*)

6. At, si minimè proprio, alieno saltèm certus poterit fieri doctorum hominum, ac prudentûm consilio? Nè id quidem sperandum. Quantacunque enim sagacitas sit personarum, quas consulet, non alia, quàm humana erit sagacitas: quæ veluti neque futura prævidet, neque ipsummet præsens secundùm momenta sua omnia usquequaque comprehendit; sic in plerisque decisionibus suis ultra meræ probabilitatis fines non exit; & si in aliquibus etiã ad verũ ratiocinando pertingit; plura fortasse sunt, in quibus vel ambigua hæret, vel fallaci opinione seducitur. *Quis hominum scire poterit consilium DEI? Aut quis poterit cogitare, quid velit DEUS? cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ nostræ providentiæ. Et difficilè æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet? nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis,*

& sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines. (*Sap.* 9.)

7. Reliquum ergo est, ut dicat, posse certam in quovis suo actu divinæ voluntatis intelligentiam se assequi per lumen supernaturale, orando impetratum à DEO. Verum diceret, si ei indubiè constaret, prædicto se lumine perfusum iri, quotiescunque illud poposcerit. Atqui adeò nemini id constat, ut justas potiùs quisque habeat contrarium metuendi causas. Nam, licèt DEUS nequeat, juxta notissimam suam promissionem, non concedere, quæ ad necessarios spiritualis vitæ usus à se confidenter petuntur; id tamen intelligemdum est, ubi homo ordinariis destitutus præsidiis opis gratiâ ad eum confugit, dicens cum Davide: (*Paral. L. 2. c. 20.*) *Cùm ignoremus, quid facere debeamus, hoc unum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te:* non verò etiam, cùm negligens, quæ ipse omnibus communiter providit, & ad manum parata esse voluit præsidia, ab eo potiùs extraordinaria, & peculiari providentia dirigi postulat. Cùm hoc pacto se gerere, non tam orare, quàm tentare DEUM sit, & consequenter pœnas veriùs mereri, quàm mune-

ra.

ra. Quocirca, cùm ipſe omnibus agnoſcendæ voluntatis ſuæ cupidis certum adeò id conſequendi inſtrumentum paraverit, ùt moderatoris legitimi gubernatio eſt; qui hac derelicta peculiares illius locò cæli inſtinctus, atque illuſtrationes poſceret, nónne ità affari DEUM videretur? Novi quidem, Domine, ſi à rectoribus meis inſtrui, ac duci me ſinam, fore, ut in quovis meo actu, quidquid velis, certiſſimè agnoſcam: cuperem tamen, ut eorum locò túte id mihi aperires? Similis aliquatenus phariſæis illis, qui, prout apud D. Marcum legimus, (*c.* 8.) *ſignum de cælo quærebant:* dignúſque, cui ſimiliter, atque illis reſpondeatur: *Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum.* Quænam tua iſthæc ambitioſa, heteroclita, & ſupervacua ſunt vota? Tuíne igitur gratiâ mutandæ ſunt leges, quibus ad hanc diem gubernatum eſt genus humanum, & novus providentiæ ordo inducendus in orbem terrarum? Satis ſit tibi, quod ad plenam non errandi ſecuritatem omnibus in commune eſt proviſum. *Habes Moyſen, & Prophetas: audi illos.*

8. Cùm igitur ſola obedientia certiſſimo, & tutiſſimo tramite ad divinæ voluntatis

tis cognitionem nos ducat; quonam modo fieri poterit, ut, qui perfectè DEUM amat, non illius itèm amore capiatur, neque illam pro unica totius vitæ ſuæ regula accipiat? Nemo ſanè eximiè amari aliquem ab eo dixerit, qui parùm ſolicitus ſit de quærendo illius placito, aut multùm de hoc eum laborare, qui viam habens præ oculis, qua certiſſimè ad illud perveniret, per ambiguas potiùs, fallacéſque alias illud ſibi putat quærendum. *Satis probat*, (D. Anſelmi ſunt verba) *quia nullatenus, aut parùm diligit aliquod bonum, qui illud, ubi certiùs, & meliùs cognoſcit, non eligit.* (*Ep. 3. ad Henr.*) Felices profectò, qui fixum in animo habentes nulla unquam in re per liberam voluntatis electionem ab eo, quod maximè DEO placet, deflectere, nè per ignorantiam alioqui, & mentis errorem indè unquam diſcedant; legitimo cuipiam moderatori in omnibus ſe regendos permittunt: nihil ſeu magni, ſeu parvi facientes, volentéſque ex innato arbitrii, ac judicis ſui inſtinctu, ſed, quantùm ad ſingula, præſtolandos audire, quid ſibi agendum, volendúmque ille edicat, perinde quaſi ejus vox non hominis, ſed veluti revera eſt, vox DEI eſſet: nec minori cum alacritate, ac voluntatis

ple-

plenitudine exequentes, quidquid ille præscripserit, quàm si DEUS ipse coram spectabilis suomet ore id præscripsisset. Felices, repeto, ex omnimoda hac proprii arbitrii, judiciíque abdicatione, quæ illos ad divinam voluntatem certò ubique dignoscendam, atque implendam perducit. Quænam, rogo, errandi perricula DEO ipso duce, & auspice sui cursûs possunt metuere? In quæ abrupta, & præcipitia, per tutam adeò viam incedentes, támque fido lumine illustratos labi unquam continget? Quis explicare sat possit, quàm tranquillè vitam ducant, quæ meritorum cælestium lucra cumulare in dies pergant, quantùm DEO placeant, quibúsque ab eodem, & quàm singularibus donis ditentur?

9. Vulgaris, fateor, in oculis hominum hæc vivendi ratio est: tota quippe in eo posita, ut præ intimo, perfectissimóque DEI amore nihil facere unquam velint, nisi quod ille fieri vult, sive id heroicum, & ad speciem magnificum, seu contra plebejum, ac in abjecta, & obvia materia sit. Sed ô quantùm pretiosa ob id ipsum in conspectu Domini est? Quámque ad sublimem sanctitatis gradum eos provehit? cùm ipsa per se

vera, germana, propria, & formalis ſanctitas ſit. Certè ſi examinare accuratiùs velimus, undenam tantum commendationis, pretiíque habeant prolixæ orationes, exquiſitæ corporis ultro diſcruciandi artes, Apoſtolici pro ſalute animarum labores, & quidquid præterea operum majori cum admiratione, atque plauſu in ſanctorum hominum vitis celebratur; nullam reperire aliam intimiorem, propriámque magìs cauſam poterimus, quàm quòd ejuſmodi opera ſpecialiter, atque inprimis DEO placeant. Fatendúmque nobis eſt, cùm ſupremi illius Domini placitum princeps norma, ratio, & menſura omnis excellentiæ, omnis perfectionis, omníſque ſanctitatis, ac meriti ſit; ſi ille ſive per ſe ipſum, ſive (quod tantundem eſſe vidimus) per homines ſuos vicarios ſignificaret, malle ſe, ut aliquis non per ſupradicta excellentioris notæ opera, ſed per alia humiliora, & vulgaria ſibi ſerviat; hæc ſecunda, quemadmodum tunc in tali perſona gratiora primis illis DEO eſſent; ſic majoris itèm reſpectu ejuſdem perſonæ futura ſanctitatis, ac meriti, magíſque commendari, atque eligi digna. Si ergo veræ quivis, perfectæque obedientiæ ſectator non alia de cauſa hoc,

illúd-

illúdque ãgit, nisì quia per moderatorem ſuum certior fit, id præ aliis quibuſque operibus DEUM tunc velle ab eo fieri; quænam dubitandi ratio eſſe poteſt, quin ſingula, & omnia illius opera perfectam ſanctitatem contineant? Aut quis, nisì Euangelicæ Philoſophiæ penitùs rudis, videns illum ex obedientiæ impulſu gregariis ſecundùm ſpeciem, ac materiam operibus fungi, minùs ſanctum idcirco exiſtimare poterit, quàm ſi excellentiſſima quæque præcipuarum virtutum opera ſuomet arbitratu exerceret? *Numquid vult Dominus holocauſta, & non potiùs ut obediatur voci Domini?* (*L. 1. Reg. c. 15.*) Et quorſum opus mihi eſt orationibus veſtris? Aut quid meâ refert, ſpiritualibúſne exercitiis, an externis vos actibus occupemini, dummodo in quavis veſtra occupatione meam duntaxat voluntatem ſpectetis? Dictum olim à Domino eſt S. Gertrudi, cùm hæc illi proviſores, atque œconomos Parthenonis ſui commendaret, quò ſcilicet ab eo in externa procuratione ſua adjuti, quantò minùs cogerentur de illa ſoliciti eſſe, tantò quietiùs orationi vacarent. (*L. Inſin. c. 69.*) *Et quid ego indè lucrarer, cùm bonorum veſtrorum non egeam, & pro eodem mihi ſit, vos vacare ſpiritualibus, &*

exterioribus laboribus insudare : dummodo voluntas libera intentione pro me dirigatur. Nam, si tantummodo in spiritualibus exercitiis delectarer, naturam humanam post lapsum denuo reformâssem, non indigentem victu, aliisque, pro quibus desudat industria. Qui in alia quoque simili occasione rogatus ab eadem sancta Virgine, pro persona, quæ ægre ferebat, haud se posse propter occupationes sui muneris, quamdiu, & quomodo vellet, divinæ consuetudini operam dare: *Non ego elegi eum*, respondit, *ad hoc, ut tantùm unâ diei horâ mihi serviat, sed magis ad hoc, ut tota die sinè intermissione mihi adsit: id est, ut omnia opera sua continuè ad laudem meam perficiat, ea intentione, qua vellet orare.* (*lb. c. 74.*) Satiùs profectò, satiùs longè est, si id DEO magis placeat, ex puro illi gratificandi studio humum fodere, storeásve contexere, quàm propriæ libertatis instinctu tertium cælum perambulare, cúmque beatis ibi mentibus conversari.

10. Cujus rei veritas, quamvis per se satis pateat, adhuc tamen pleniùs declarabitur solutione nonnullarum oppositionum, quæ ab hominibus sive imperitis, sive de sua libertate retinenda solicitis, adversùs illam fieri possunt. Et primò quidem objiciunt, si ve-

vera essent, quæ hìc disseruimus, necesse omnibus fore, qui perfectè DEUM amant, ardentissimáque cupiditate æstuant, semper faciendi, quod ei maximè placet, certo cuipiam rectori sese in omnibus moderandos permittere: imò etiam perpetuum religiosæ obedientiæ, vitæque sacramentum dicere. Quod una ex parte durum plùs nimiò, neque ex altera ità omnibus necessarium ad divini amoris perfectionem videtur: cùm permultos ad hanc perveniisse noverimus in eremo, aut in privatis suis ædibus, sinè ullo ejusmodi jugo, sed satìs habentes ea in vitæ suæ cursu agere, quæ post sedulam animadversionẽ Deo præ aliis placere, & ad majorem facere illius gloriam existimarent. Ità sanè adversarii: quibus ut respondeam, fateor primò, & tanquam legitimè deductum admitto, quod ex mea doctrina consectarium eliciunt: fieri nimirum non posse, ut qui seriò, efficacitérque desiderat certissimam divinæ voluntatis circa omnes suos actus cognitionem nanciscì, si constare sibi, & huic desiderio suo vult; non simul perpetuam religiosæ obedientiæ professionem, ceu prædicto suo fini quàm maximè opportunam desideret, & si liberum sibi sit, re ipsa amplectatur. Esto

enim cuivis hominum liceat perpetuam conſcientiæ ſuæ arbitrio obedientiam promittere, súbque illa voto etiam, ſi libeat, ſancita domi ſuæ vivere; non tamen hujuſmodi obedientia ſolet plerumque tam perſpicuè, & circa omnia voluntatem Domini ſectatoribus ſuis aperire; quàm cœnobitis eandem patefaciunt tum ſcriptæ ſui ordinis leges, à quibus in pleriſque actionum ſuarum diriguntur; tum viva præſidis vox, qui neque dubitari poteſt, quin legitimam à DEO obtineat eos gubernandi authoritatem, neque aliud magis proprium, & peculiare habet munus, quàm ſubditos gubernare; & ſicut eodem ſub tecto iis convivens nullâ ferè non horâ, déque nulla non re peculiari, quæ ſubitò occurrat, ab iis conſuli poteſt. Quocirca, ceu palàm oſtenderet, non amari à ſe efficaciter bonum, qui omitteret illud quærere, ubi poteſt certiùs, pleniúſque inveniri; ſic manifeſtò proderet, non magnæ ſibi curæ eſſe certam divinæ voluntatis in omnibus actionibus notitiam, qui videns, quantò ad eam obtinendam plùs cæteris quibuſque artibus religioſa obedientia conducat, negligeret tamen huic ſeſe regendum ſubjicere.

11. Unde etiam apparet, contrà quàm ab adversariis subjungitur, studium eandem profitendi, conditionem esse, si minùs qualicunque, at summæ divini amoris perfectioni necessariam. Neque enim dubitari potest, quin aut necessarium sit ad DEUM perfectissimè amandum id, sinè quo minùs perfectè DEUS amaretur; aut minùs perfectè amet DEUM, qui ei mavult secundùm judicii, arbitriique sui normam, quàm secundùm obedientiæ leges servire. Cùm ità agens illo uti instrumento negligat, quod ad certò deprehendendũ, quid in quavis re DEO maximè placeat, esse aptissimum vidimus, nec proinde summo ardeat studio, nunquam ab illius placito aberrandi: quod procul dubio est minùs eum amare, quàm posset. Neque exempla sanctorum hominum, qui vel in locis desertis, procul ab humano commercio, vel in urbibus extra cœnobiorum claustra vixêre, ullam contrarium persuadendi vim habent. Vel enim credendum est, tutiorem illos religiosæ subjectionis viam nequaquam ex innato propriæ libertatis amore omisisse, sed alios ex peculiari DEI instinctu, qui sibi in solitudine serviri ab iis voluit; alios propter externa impedimenta, quæ sua vi, & ne-

ceſſitate coëgerunt, quamvis cæteroqui invitos in liberioris vitæ ſtatu manere; vel ſi in aliquo neutri prædictarum rationum locus fuerit, reſponderi jure optimo poteſt, obedientiæ decus non tam in eo eſſe poſitum, quòd ſancti, perfectíque homines eam ſibi profitendam ſuſcipiant, quàm quòd ſanctos ipſa, & perfectos ſuos ſectatores efficiat: nec propterea, ubi quiſpiam vel eximii cæteroquin meriti vir eam profiteri omittit, indè fieri, ut minore in pretio habenda illa ſit, ſed ſolummodo, ut ipſe majori perfectione careat, quam ex ea retuliſſet. Et poſſe quidem hujuſmodi omiſſionem in reliquæ ſuæ ſanctitatis gratiam ei condonari; at nullo pacto pro regula accipi, laudabiliùs, ſanctiúſque operandi. Exempla enim Sanctorum haudquaquam eſſe nobis debent fomentum ignaviæ, ſed incitamentum ſtrenuitatis: neque valere ad excuſationem minoris, ſed ad majoris perfectionis ſtimulũ: neque nos impellere, ut relinquamus, ſi ipſi fors reliquêre; ſed ut eligamus, cùm elegêre, quod factu optimum eſt. Alioquin nimiùm quàm triſtem, ac pœnitendum ex eorum vitis perciperemus fructum; ſi pro eo, ut obſervemus, excerpamúſque ad noſtram utilitatem,

ùt

ùt magnus Antonius factitabat, quod in unoquoque præcipuum, & maximè excellens occurrit, eas ſolas illorum actiones imitandas ſumeremus, in quibus ſe homines illi exhibuêre potiùs, quàm Sanctos: & quibus ſi nihil melius præſtitiſſent, nunquam ſanctitatem nacti eſſent, communi excellentiorem modo, & proponi ad imitationem, atque exemplar poſteris dignam.

12. Diſpiciendum poſtremò eſſet, num perpetua hæc, atque omnimoda propriæ libertatis ſubjectio tam durum, & grave jugum ſit, quale ab adverſariis fingitur. Sed quomodocunque ſe res habeat, & veréne, an falsò id fingatur, nullius hìc momenti eſt: ubi neutiquam, quid ſuavius, & naturæ genio magìs conſentaneum, ſed ſolùm quid perfectius ſit, quæritur. Duram enim verò, & intolerabilem vocent, quibus nondum perfecto DEI amore ſuccenſis qualiſcunque in ejus famulatu mediocritas ſufficit. Haudquaquam cum iſtius farinæ hominibus liber hic loquitur: ſed cum viris duntaxat altiſſima quæque, & ſumma ſpectantibus: qui nimirum omni penitùs ſui, ſuæque voluntatis, & rerum huic placentium amore abdicato; *quemadmodum cervus ſolis aduſtus ardoribus la-*

tices, ità (ut cum Joanne Climaco loquar) *divinæ voluntatis comprehensionem desiderant.* (*Grad. 26.*) nullam in animo aliam foventes curam, nisi ut in quibusque suis actibus Deo maximè placeant: neque in omni re, loco, atque tempore secum aliud volutantes, nisi ubinam est hìc major mei Domini gloria? Quidnam hìc agendum mihi est, ut DEO meo magìs gratificer? Qui certè audientes, nullam esse certiorem ei in omnibus placendi viam, quàm legitimo præsidi sese penitùs moderandos submittere; tam procul ab hujusmodi conditione pertimescenda aberunt, ut gratulaturi potiùs de ea sibi sint, & oblatam non minori cum aviditate, gaudióque amplexuri, quàm si inæstimabilem sibi indicari, atque offerri thesaurum audirent.

13. Secunda oppositio est: neque ipsos religiosæ obedientiæ sectatores certò cognoscere, quidnam à se DEUS in omni vita, & actione velit. Neque enim fieri posse, ut homo DEI vicarius, & illius voluntatis interpres ità omnino, & quantùm ad minutissimos, ac brevissimos quosque tam externos, quàm internos actus sibi subditum dirigat; quin hic circa plurimos innumerabilium hujusmodi actuum cogatur, merum sequi humama-

manæ rationis, ac prudentiæ ſuæ ductum: regulam ſcilicet dubiam, & ſecundùm quam operans, non extra omne periculum eſt, à divina interdum voluntate aberrandi. Sed reſpondetur, quam obedientibus nos promiſimus vitæ omnis juxta DEI placitum traducendæ ſecuritatem, humano modo intelligendam eſſe: quantùm ſcilicet ad actiones, quæ alicujus momenti ſunt, nonnullóque temporis ſpatio producuntur, & in quibus falli pluſculum detrimenti afferri homini poſſet. Quæ profectò omnes, ſive quod ad earum ſpeciem, ſive quod ad temporis moram, & certum inter ſe ordinem pertinet, ità præſcribi à religioſo moderatore cuilibet ſibi ſubjectorum poſſunt, ut hic nihil majoris momenti præter obedientiam, hoc eſt abſque certa divinæ voluntatis nota operetur. Atque hunc ego fructum obedientiæ unius proprium affirmavi, iterúmque affirmo, digniſſimum eſſe, quem, quiſquis DEUM perfectè amat, ſummo in pretio habeat, avidiſſiméque expetat, & nullo non ſumptu, atque impendio ſibi comparet. Quantùm verò ad actiunculas, quæ ob ſuam tum exilitatem, tum multitudinem præſcribi, & definiri omnes à moderatoribus nequeunt; di-

co

co primùm: plurimarum ex iis bonitatem; aut malitiam per se satis patere, neque ambigi posse, juxtáne, an contra DEI placitum sint. Dico præterea, ubi nulla divinæ voluntatis certò deprehendendæ suppetit ratio, posse hominem implorato Spiritûs sancti lumine eligere, quod factu probabilius existimat, neque dubitare, quin id potissimùm in tali rerum cardine à se fieri DEUS velit. Præsertim, quod Angelicus Doctor observat, de minimis hisce actibus, qui *parùm adjuvant, vel impediunt, respectu finis consequendi*, ab hominibus nè consultari quidem solere: quia, ùt addit, *quod parùm est, quasi nihil accipit ratio.* (1. 2. *qu.* 14. *a.* 4.)

14. Quamvìs verò verissima hæc sint, nihilominus, qui in cœnobiis perfectè Deum diligunt, & inexplebili sanctissimæ illius voluntatis vel circa minutissimas quasvis regulas certò agnoscendæ siti æstuant; nequaquam quiescunt: sed vellent moderatorem suum, qui sibi locò DEI præest, continenter ad latus, tutelaris Angeli instar, imò & intrà se ipsos habere, quasi alteram animam: nè scilicet ulla in re, quantumlibet minima, cogerentur judicio suo uti, verùm in quavis agendi occasione ab eo sibi suggeri audirent: De-

us

us vult, hoc te bolo vesci, illum intactum relinquere: hoc verbum eloqui, illud silentio premere: de hac re cogitare, ab ea mentem avertere: atque ità porrò se instrui, monerique circa singulos gestus, obtutus, aliósque seu corporis, seu animi vel breviſſimos, ac penè insensibiles motus. At, si tam exactum, & omnimodum regimen nulli potest, esto illud maximè optanti contingere; qui tamen à suo sibi præside, tum generatim, tum particulatim definiri curet, quid in peculiari quovis rerum articulo seu agere, seu prætermittere, quémque in singulis rebus agendis servare modum debeat: neque contentus ab eo ità semel dirigi, iterum, iterúmque ad eundem novam minutiorem, pleniorémque, & magìs distinctam institutionem accepturus recurrat; næ intrà breve tempus per hujusmodi industriam adeò se undique, & secundùm omnes propemodum vitæ suæ actus ab obedientia circumscriptum inveniet, ut vix ullus ei locus superfuturus sit, ubi queat proprio se judicio dirigere, & consequenter timere, nè qua in re facienda, aut omittenda DEO minùs placeat. Certè in nostra Societate, ut de privato præsidum regimine taceatur, & solæ observentur hinc re-

regulæ universo ordini scriptæ, hinc extraordinariæ edictiones, quæ identidem super his, aut illis domesticis rebus publicè promulgantur; tantus utriusque generis numerus est, támque multas, vel maximè vulgarium, & promiscuarum inter homines actionum, partim jubendo, partim vetando complectitur, ut, quemadmodum rubricæ Sacrificii vel minimos quosque Sacerdotis ad aram facientis gestus dirigunt, nulla ei relicta libertate conformandi, movendíque, nisi juxta suam præscriptionem, manus, oculos, caput; ità hæ nostrates rubricæ, eas assiduè habent præ oculis, & servare ad unguem conanti, omnem penè humanarum operationum tum materiam, tum formam definiunt.

15. Objicitur postremò ab iisdem, multos ex jurata in cœnobiis obedientia plus impedimenti, quàm subsidii ad spiritualis vitæ perfectionem referre. Quemadmodum exempli gratiâ, ubi quispiam magno fervore animi ad suum corpus omni afflictationum genere macerandum impellitur, síque potens arbitrii sui esset, austeritatis exempla ederet, haud sanè illis imparia, quæ in veterum anachoretarum vitis miramur: qui tamen præsidem nactus nimis cautum, próque im-

immoderato habentem, quidquid extraordinarium est, nequaquam ab eo finitur, ultra mediocrem vivendi severitatem prodire: vel cùm alter peculiari propensione ad mentis secessum, & tranquillam cum DEO consuetudinem fertur, qui dum contemplativæ vitæ exercitationibus, atque studiis totum se impenderet; dubitari minimè potest, quin eo itinere ad eximiam perventurus sanctitatem esset, cùm tamen à religioso suo præside externis rebus administrandis pro cœnobii opportunitate addictus, inter profana illa negotia usque adeò perturbari, distrahíque sibi animũ sentit, ut nè ad breve quidẽ tempus sinè magno labore, & multiplici mentis evagatione versari cum DEO possit, nedum in suavi, & profunda illius contemplatione plures continentur horas traducere. Sed enim verò, quisquis hæc objicit, vel oblitus est, quod nos suprà velut firmissimum totius hujusce dissertationis fundamentum statuimus, nempe quidquid legitimus rector jubet, ipsissimam voluntatem DEI esse; vel per manifestum errorem arbitratur, sedulam divinæ voluntatis executionem posse homini ad spiritualem profectum obesse. Primum itaque resumendo objectionis exemplum; verum

sit,

sit, respondeo, quod ibi affirmatur, illiusmodi hominem, si suam sibi retinuisset libertatem, memorandum extraordinariæ austeritatis specimen futurum fuisse: quod illi nunc decus, religiosam subjectionem sectanti, à nimis timida moderatoris sui prudentia eripitur. Sed quid porrò? Minúsne ideo sanctè idem vivit? Minùs cæleſtis gloriæ merebitur? Minùs placebit DEO? Negat D. Thomas, (2. 2. *qu.* 186. *a.* 5. *ad* 5.) disertè pronuntians, minus boni, auspice obedientia patratum, gratius DEO esse, quàm amplius, ad quod propria duntaxat voluntas impulerit. Imò ipsemet Christus Dominus negat: qui apparens D. Teresiæ, cùm ea secum reputaret, utiliúsne futurum sibi esset, acrioribus pœnis, esto adversùs Confessarii sententiam, suum corpus atterere, prout ab altera pia fœmina factitari sciebat: *Cave*, inquit, *istuc feceris filia. Recto, & tuto tu tramite incedis. Videsne omnem illius austeritatem? Pluris ego obedientiam tuam facio.* (*In Addit. ad Relat. Vit.*) Idque ipsum sanctissima quoque DEI Parens D. Brigittam, similibus dubiis agitatam, pridem docuerat: certiorem eam faciens, afflictationibus corporis, si sponte usurpentur, unicum, sin verò ex obedientia præ-

prætermittantur, duplex præmium rependi: alterum ſcilicet reſpectu piæ voluntatis, qua expeditæ fuerint, alterum obedientiæ, in cujus gratiam omiſſæ. (*L. 4. Revel. c. 26.*)

16. Neque mirum videri cuiquam poteſt, DEUM, qui nihil emolumenti ab externis hominum obſequiis percipit, chariorem iis habere comparationem animi ad ea, ſi velit, ipſi exhibenda; vel ſi alia illius voluntas ſit, relinquenda: cùm terreni etiam Reges, ac Duces, quibus exterior ſubjectorum opera utilitatis plus affert, quàm interius voluntatis obſequium, hoc tamen anteferre illi ſoleant. Unde Cyrus Perſarum Rex profeſſus apud Xenophontem eſt: (*L. 8 Cyrop.*) *Pluris ſe eos facere, qui ſinè recuſatione parerent, quàm qui maximas viderentur, ac difficillimas virtutes afferre.* Et de Manlio legimus, adeò parùm ipſi gratam fuiſſe, quam filius contra ſuum imperium de hoſtibus reportârat victoriam, ut vel in tam charo capite extremo ſupplicio vindicandam putaverit: *quaſi*, prout addit Hiſtoricus, *plus eſſet in imperio, quàm in victoria.* (*Flor. L. 1. c. 14.*) Ah! legitimam aliquando veræ, propriæque ſanctitatis ſpeciem in mente formemus. Cur in extimo duntaxat illius cortice omiſsâ nuclei

curâ ſubſiſtimus? Cur quæ illi accidunt potiùs, quàm quod illa in ſe eſt, æſtimamus? Nulla eſt præſtantior ſanctimonia, quàm perfectus DEI amor: neque DEUM quiſquam amat perfectiùs, quàm qui ſuam illi voluntatem penitùs ſubjicit, nihil aliud penſi habens, aut quærens, nisi quod ei maximè placet. Quemadmodum inter homines non ille ſervus melior cenſetur, qui plura ex Domini amore operatur; ſed is potiùs, qui nihil non paratus ex amore illius facere, non plus tamen, aliúdve facit, quàm quod videt illum velle à ſe fieri: illius propterea voluntatem, quaſi unicam agendorum regulam continenter præ oculis habens, neque ſi forſ ambigua ſit, ex ſuo illam judicio interpretans, ſed ad ipſum pro certa ejuſdem intelligentia confugiens; ità inter DEI famulos non is exiſtimari perfectior meretur, qui duriùs in ſuum corpus conſulit, ſed qui paratus, quantùm in ſe eſt, peſſimis quibuſq illud modis tractare; non pejùs tamen, alitérque idem tractat, quàm probari cæleſti ſuo Domino videt: illius voluntatem pro unica quanti, & cujuſmodi regula habens: & quoniam non eadem reſpectu omnium illa eſt, ſtudens, quænam reſpectu ſui ſit, agnoſcere eo pacto,

quo

quo non potest indubitanter agnosci, per illius nempe oraculum, qui erga se DEI obtinet locum. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* (*Deut. c.* 12.) Neque dixeris, religiosum Præsidem posse compluries circa DEI placitum falli, sive illud non perspiciendo, ubi revera est, sive imaginando ibi adesse, unde abest. Certissimè enim constat, non semper, & ubivis easdem res DEO magìs placere: sed persæpe evenire, ut, quæ opera in nonnullis circumstantiis gratiora haberet, in aliis approbet minùs. Quidnam igitur refert, si præses decipiatur, in extraordinaria quavis vexatione corporis huic homini sibi subdito interdicenda? Non aliud nempe hinc sequitur, nisi ut vexationes illæ, quæ citra præsidis interdictum plùs sua omissione Deo placuissent; minùs jam eidem, quàm earum omissio respectu hujus hominis placeant. Qui propterea habere pro certissimo potest, plùs pœnalibus illiusmodi exercitiis omittendis, quàm usurpandis gratificaturũ se Deo: licèt si interdicta non essent, gratiorem illi ea usurpando, quàm prætermittendo rem faceret. Tradit S. Teresia, cùm interdum contingeret, à spirituali suo rectore impro-

bari, quæ DEUS ſibi antea præſcripſerat; hoc DEO moris fuiſſe, ut ipſam juberet, ſuo illi potiùs Vicario, quàm ſibi auſcultare. Licèt ipſe mox eundem tam occulta, ſed efficaci ſuadela in ſuam partem, ac ſententiam perduceret. (*In Vit. c. 26.*)

17. Denique pro certo habendum, firmitérque aſſervandum in mente eſt, quod ad externa virtutis opera attinet; nequaquam DEUM velle, ut ea omnia ab omnibus ſuis famulis fiant; ſed velle, ut nihil ab eorum ullo præter voluntatem ſuam fiat. Quare, cùm hanc ille quantùm ad nos in noſtri moderatoris voluntate poſuerit, ſi extraordinariam vivendi ſecuritatem à nobis volet; moderatorem quoque noſtrum ad eam ſuo calculo approbandam impellet. Quod nisi fuerit, pro indubitato argumento erit, eam, eſto in aliis ipſi placeat, non etiam in nobis placere. Id verò ſi certò conſtet, nullam prorſus cauſam video, cur ſi nihil in ejuſmodi ſeveritate, nisi placitum DEI quærimus; eam DEO minimè in nobis placentem ægro animo debeamus, aut poſſimus relinquere: cùm eâ relictâ nihilo minùs, quàm uſurpatâ ipſi grati ſimus: ſed noſtræ duntaxat virtuti eam externi ſplendoris ſpeciem demamus, cujus

cau-

causâ & admirationi esse aliis posset, & arcanam in nobis nostræ peculiaris excellentiæ delectationem ciere: delectationem enimvero perquam nimiùm innato cujusque erga se amori jucundam, cujus appetitus in causa plerumque est, ut spiritualium virorum nonnulli non ità facilè, & libenter præsulum moderationi suum fervorem submittant. Quia profectò, ùt insitam penitùs à natura habemus cupidinem antestandi aliis, ità jucundissimum experimur aliquas in nobis hujus excellentiæ notas videre: nec nisi ægerrimè possumus pati, quòd in nostra vivendi ratione nihil extraordinarium, nihil singulare, nihil communi modo altius appareat. Quòd si Christianæ humilitatis, pro eo ac par est, studiosi essemus, gauderemus potiùs, à DEO, ejúsque Vicariis per puræ obedientiæ semitas duci: eminentissimæ quidem virtutis, sed procul omni strepitu, & pompa in secretissimis animi penetralibus clausæ, adeóque insensibilis, ut nedum alios illius pretium lateat, sed vix à nobismet ipsis advertatur, & pro sua dignitate æstimetur. Condiscamus hujusmodi humilitatem ex magno Simeone Stylita, qui propriæ voluntatis submissionem usque adeò quibuscunque afflictationibus

corporis chariorem habuit; ut cùm Patres, remi eum missò internuntio jussissent, è columna descendere, qua super, tanquam novum, & cæleste quoddam orbis terrarum prodigium vivebat, vix eorum voluntate audita, pedem illico ad descendendum sustulerit: jussa procul dubio executurus, nisi internuntius, ùt habebat in mandatis, satìs jam supérque in tam alacri obsequio illius periclitatus virtutem, pristinum revocâsset imperium. (*Sur. in Vit. 5. Jan.*)

18. Quæ cùm ità sint, supersedere ego jam possem responsione ad secundum objectionis exemplum: cùm quæcunque dicta sunt de severitate erga corpus, nihilo faciant minùs ad secretam conversationem cum Deo; si hanc quoque præsidis jussu, hoc est voluntate DEI contingat, longis intervallis abrumpi, breviúsque intrà temporis spatium arctari. Sed ut faciliùs ab errore deducam cœnobitarum nonnullos, de moderatoribus suis conquerentes, quòd assiduis externarum rerum curis se implicent, nec tranquilla rerum divinarum contemplatione frui sinant, ad quam cæteroqui specialiter à DEO se vocari, & ex cujus prolixiori usu amplissima se relaturos spiritualis profectûs incrementa ar-

arbitrantur; libet eorum aliquem remotis arbitris convenire, útque inter familiares solet, sic alloqui: Et undenam, dilectissime frater, nôsti à divino te spiritu, & non à proprio potiùs genio, quietis naturaliter cupido ad istud contemplativæ vitæ otium impelli? Quisnam insuper certum te facit, quòd tantam isthoc pacto orationis excellentiam, sublimitatémque assecuturus re ipsa sis, quantam tua tibi spes pollicetur? Adeóne ignoras orationem extraordinariam haud nostræ partum industriæ, sed gratuitum DEI munus esse, quod suo ille arbitratu distribuit: & sæpe quidem largiùs, non iis, qui, ut ipso tranquilliùs fruantur, humana quævis commercia devitant; sed iis, qui ut homines ad ipsum pertrahant, in eorundem medio versantur; prout videre est in Francisco Xaverio, aliisque Apostolici Christi vineæ cultoribus, qui inter assiduas occupationes pro salute animarum susceptas, non secùs, ac in quodam Sinai, vel Thabor, DEO penitùs affixi vivebant? Cùm alios è contrario legamus, quòd in pura contemplatione sanctitatis totius fastigium, ac medullam reponerent, neque illi solidam humilitatem, & propriæ voluntatis abdicationem studerent conjungere:

miseris planè modis deductos à dæmone in fraudem fuisse.

19. Fac tamen, res itè se habeat, ut ab humanis quibuslibet curis vacans, illam in orando abstractionem à sensibus, illud cogitationum silentium, illam interiorum facultatum quietem, idque genus alias consequerêre orationis dotes, quas rerum mysticarum Scriptores usque adeò commendant, contrà verò, exterioribus ministeriis operam navans, quæ modò hæc, modò illa tuus tibi moderator injungit, haud ultra gregarium, & vulgarem orationis modum sis processurus. Quid tum? Itáne ergo absque gratuitis illiusmodi prærogativis obtineri ab homine perfecta vivendi sanctitas nequit? Exequendo promptè, & libenter, quidquid à præside tuo jussus fueris, fieri poterit, ut extraordinariæ contemplationis privilegio careas; sed illius tamen locò acquires profundissimam demissionem animi, acquires omnimodam arbitrii, judiciíque proprii abdicationem, acquires perfectam voluntatis indifferentiam, facilitatémque ad quosvis DEI nutus, acquires integerrimam spiritûs libertatem, placidissimámque ab humanarum affectionum intemperiis quietem: fructus omnes germanæ obe-

obedientiæ proprios, & quibus, neſcio, quinam optabiliores poſſint à quantumlibet eximia, & præcellenti oratione ſperari. Teſtes ii ſint apud Joannem Climacum veterani jam, atque emeriti religioſæ ſectatores militiæ, & tamen etiam tum ex quocunque Abbatis nutu inſtar tyronum, ac puerorum pendentes. A quibus in quodam cœnobio repertis, cùm ſciſcitatus ille eſſet, quoſnam ſpirituales fructus ex ſua tam longi temporis ſubjectione retuliſſent; reſpondebant alii quidem, hac ſe via in altiſſimæ humilitatis abyſſum deſcendiſſe; alii verò aſſecutos eſſe, ut quodvis contumeliarum, & ludibriorum genus æquiſſimo animo, citráque ullum ſenſum exciperent. Quare meritò idem mox potuit ſplendidis iis nominibus obedientiam inſignire: *Obedientia eſt animæ propriæ perfecta abnegatio, ſpontanea mors, ſepulchrum voluntatis, vita curioſitate carens, ſecurum periculum, immeditata apud DEUM excuſatio, confectum dormiendo iter, diſcretionis depoſitio inter divitias diſcretionis.* (*Grad.* 4.) Nimis ah efficax ad ſummam divini amoris perfectionem præſidium, imò nimis quàm proprium, & perfectum divini exercitium amoris eſt illud, nullum à ſe ipſo motum habere, ſed omni in re

exanimis more instrumenti ab eo, qui DEI vices gerit, impelli, tractarique se sinere, suos omnes sensus, atque instinctus cuilibet divinæ voluntatis nutui plenissimo cum obsequio submittere: denique nihil unquam concupiscere, amare, & propositum sibi habere, nisi merum cælestis Domini placitum, neque in ullo vitæ actu quidquam aliud, quàm quod ipse vult, velle. Hæc certè perpetua quædam operationis, amorisque ecstasis est, quascunque alias intelligentiæ ecstases longo dignitatis intervallo transcendens. Hæc conjunctio cum DEO, omnium, quæ in terris haberi possunt, maximè intima, & per quam homo juxta Apostoli dictum unus cum Conditore suo spiritus fit. Hæc demum ratio vivendi, qualem, non dicam, terreni Divinitatis contemplatores, sed cælestes spiritus ducunt: quippe continenter in supremi Domini nutum intenti, & *facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.*

20. Quo loco prætereundum non puto insigne D. Teresiæ testimonium, tantò dignius fide, dum exactam obedientiam quietæ contemplationi anteponit, quantò erat singularium fructuum peritior, qui ex intima Dei contemplatione proveniunt. En illud ex de-

ci-

cimo fundationum capite. *Absurda res foret, si DEO palàm nos jubente negotii aliquid pro sua gloria susciperè, nollemus nisi coram ipso versari, quia ex ejus præsentia plus jucunditatis haurimus. Ridiculum enim verò amoris divini incrementum. Hoc est intrà angustos nimis fines illius potentiam concludere: perinde quasi nequeat, nisi unica tantùm via & ratione nobis prodesse. Præter domestica experientiæ meæ monimenta, novi quasdam personas, quæ suo id exemplo mihi luculentiùs monstrârunt. Siquidem miserabar earum vicem, quòd assiduas inter occupationes ab obedientia detinerentur, reputans mecum, fieri non posse, ut in tanto rerum gerendarum æstu, ac tumultu ad virtutis incrementa proficerent, qua non nisi mediocriter instructæ tunc erant. O! mi Domine, quantùm consilia tua à nostris imaginationibus distant? Utque ab anima tui amante, quæque se totam tibi moderandam tradidit, nihil aliud requiris, nisi ut imperata faciat, curétque edoceri, ubinam majus obsequium tuum sit, & illud solummodo appetat? Haud necesse illi est, opportunas sibi vias indagare, & eligere, utpote quæ suam tibi voluntatem usquequaque subjecit. Tu Domine, hanc suscipis curam, illius, quà proficere meliùs possit, ductandæ. Et quamvis, qui præest, in demandanda illi negotiorum administratione*

ne

ne hunc illius ampliorem profectum haud respiciat, sed solummodo ut negotia ex cœnobii usu rite obeantur ; tu tamen, mi DEUS, illum respicis, atque ità, quæ geruntur, disponis, ut animæ præsidis sui jussa ex tui amore capessentes, uberem indè spiritualium fructuum copiam ignaræ, quo pacto, nec sinè tacita inopinati successûs admiratione percipiant. Ità planè usuvenit personæ cuidam, usque adeò perpetuis ad quindecim annos ministeriis, & curis distentæ, ut nè unam quidem toto illo temporis tractu seponere sibi uni dieculam posset : esto aliquam quotidie horam occupationibus reliquis suffurari ad privatæ orationis usum, & puram tueri conscientiam studeret. Anima est maximè omnium, quas noverim, ad obediendum propensa: nec absque luculento illa quidem promptæ hujus subjectionis suæ præmio. Nesciens enim, quanam ratione id contigisset, interiori illa spiritûs libertate potitam se agnovit, quæ perfectorum hominum propria est, & quidquid felicitatis in præsenti vita expeti potest, secum homini affert: cùm per eam, nihil anima in terris timens, aut cupiens, omnia possideat. O felix obedientia! ô felix ex ea oriens mentis distractio, quæ nos potest tanti boni compotes facere ! Hactenus sacrum illud Carmeli oraculum: ex cujus verbis, & præcedenti disputatione universa colligere

uni-

unicuique fas est, quanto cum fœnore occupationes profanæ per obedientiam susceptæ, etiamsi divinæ contemplationi impedimento essent, illius jacturam compensent. Lucrosi genus dispendii est, dictitabat sanctus meus Pater Ignatius Loyola, à DEO DEI causâ recedere. Expertáque id est pia quædam Virgo apud Blosium, quæ, cùm cælestem suum Sponsum sub infantuli specie sibi præsentem, audito tintinnabuli aliò evocantis pulsu, illico deseruisset; reversa in cubiculum, eundem in juvenis specie, & statura adultum reperit, dicentémque audiit: tua me obedientia ad hanc magnitudinem provexit. (*Apol. pro Taul. c. 6.*)

21. Neque de hoc quidquam dubii esse potest, si obedientia accipiatur, non quemadmodum sæpe fit, pro ejus duntaxat materia, mera scilicet eorum effectione, quæ moderatores præcipiunt; sed, ceu potiùs par est, pro intimo etiam, flagrantíque studio exequendæ in omnibus voluntatis divinæ: adeò ut præsidis jussa & indifferenti prorsus animo expectentur, & tanquam ipsius DEI vox peramanter excipiantur, & promptissima cū voluntate effecta reddantur. Quo pacto si quis tota die agat, quæ sibi imperantur; mani-

nifestò apparet, quàm interior ejus devotio, & necessitudo cum DEO à nullo actionum, tametsi maximè tumultuosarum, genere impediri queat. Cùm neque aliud, teste D. Thoma, interior devotio animi sit, quàm *voluntas quædam promptè faciendi, quæ pertinent ad DEI famulatum*; (*2. 2 qu. 82 a. 1.*) neque universa illius vita, & operatio dici aliud possit, nisi alacre quoddam studium DEO ubique serviendi, & placendi. *Vidi quosdam*, Joannes Climacus scribit, *obedientiæ virtute fulgentes, Deique memoriam pro viribus non negligentes, promptè ad orationis studium accurrere, mentémque suam citò colligere, lacrymásque fontium in morem profundere. Erant enim præparati per sanctam obedientiam.* (*Grad. 28.*) Sin autem religiosus vir neque DEI placitum pro unico, & generali operationum suarum scopo habeat; neque in moderatorum jussis meram divinæ voluntatis significationem spectet, ac diligat: sed hæc potiùs, quàm illa pro naturali suo instinctu sibi præcipi optet: & si, quæ imperantur, voluntati suæ arrident, hac potiùs de causa, quàm quia DEO placent, ea peragat; si verò cum propensionibus suis pugnant, invito eadem animo, coactúsque exequatur; facilè assentiar, fieri posse, ut multa

ta opera, per obedientiam ipsi quidem injuncta, sed ab ipso voluntate parùm obedienti susceptа, & peracta, nedum ab eximiæ contemplationis usu illum prohibeant; sed vel ordinariæ cum DEO consuetudini minùs habilem reddant: neque solùm levem aliquam mentis confusionem, & affectuum inquietudinem in illius animo excitent; verùm etiam charitatis ardorem, necessariæque perfectionis studium non sinè gravi spiritualis profectûs detrimento restinguant. Quamvis nunquam concesserim, posse veram, germanámque obedientiam se rite exercentibus pœnitendam, minúsque utilem dici. Prædicta quippe incommoda haudquaquam ex ipsa, sed ex ipsius defectu oriuntur: neque novũ in mundo est, etiam saluberrimas naturâ suâ res pravè utentium vitio noxias evadere. Qui ratione modò expositа præsidum jussis obtemperat, non divinam in iis quærit voluntatem, sed propriam: propriámque duntaxat in operando voluntatem quærere, ùt à legitimo obediendi ritu quàm longissimè abest, sic nullo modo potest nisi futile, & imaginarium quoddam religiosæ obedientiæ simulacrum vocari.

22. Qua-

22. Quapropter operæ pretium fore arbitror, si velut in tabula quadam delineatam exhibeam, qualem hìc accipio, divinæ hujus naturam, ac perfectionem virtutis: principia nimirum, quibus necessariò illa innititur, & actus, qui propriam, formalémque illius praxim constituunt. Duo itaque sunt principia, unde omnis pendet, & quibus gemino quasi cardine sustinetur religiosæ obedientiæ perfectio. Primum ardens in homine, qui eam profitetur, desiderium faciendi in re omni, quidquid DEUS maximè vult à se fieri, cum firmissimo, & universali voluntatis decreto, nunquam illud omittendi, quantumcunque naturâ asperum, molestúmque sit, & propensionibus, atque commodis suis adversetur. Secundum, certissima persuasio, quòd nulla alia ratione DEI circa se, & actus suos voluntatem possit meliùs agnoscere, quàm per sui præsidis, unici nempe illius vicarii, & interpretis vocem: adeò ut extra omne dubium credat, quidquid sibi ab hoc præceptum fuerit, à DEOipso præcipi: nec posse unquam contingere, ut quæ DEUS fieri à se vult, dum illi obedit, non efficiat; aut dum non obedit, efficiat. Geminis porrò hisce quasi fundamentis præjactis, nihil dif-

fi-

ficultatis jam supereſt, quo minùs, qui ità præparatus, compoſitúſque animo eſt, eos actus pergat adjungere, in quibus propria perfectæ obedientiæ exercitatio conſiſtit. Tres verò illi ſunt: Primus nempe, in quavis agendi occaſione ſuum moderatorem adire, ab eóque, tanquam ab oraculo quodam ſcitari, quidnam in præſenti re DEUS fieri, vel non fieri à ſe velit. Secundus, quidquid ipſe edixerit, pleniſſimo cum aſſenſu, & ſinè ulla examinatione, quaſi indubiam DEI vocem excipere. Tertius poſtremò, idem, ſimul atque audîerit, prompto, & libenti animo peragendum ſumere: nihil attendendo, quale ſecundùm materiam ſit, arduúmne, an factu facile, genióne jucundum, an triſte; ſed ſolam in eo divinam voluntatem ſpectando: objectum videlicet, quod ipſe unum ſuper omnia cordi habet, ac cæteris quibuſque objectis amabilibus præfert. Actus enim verò intimè adeò cum duobus modò dictis principiis connexi, ut, qui ea penitùs defixa in animo habet, ceſſare ab his nequeat: quemadmodum argumenti concluſionem inficiari nequit, qui propoſitionibus, in quibus continetur, & è quibus ſecundùm leges Dialecticæ eruitur, aſſenſum præbuerit.

23. Parùm ergo, seu nihil perfectæ obedientiæ sectator pensi habet, utrùm, qui DEI locò sibi præest, hic, an ille homo sit: num bene, an malè erga se affectus: num placidæ, an severæ indolis: num eximiæ, an mediocris prudentiæ, & virtutis: gnarus omnia hoc genus discrimina nullius momenti ad finem suum esse, ad divinam nimirum voluntatem ex eo perdiscendam: similiter ac viator, certi itineris agnoscendi cupidus, nihil interesse suâ putat, nobilísne, an plebejus, pulchérne, an deformis sit, à quo illud sibi indicatur: & veluti nihil aliud optanti, nisì voluntatem sui principis nôsse, perinde omnino est, sive ab ipsomet, sive ab aliquo ipsius nuntio de ea certior fiat, & sive hic ex primariis aulæ proceribus, sive ex imo pediseguorum sit grege. Neque itèm, qui hujusmodi est, & in obediendo nîl præter obedientiam ipsam quærit, solicito secum animo versat, hócne, an illud cœnobii præses sibi imperaturus sit, aut quid responsi postulationibus suis redditurus? Cùm enim nihil optet aliud, nisì divinam circa se voluntatem ex illius decretis agnoscere; nullas quoque habet causas, cur hoc potiùs, quàm illud ab eo cupiat decerni. Præsertim quòd non modò

cer-

certissimè noverit, divinam voluntatem à se impleri, quandocunque moderatoris sui jussa exequitur, etiamsi ab hoc jubeatur corporis afflictationes, orandique prolixitatem moderari, & vitam penè omnem externas inter curas traducere; verùm etiam compertissimum habet, nullo fieri modo posse, ut DEI jussa, qualiacunque illa sint, fideliter peragens, ex amanti hoc erga illum obsequio quidquam detrimenti circa spirituale profectum suum capiat: imò, quamvis de hoc certus non esset, sed præsagiret potiùs, executionem hujus, vel illius rei à suo præside, & consequenter à DEO ipso sibi imperatæ, spiritualibus animæ suæ emolumentis fraudi futuram; adeò tamen DEUM, sanctissimámque illius voluntatem plùs suis omnibus nedum temporariis, sed & æternis rationibus diligit, ut, nè illam exequi omittat, paratissimus sit, quæcunque harũ dispendia subire. Quemadmodum ergo viator, qui Romam exempli gratiâ, vel Neapolim tendit, si duas inter occurrentes semitas dubitet, utra ad destinatum terminum ducat, nullo utitur verborum artificio ad efficiendum, ut regionis periti unam sibi præ altera, dextram putà potiùs, quàm lævam indigitent: sed cum simplici voluntate

cognoscendi eam, quæ vera est, & cognitam, quæcunque illa sit, capessendi, suam illis dubitationem proponit; sic & ipse nihil aliud desiderans, quàm merum DEI placitum in quovis actu suo reperire, nequaquam contendit cœnobii rectorem inducere, ut hoc potiùs, quàm eo tramite ad prædictum suum finem se ducat: sed animo prorsus indifferenti certum aliquem ab illo sibi designari expectat, eundémque, tanquam si nullus præterea alius foret, quietissimè ingreditur. Et veluti si à DEO ipso palàm loquente sibi dici audiret: nolo, ut severè adeò in tuum corpus animadvertas, támque diu orationem producas, sed ut communi circa utrumque sis contentus tui Ordinis modo, útque in hoc munere, quamvis tricarum pleno, & tranquillæ mecum consuetudini minùs accomodo, mihi pergas servire; manifestis hisce Dei placitis, & ex ipso illius ore auditis promptissimè suam voluntatem submittere: vel credens eorum executionem nihil sibi spiritualis detrimenti allaturam; possibilia quævis detrimenta pro minimo habens, dum interim DEO jubenti plenè obsequatur; simili prorsus pacto, eadémque cum alacritate animi omnes excipit sui præsidis nutus: certus scilicet,

cet, DEUM nihilo per hos minùs, quàm si sensibili sub imagine præsens loqueretur, suam sibi voluntatem aperire: voluntatem profectò longè omnium ipsi charissimam, quámque pro unico votorum suorum scopo, & gaudiorum centro habet. Post quæ perpendendum cuivis relinquo, quàm præcellenter descripta hìc operandi ratio, quidquid summum in amore divino, omníque Christiana perfectione est, amplectatur: quámque meritò sancti Hieronymus, & Joannes Climacus scripserint: Ille quidem (*In Reg. Monach. c. 6.*) *In obedientia summam virtutem clausam esse. Nam simplici gressu hominem ducit ad Christum*; Hic verò tam eximiæ sectatorem virtutis *ad ea, quæ honesta sunt, & spiritualia, ac divinæ Majestatis oculis gratissima, ferè antè venturum, quàm ire cœperit.* (*Grad. 4.*) Tribue, DEUS, tribue, talium munerum cupidis, mira spiritualium objectorum visa, intelligentias humano captu altiores, mentis excessus, abalienationes à sensibus, præpetes ad tertium usque cælum volatus, quæque alia in thesauris gratuitæ liberalitatis tuæ sunt extraordinaria id genus charismata. Quod ad me pertinet, donum hisce omnibus pretiosius, magisque expetendum putabo, te in tantum

amare, ut nihil præter ea, quæ ipse vis, velim.

CAPUT VIII.

Repræsentatur in nonnullis exemplis perfectio, quam in obedientia exercenda assequi possumus.

QUemadmodum naturale est corporibus liquidis, nullam à se ipsis certam figuram habere, nullámque non confestim accipere, quæ aliunde ipsis veniat; sic non dissimilem in perfectæ obedientiæ cultoribus videre proprietatem fas est. Cùm ipsi etiam nequ ullam actionem, utcunque sancta secundùm suum genus sit, per se ipsos, proprióque ex instinctu suscipiant, neque ullam non promptè aggrediantur, quæ à moderatorum voluntate illis fuerit præscripta, quantumcunque illa & naturæ propensionibus adversetur, & ab humanæ prudentiæ regulis dissidere videatur.

2. Illustre esse potest primæ partis exemplum nostri Ordinis tyro, Antonius Appulus no-

nomine, qui noviſſimo in morbo, interrogatus à præſide, quandonam emigrare è terris vellet: quonam modo, reſpondit, quidquam mihi facere, & velle à me ipſo fas eſt, cùm in te, qui reſpectu mei locum Domini obtines, meam penitùs voluntatem depoſuerim? Tuum eſt decernere, quid faciendum mihi ſit, & meum, quod decreveris, facere. Cui ille: Age igitur, fili, craſtinum diem operire: & ubi diluxerit volente DEO, abi ad patriam ſemper viventium. Mirum dictu: perrexit pius adoleſcens cum morbo ad præfinitum uſque tempus luctari: eóque appulſo, verè *obediens uſque ad mortem*, placidè obiit. (*Hiſt. Soc. 1. p. l. 11. n. 19.*)

2. Simile huic, nisi quod lepidius, & magis mirabile eſt, quod de F. Hyacintho à Fano Fortunæ in Capucinorum annalibus proditur. In ſupremo hic etiam vitæ cardine agebat: cùm à geminis Apoſtolorum Principibus Petro, & Paulo, ſub viſibili ſpecie lectulo adſtantibus, ad cæleſtem Hieroſolymam ſecum unà petendam invitari ſe audiit. At DEI famulus, cui optatius erat illi obſequi in terris, quàm vel ipſam illius faciem in cælo intueri, excuſavit, non ſibi licere moderatoris ſui injuſſu è cœnobio egredi. Pa-

terentur ab eo veniam se petere. Quam ubi impetraverit, nihil interpositurũ moræ, quin se illis comitem daret. Nec secùs factum ab eo est; cùm enim rem totam Cœnobiarchæ exposuisset, vix legitima illius facultate, & fausta apprecatione ad feliciſſimum iter communitus, è terris excessit. (*An.* 1560. *n.* 10.)

4. Digni quoque memoratu in eodem genere duo illi apud Cassianum Monachi sunt, qui jussi à Joanne Abbate ficuum cistellam ad senem in eremo interiori ægrotantem deferre, cùm à recto itinere aberrâssent, nec post varios tota die, ac nocte per deserti avia discursus, quidquam certi tramitis reperirent; viribus denique ad extremum languorem perculsis, maluerunt præ inedia mortem oppetere, quàm ex cibario illo commeatu vel tantillum absque Abbatis venia gustare: quem propterea, missi quæsitum eos fratres, post aliquod tempus juxta eorũ cadavera invenêre prorsus intactum. Exemplũ enim verò obedientiæ severioris potiùs, quàm prudentis: sed quod ab illis DEI famulis pia, & simplici mente editum, justo pudore afficere immodicam aliorum prudentiam, & libertatem potest, in præsumendo, juxta suum commodum, citráque ullam gravem causam, superum moderatorum assensu. (*Cass. Lib.* 5. *c.* 40.)

5. Quod

5. Quòd verò ad celerem eorum, quæ imperantur, executionem ſpectat, inſigne cumprimis illius ſpecimen Bercharius Luxovienſis Monachus dedit: cùm vocatus à cœnobii præſide, quo tempore potum è dolio ſecundùm officii ſui rationem pro communi uſu hauriebat, nè tantum quidem moræ interpoſuit, quantum dolio obturando ſat foret. Sed hoc, ità ùt erat, adaperto relicto, neutiquam advertens, vel penſi habens, quid evenire indè poſſet, ad eam vocem cucurrit, quam pro DEI voce agnoſcebat: dignus profectò, cujus in obſequendo alacritatem perilluſtri comprobaret miraculo. Liquor ſiquidem è patente dolio in ſubjectum vas defluens, poſtquam illud compleverat, haudquaquam, prout naturæ ſuæ conditio exigebat, foras ſe effudit; ſed perrexit ſupra illud in cilindri ſpeciem conſurgere, atque ità in ſublimi, quamvis nullo à lateribus cohibente repagulo hærere, perinde quaſi aut congelâſſet, aut circumfuſus aër pro ſolido vaſe illi foret. (*Vinc. Spec. Hiſt. c. 114. & Spec. Exempl. Diſt. 4. Ex. 32.*)

6. Cui exemplo libet aliud ſubjungere, non quidem ità in ſpeciem præclarum, quia nullis nobilitatum prodigiis, ſed ſi rei diffi-

cultas ſpectetur, non minori egens virtute: factum nempe Hermanni Hugonis, viri literarum, & virtutis laude in noſtro Ordine eximii: quando vix Mechliniam poſt laborioſum iter appulſus, à Provinciali audiit, velle ſe annuas Provinciæ literas, quarum ſcribendarum ipſi curam demandârat, luce craſtina inſpicere. Potuiſſet ſanè Hermannus, cùm in lucubratione illa multa adhuc emendanda ſupereſſent, aliquas deprecari prolixioris temporis inducias, quò illam commodiùs perpoliret; ſed obedientiæ injuriam exiſtimans, illius dilationem vel precariò poſcere; nulla excuſatione interpoſita, ità ut erat de via feſſus, in conclave ſe abdidit: diurnóque itineris labori, neceſſariæ quietis locò, alterum moleſtiorem addidit, tota nocte pervigilandi, & ſcribendi laborem. Nisi quòd veris DEI famulis quietis ſuaviſſimæ inſtar eſt labor, quem pro exequenda cæleſtis ſui Domini voluntate ſuſceperint. (*Rho. Hiſt. Virt. L. 4. c. 6.*)

7. Succedunt alii duo ex noſtra itèm familia Sodales, Joannes Ortunius, & Alphonſus Rodericius, quàm oculati, lynceíque ambo, ad DEUM ſub humana moderatorum ſpecie, ac perſona agnoſcendum, tam penitùs

tùs cæci ad humanæ interpretationes prudentiæ, in quovis eorum nutu exequendo. Quippe eorum prior jussus quotidie tribus aquæ situlis florum areolam rigare, nunquam intermisit demandatum hoc sibi pensum etiam diebus maximè pluviis, quanquam eo tempore omnino supervacuum, quódque spectantibus admirandi præberet, ac ridendi materiem, diligentissimè obire. Quin aliàs, cùm Collegii Subministeer vespere quodam nive, ac ventis perhorrido in ambulatiuncula, domesticum versùs impluvium patente, eum offendisset, séque paulò pòst rediturum illuc præstolari jussisset; plures noctis horas, quod Subministro mandati memoria exciderat, in eodem vestigio, statuæ instar immotus expectare illius reditum perseveravit: totámque adeo noctem, quamvis nivi expositus, & frigoris vi semienectus, pacatissimo ibidem animo perdurâsset, nisi sub cœnæ tempus, à sociis eum abesse observantibus conquisitus, suáque è statione abductus fuisset. (*Rho. vide suprà. & in Vit. Balt. Aluar. c.* 30.)

8. Alter verò, cum in solenni secundùm cœnam domesticorum conventu piæ quædam literæ legerentur, & ipsum, audito interim no-

nolæ pulsu, qui finem indicebat conventui; abire illico parantem, subsistere ibidem Rector jussisset, quamvis post peractam literarum recitationem alii omnes sua in conclavia discessissent; accepti sinè ulla temporis determinatione imperii memor, ubi illud audierat, stare totam noctem perrexit: donec Rector insequenti manè admonitus à cõmuni excitatore, Alphonsum in cubiculo non apparere, subodoratúsque rei causam, quæri eum in loco, ubi pernoctârat, jussit, ac denuntiari eidem, ut suum in conclave sese illinc reciperet: admirans quidem secum cæcam illam obsequendi alacritatem, sed simul indè addiscens, quanta cum verborum pensitatione imperandum homini foret, qui imperia, prout sonabant, examinandi, ac interpretandi nescius perageret. Adeò namque eximius, & simplici puerulo similis, in accipiendo, exequendóque, secundùm meram verborum significationem, quidquid sibi præciperetur, hic DEI servus fuit, ut tam vetera, quàm recentia historiarum monumenta pervolutanti, haud facilè occursurus sit, qui hoc in genere illi mereatur præponi. (*In Vit. c. 11. & apud Rho. suprà.*)

9. Quod

9. Quod si aliquis sanctam hanc in obediendo, ut sic loquar, imprudentiam non nisi adolescentûm, atque idiotarum esse propriam censeret; sat erit ad illum à falsa ejusmodi opinione abducendum S. Lamberti Trajectensis Episcopi exemplum, quo is tempore, à sua sede per injuriam ejectus, inter Stabulensis cœnobii Monachos quasi eorum unus degebat. Cùm enim nocte concubia è lectulo ad orandum surgens strepitum fortè aliquẽ in conclavi excitâsset, ubi fratres simul omnes cubabant, offensus eo Abbas, sublata voce dixit: qui intempestivo hujusmodi sonitu obturbare non est veritus sociorum quietem, ad luendam culpæ suæ pœnam actutum hinc abeat, & reliquum noctis ante Crucem, quæ extra cœnobii septa est, sub dio pervigil ducat. Neque sanctus Præsul seu factum excusavit, seu ulla interpretatione à tam dura lege se eximere studuit. Sed qualis tunc erat sinè calceis, & solo amictus cilicio tacitè ad præscriptum locum contendit: ubi repertus dein manè à Monachis est, præ nimio tum noctis, tum asperrimæ hyemis frigore vix penè quidquam vitalis caloris, & spiritûs retinens: non sinè magna Abbatis perturbatione, qui veniam ab eo humiliter

liter petens, omni asseveratione confirmabat, nunquam sibi in mentem venisse, aut ipsum eo præcepto comprehendere, aut futurum, ut eo ipse comprehensum se vellet. (*Sur. 17. Sept. & Marul. L. 4. c. 3.*)

10. Multi adhuc ex Philippi Nerii alumnis supererssent, memoratu digni, ob sedulam executionem imperiorum, à communi usu, & ratione abhorrentium, quibus de industria uti vir sanctus ad periclitandam suorum virtutem consueverat. Sed vitandæ prolixitatis causâ, duos tantumodo, Augustinum Mannium, & Cæsarem Baronium retulisse sat fuerit. Quorum prior, juxta ejus mandatum, quam publicè ad populum è superiore loco orationem habuerat, continuavit quinis porrò diebus ad verbum repetere: nihil retardatus auditorum dicteriis, & sañis, qui cùm in suggestu iterum apparuisset; sese invicem respectantes, en Patrem! cum risu mussitabant, qui non nisi unicum recitare sermonem novit, hesternámque nobis crambem iterum obtrusurus revertitur. Baronius verò missus pluries à sancto Patre est cum prægrandi, & multorum sextariorum capaci œnophoro, ad duos, trésque vini cyathos emendos: ità tamen, ut primò immane

ne illud œnophorum à caupone diligenter sibi ablui juberet: tum quasi præcavendæ fraudis causâ adesse præsens vellet, quando vinum hauriebatur è dolio: ac denique tridrachmum, & aliquando etiam numum aureum offerret, tot sibi renumeraturo minores nummos, quot ultra tantilli illius vini pretium ibi inerant. Quas omnes emptionis circumstantias, esto importunas, & parùm decoras, fidelis discipulus tam exactè, religioséque observabat, ut irritati indè caupones, præter fœdissimas verborum contumelias, fustuariũ ei quoque non semel minitati sint. (*Bacci in V. S. Phil. L. 2. c. 19.*)

11. Sed præcipuè in imperiis, quæ mortis discrimen homini afferunt, illustre obedientia sui specimen præbet. Quale in D. Columbani cœnobio tunc præbuit, cùm plerisque Monachorum ægrotantibus, præcepit S. Abbas, ut omnes se è stratis proriperent, & ad triticum in area terendum conferrent. Quodnam, rogo, imperium hôc durius, & si secundùm extimam tantùm speciem attendatur immitius? Itáne hominibus ex morbo laborantibus, quique vix consistere pedibus possent, tam laborioſum medio ferè anni æstu opus injungere? Quidnam aliud id est,

quàm

quàm manifestæ illos morti objicere, & ad aream mittere, ut indè reportentur ad tumulum? Revera humanæ hujus generis rationes in nimis cauta nonnullorum mente tantum habuêre ponderis, ut satis se indè excusatos putaverint, si imperatum subterfugerent, ac deprecarentur laborem. Ast alii, majoris erga DEUM fidei, nulla hujusmodi terriculorum ratione habita, obedientiæ potiùs, quàm naturæ viribus sunt opus aggressi. Quibus adeò illud nîl periculi, & incommodi attulit, ut potiùs morbo in area relicto integri omnino, valentésque indè abierint: cùm primi illi è contrario, qui humanæ magìs rationi, quàm obedientiæ auscultandum putaverant, totum illum annum conflictari cum sua febri perrexerint, ut illorum timidatem objurgans eventurum Columbanus prædixerat, (*Apud Plat. de Bono Stat. Rel. L. 2. c. 5.*)

12. Et ibi quidem à morte eos DEUS vindicavit, qui præ obsequendi studio non timuerant illius aleam subire. At Petrum Fabrum, Apostolici spiritûs virum, & inter S. Ignatii Loyolæ Socios primum, ad majus obedientiæ suæ meritum mori hujus causâ permisit. Accersiverat eum Ignatius ex Hispa-

ſpania Romam, ut hinc Tridentum tranſiret, in Concilio ibi coacto Pontificii Theologi perſonam obiturus. Neque ille adulta jam ætate in Italiam appulſus ignorare poterat, ingreſſum in urbem per id tempus, ceu eſſe non rarò etiam bene valentibus ſolet, ità ſibi, tum prolixi adeò itineris, tum recentis morbi ærumnis debilitato, ac penè etiam tunc ægrotanti facilè exitialem futurum. Sed nihilominus obedientiæ ſtudioſior, quàm vitæ, nè illam differret, hanc abrumpere pro nihilo habuit: imò non tam pro nihilo, quàm ſingulari lucro habuit, ùt ipſemet poſt ſuum è terris diſceſſum religioſæ cuidam perſonæ teſtatus eſt, videndum ſe ei præbens, multa circumfuſum luce, & cum peculiaris gaudii ſignificatione ingeminans, obedientiæ causâ mortem oppetii. (*Bartol. Ital. L. 1. c. 17.*)

13. Nec diſſimili providentia uſus eſt Deus cũ Gonſalvo Cardoſo, noſtri Ordinis viro: niſi quòd non modò in itinere per obedientiam ſuſcepto eum mori utì Fabrum permiſit, ſed mortis præterea, quam à barbaris graſſatoribus ſubiturus ibi erat, præmonitum divinitus voluit, ut quantò de hac certior, tantò majori cum fortitudinis laude, atque merito illi obviàm contenderet. Juſſus ergo

iter capeſſere, promptiſſimè illud capeſſam, reſpondit: non tamen illuc perventurus, quò mittor; neque huc reverſurus, unde abeo. Et prædictioni planè eventus reſpondit. Medio quippe in curſu à latronibus circumventus, non tam eorum immanitatis, quàm religioſæ obedientiæ victima occubuit. (*Rho, loco ſup. cit.*)

14. Non videtur ſupereſſe, quò ulteriùs progrediatur virtus, poſteaquam mortem ipſam ultimum terribilium contempſerit. In duobus tamen, quæ ſubjiciam, exemplis peculiaris quædam, & fortè etiam ipſiuſmet mortis contemptu major virtutis excellentia ſe prodit. Quotus enim quiſque Mutium Monachum videns, arrepto inter ulnas filiolo, quem ſecum unà, quaſi alterum ſe, divino famulatui in cœnobio ſacraverat, curſim flumen versùs contendere, ut dulce illud pignus, & ſuâmet ſibi vitâ charius in undas demergendum projiciat, quod facere Abbas eum juſſerat ad ſuæ experimentum virtutis; quotuſquiſque, inquam, eum videns parricidæ ſimilem, non præclarius ab eo exhibitum fortitudinis ſpecimen, devictámque generoſiùs naturam fuiſſe arbitrabitur; quàm ſi ſemet ipſum eidem, aut etiam immaniori le-

letho obtuliſſet? Vivus quidem, & incolumis, fateor, à fluminis ripâ puerulus rediit. Sed tamen ſecundi hujus, ut ſic loquar, natalis neutiquam patri fuit debitor: qui ſicut ſeria, & efficaci voluntate illum DEO jam devoverat; ſic deſtinatum mente holocauſtũ re ipſa etiam conſummâſſet, nisi novo Abbatis imperio à primi jamjam peragendi executione revocatus tempeſtivè fuiſſet. DEUS certè, perſpicaciſſimus cordium inſpector, & meritorum æquiſſimus judex, palàm fecit, non minori in pretio novum hoc Mutii, quàm vetus, tótque laudibus celebratum Abrahami ſacrificium apud ſe eſſe, revelans Abbati: *Hac eum obedientia Abrahæ Patriarchæ opus implêſſe.* (*Caſſ.* L. 4. *c.* 27. *&* 28.)

15. Si Porrò animadvertamus, quanto chariorem mortali tum ſua, tum chariſſimi cujuſque capitis vita homines verè Apoſtolici habeant ſempiternam animarum ſalutem; haud profectò ire inficias poterimus, quin veluti horum unus fuit magni ille Franciſci Xaverii tam fidus, támque ſimilis comes, nempe Gaſpar Barzæus; ſic nullâ aliâ inferior exiſtimari obedientia mereatur, cujus ille ſpecimen dedit: cùm à quatuor Felicis Arabiæ urbibus invitatus per Legatos, ut Chriſtianæ

fidei doctrinam sibi præsens impertiretur, quam libentissimis animis se amplexuras spondebant; acerrimis licèt stimulis ad tam uberem, obviámque animarum messem impelleretur; quia tamen à Xaverio vetitus fuerat Armuziana statione egredi, illius voluntati, quam pro divina interpretabatur, suam omnino subjecit: domum quidem Legatos remittens, salutari unda ablutos, déque Christianæ fidei mysteriis probè eruditos, sed excusans, nullo sibi pacto licere illos sequi: quanta cum violentia, & ægritudine animi in se ità continendo, pronum cuique est colligere, tum ex voto, quo se obstrinxerat, nemini omnium, ad quoslibet sive corporis, sive animi usus opem suam denegandi; tum ex ardentissima, & infatigabili charitate, qua vel singulorum hominum, nedum populorum, ac provinciarum conversionem quærebat. (*Hist. Soc. L. 10. n. 130. & L. 13. n. 75. & in Vit. Ital.*

CAPUT IX.

Non amari DEUM ſumma, & tota vi ab homine, qui, licèt faciat ejus gratiâ, quidquid poteſt, non deſiderat plùs ei adhuc gratificari, quàm poſſit.

NAtura, quemadmodum infiniti boni causâ nos fecit, ſic ad aliquam cum eo proportionem, infinitos eſſe voluit, ſi minùs quantùm ad exiſtentiæ, ſaltèm quantùm ad amplitudinem: ut quò noſtræ appetitûs ingeniti vires non pertingebant, eò noſtra deſideria pertingerent, ídque etiam horum immenſitate complecteremur, quod intrà finitum modum contineri minimè poterat. Neque inutilia, & præter rationem ſunt ejuſmodi vota, ubi ad proprium ſuum objectum, DEUM ſcilicet tendunt. Cùm enim ſummum illud ens coli, amaríque non minùs, quàm infinitè mereatur; congruentiſſimum rationi erat, nè tam juſto fraudaretur tributo, ſed poſſent rationales ſubſtantiæ eam obſequii, amoríſque infinitatem, quæ ipſius meritis convenit, aliquo demum pacto, hoc

est saltèm volendo, atque optando ipsi exhibere; præsertim quòd sublato hoc levamine, & quasi respiratione nimiùm difficilis fieri, continuæque suffocationi similis sanctorum hominum vita esset. Nam, cùm hi plùs Deum ament, quàm servire illi possint, nullum alioqui, vel post omnes suas vires in illius famulatu exhaustas haberent campum, ubi liberum iis foret pro amoris sui modo se effundere: quantóque majora hic amor caperet incrementa, tantò simul & necessitas se laxandi, & molestia intrà spatium sibi impar degendi plùs crescceret.

2. Præterea, quisquis secum recogitat hinc difficultatum salebras, quæ in perfectioris vitæ curriculo ad singulos penè gressus occurrunt; hinc nostræ voluntatis imbecillitatem minùs semper ad magna aggredienda strenuæ, quàm ad decernenda animosæ; facilè agnoscet, opus nobis fuisse, ut quæ possumus peracturi, majora, & plura vellemus, quàm quæ exequi possumus. Quemadmodum arcu debili jaculaturus, nè infra scopum feriat, altiùs collimare opus habet: quique, à viribus malè paratus, rivum transilire aggreditur, quò ad ripam ulteriorem perveniat; debet saltum cum animo, & conatu non

non solùm eam attingendi, sed & prætereundi capere. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam*, (ajebat Christus Dominus) *præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* (*Matt. c. 5.*) Probè scilicet gnarus, quanti ad illatas injurias patienter ferendas interfit, novis, & ulterioribus in eodem genere aliis paratum sua sponte se offerre: faciénsque nobiscum, quod mercium venditores cum emptoribus, qui ut justum ab his pretium recipiant, solent justo majus postulare: aut quod Seneca observat ab athleticæ, & gladiatoriæ artis doctoribus fieri, qui discipulis graviora imperant, quàm certantes sint laturi. *Exercitatio*, inquit ille, *durior esse solet vero certamine. Gladiatores gravioribus armis discunt, quàm pugnant. Luctantes binos simul, ac ternos fatigant, ut faciliùs singulis resistant. Multiplicatur ex industria labor, quo condiscimus, ut levetur, quo decernimus.* (*In Proœm. L. 4. Controv.*) Quapropter, cùm conatus operandi ultra justi officii mensuram adeò utiles sint, ut hæc penitùs, atque ex toto impleatur; palàm hinc sequitur, haud gratificari DEO, neque quantùm potest, qui non desiderat ei gratificari ultrà etiam, quàm pos-

sit. Hujusmodi enim desiderium omittens, rem omittit DEO admodum gratam: voluntatis nempe actum, qui & ab eximio illius amore proficiscitur, & ad reliquos omnes divini amoris, obsequiique actus voluntatem mirificè adjuvat.

3. Adde insuper, quòd desideria DEO serviendi nunquam fructu suo careant, ubi vires ad eorum effectum defuerint. Cùm enim cælestis ille Dominus nîl à nobis, præter nostrum amorem requirat, neque aliâ, nisi hujus causâ externis actionibus delectetur, pro ipsomet facto etiam solam faciendi voluntatem homini imputat: nec minori hanc in pretio habet, quando ex virium defectu sola, quàm ubi operum fœcunda est. Ac proinde, qui plura, & majora, quàm possit, pro ipso agere optat, plura, & majora secundùm æstimationem illius agit, quàm secundùm vires suas possit: tantundem gratiæ, atque meriti suo illo desiderio assequens, quantum, si quod desiderat, peractum revera ab eo esset. Quæ veritas adeò certa est, ut nihil ferè expressiùs, & magis unanimi sensu à SS. Patribus doceatur. Docet illam D. Cyprianus in materia subeundæ mortis pro Christo, consolans indè eos, qui querebantur

bantur, talis sibi holocausti facultatem negari: (*De Mortal.*) *Aliud est enim animum deesse martyrio, aliud animo defuisse martyrium.* Qui animus *in DEI servis, apud quos martyrium mente concipitur, DEO judice coronatur. Nec enim DEUS sanguinem nostrum, sed fidem quærit.* Docet D. Hieronymus, respectu eleemosynæ, affirmans: eum, qui non habet tribuendæ illius copiam, *quantumcunque voluit dare, tantum dedisse, quia voto dedit.* (*In Ps. 111.*) Docet universè D. Augustinus, vocans *bonam voluntatem thesaurum pauperum:* (*Hom. 8. in ea verba, Rad. omn. mal. cup.*) & alibi statuens, hominũ merita nequaquam pro mensura operandi, sed volendi mensura esse. (*In Ps. 61.*) *Discutit* enim *DEUS, quid quisque voluerit, non quid potuerit. Totum habet, qui bonam voluntatem habet. Ipsa est, quæ potest sufficere, si cætera non sint; si verò sola desit, nihil prodest, quidquid habitum fuerit.* Docent duo Gregorii Nissenus, & Nazianzenus: quorum ille affectum sinè facultate, ac proinde etiam sinè opere non minùs acceptum DEO esse tradit, quàm affectum simul, atque opus. (*De Beat.*) *Qui bonam voluntatem duntaxat in animo sibi proposuit, ac destinavit; sed inopiâ prohibitus est, nihil inferior eo est, qui per opera*

ſuam voluntatem oſtendit. Hic autem bono eſſe animo pauperes jubet, eò quòd *nihil apud DEUM magni æſtimatur, quod non pauper quoque donare poteſt.* (*Or. de Bapt.*) Docet D. Leo Pontifex maximus, aſſeverans: (*Serm. 1. de Quadr.*) *Nulli parvum eſſe cenſum, cui magnus eſt animus.* Docet poſtremò (nè omnibus ſingillatim recenſendis juſto ſim longior) D. Bernardus, ſcribens: (*Ep. 77.*) *DEUM tribuere bonæ voluntati, quod defuit facultati.* Qui omnes, aliíque Patres concordi ore idem teſtati, potuerunt hujuſmodi veritatem ex communi omnium Doctore, JEſu Chriſto didiciſſe: quando contra gazophylacium ſedens, obſervánſque eos, qui illuc largiendi causâ accedebant; quamvìs *multi divites mitterent multa*: omnibus tamen illorum eleemoſynis duo minuta præhabuit ab inopi vidua intromiſſa, conteſtans coram Diſcipulis: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt ad gazophylacium.* (*Marc. 12.*)

4. Advertendum eſt tamen, veritatem prædictam tunc ſolùm conſtare, cùm voluntas bene operandi æqualis omnino eſt, nihilo ſcilicet minus vel fervida, vel prolixa in homine, à quo impleri nequit, ínque alio, qui eam

eam re ipsa implet. Nam, si externi operis causâ augeatur (uti plerumque evenit) seu vigor, seu diuturnitas interioris affectûs, dubitari certè non potest, quin minùs tunc mereatur bonum opus tantummodo volens, quàm simul etiam efficiens. Et ratio partis utriusque est, quia omne externum opus, seu quæ duntaxat optantur, seu quæ etiam fiunt, meritum, juxta D. Thomam, aliósque Theologos, (*Vide Suar. T. 3. de Grat. L. 12. c. 6.*) non nisi in actu interiori consistit, quo voluntas ea appetit. Quamobrem, si ejusmodi actus omnino par sit tam in faciente, quàm in solummodo appetente opus externum, fieri non potest, quin par itidem utriusque sit meritum. Quemadmodum è contrario, si major, perfectiórque in primo, quàm in altero sit; necesse est, majus quoque primi esse meritum: non utique ideo, quia hic plùs fecerit, sed quia plùs, hoc est seu vehementiùs, seu diutiùs voluerit.

5. Unde etiam solutio duarum quæstionum eruitur, quæ circa doctrinam hìc traditam possunt occurrere: altera, cur, si tota meriti ratio in sola bene agendi voluntate consistit; qui aliquid boni operis vult, sed tamen, quamvis posset, non facit, minùs merea-

reatur apud DEUM, quàm si illud vellet simul, & faceret? Altera, cur, qui vellet infinitos divini amoris actus concipere, vel non minùs DEUM amare, quàm ipsemet se amet; non tantum sua hac voluntate consequatur meriti, quantum consequeretur, si re ipsa id perageret? Respondetur primæ quæstioni, causam rei esse, quia boni aliquid operis volens, & tamen facere omittens, palàm ostendit, minùs se illud vel efficaciter, vel perseveranter voluisse, quàm si etiam perpetraret. Nec dissimilis ad secundam responsio est: nimirum propterea id evenire, quia voluntas vel infinitos actus, vel unũ infinitè perfectum edendi, nunquam potest tantam vim per se habere, quanta illi inesset, si suo consummaretur effectu. In posteriori quippe casu vel infinitis reiteraretur vicibus, si infinitos actus ederet, vel infinitè perfecta esset, si DEUM æquè amaret, ac DEUS amet se ipsum. Cùm itaque in hujusmodi desideriis nequeat sinè effectu tanta esse illius vis, quanta esset, si hunc quoque iis superadderet, non mirum videri potest, si minùs in primo eventu meriti obtineat, quàm in secundo obtineret. Cæterùm extra controversiam manet, quod suprà affirmavi, pia scilicet

vel

vel impossibilium operũ desideria suo nunquam fructu carere, justámque mihi causam præbet concludendi cum sancto Clarevallensi Abbate: *Qui esurit, esuriat amplius: & qui desiderat, abundantiùs adhuc desideret. Quoniam, quantumcunque desiderare poterit, tantundem est accepturus.* (*Serm.* 1. *de Omn. Sanct.*)

6. Atque utinam hoc hominibus universis studium inesset, compensandi suarum tenuitatem virium extensione voluntatis, ad totũ id, quod perfectissimorum operũ valent mente concipere, quamvis re ipsa totum nequeant peragere; quantò locupletiora cumularent meritorum lucra? Quantò plùs gratificarentur DEO? Quantò ulteriores haberent in sanctissimo ejus amore, & in omnium virtutum perfectione progressus? Sed enim verò tanta est nostri cordis perversitas, ut finita, & caduca præsentis vitæ bona inexplebili cupiditate appetentes ad solius infiniti, æterníque boni desideria torpeamus: quamvis illa cupere non idem sit, quod acquirere; ad hujus verò consecutionem nihil necesse aliud sit, quàm seriò illud velle. Scitè author epistolæ ad Demetriadem: *Cùm in omnibus mundi studiis profectu non satienter homines, hìc tantùm cœpisse sufficit. Ferventissimi*

in

in terrenis, frigidißimi in cæleſtibus ſumus: & ſummam in rebus parvis exhibentes alacritatem ad majora torpeſcimus. Conſiderare pudet, quantus ſit fervor in ſæculo, qua cura ſingula quæque hominum ſtudia quotidie ad perfectiora nitantur. Literarum ardor ipſa magìs ætate inflammatur, divitiarum amor inſatiabilis eſt. Expleri neſcit honorum cupido. Celerem habituræ res finem ſinè fine quæruntur. Nos divinam Sapientiam, cæleſtes divitias, immortales honores pigra quadam diſſimulatione negligimus: & ſpirituales delicias aut nè attingimus quidem, aut ſi leviter deguſtaverimus, continuò nos putamus eſſe ſatiatos. (*Inter. Ep. S. Aug. 142.*) Quæ tam abſurda ſtudiorum diverſitas non aliunde oritur, quàm ex æquè præpoſtera amoris diverſitate, nimiùm in nobis & immoderati erga futilia terræ bona, & curti erga DEUM. Quare contendens anima, quantùm poteſt, ad plenum potiri, vidénſque nihilominus, poſt quantoſcunque ſuos conatus, alia ſemper illorum, atque alia ſibi ſupereſſe acquirenda; neceſſe eſt, ut ad illa itidem, quo poteſt modo, ſuis nimirum deſideriis ſe porrigat. Cùm è contrario, non faciens ex DEI amore neque omnia, quæ cæteroqui poſſet, quonam pacto deſideret, pro ejus gloria, & obſequio

plùs

plùs etiam operari, quàm possit? Quòd si juxta perfecti amoris instinctum nîl eorum omitteret, quibus magìs gratus esse DEO potest; tunc enim verò perspiciens, quidquid in genere hoc patrârit, & patrare potuerit, præ tantò majoribus illius meritis instar nihili esse; non posset saltèm desideriis non tendere ad infinitum illud residuum, ad quod operâ, & viribus nequit pertingere. Et ùt Alexander Macedo post tam multas nostrate hoc in mundo relatas victorias nequaquam acquiescere iis poterat, ad tot alios, nec sibi subactos, nec subigendos unquam mundos respiciens, quos in vacuo supersesse audiebat; sic talis anima post omnia, quæ illius vires ferunt, in DEI obsequium peracta, audiens sibi occini: *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctificetur adhuc;* (*Apoc.* 22.) minimè acquiesceret in præsenti suo statu, sed progrederetur ad concupiscenda etiã quæ ultra vires suas sunt.

7. Hoc ergo agendum ei supereſt, quĩ ad summum ex tribus jam propositis divini amoris gradum pervenit: nempe ut, quò nequit operâ, voluntate progredi studeat: & sicut nihil facere omisit, quod inter possibilia DEO magìs placeret; sic nihil itèm velle omit-

mittat, quod inter appetitibilia DEO videt magis placere: omnes hìc amori habenas laxans, ubi nullos ille terminos, nec ullam, ùt in externis operibus habet, quam excedere à prudentia, & recta ratione prohibeatur mensuram: ità ut, si neqnit effectu, saltèm affectu, quo uno majores se ipsis fieri homines possunt, infinitis DEI meritis, infinitum quodammodo obsequii vectigal persolvat. Nam alioqui si satis haberet ei servire, quantùm solummodo per vires suas sibi licet, neque etiam per immensum, quod supereſt, desideria ipsi magis, ac magis placendi extenderet; minùs profectò eum amaret, non modò quàm summa illius amabilitas postulet, sed quàm amari itèm soleat sive à Philosophis scientia, sive ab ambitiosis gloria, sive ab avaris pecunia. Quorum quilibet, quantò majora fecit amati à se boni lucra, tantò ardentiori succenditur ea augendi cupidine, & *non est finis acquisitionis eorum.* (*Baruch. c. 3.*) Quocirca sancti, Laurentius Justinianus, & Bonaventura, inter effectus, atque indicia perfectæ charitatis sublimium desideriorum ardorem connumerant, affirmantes, ille quidem: (*In Ligno Vitæ de Charit. c. 4.*) *Perfectum amorem esse desideriis plenum*; hic autem,

(De

(*De Itin. Ætern.*) *Alta desideria, quæ in summum desiderabile tendunt, perfectæ charitatis esse signum.* Neque huic absimilis D. Basilii fuit sensus: qui cùm duas proposuisset quæstiones, alteram circa pium voluntatis ardorem: *Quis est fervens spiritu?* alteram circa ultimum terminum, & perfectam divini amoris mensuram: *Quis modus est ejus, quæ in* DEUM *est, charitatis?* Respondet ad primam, eum ardore spirituali effervescere, *qui cum inexplebili cupiditate & assidua intelligentia voluntatem Dei facit, convenienter illi quod dicitur: in mandatis ejus volet nimis:* quódque ad secundam pertinet, proprium, & minimè dubium absolutissimi erga DEUM amoris argumentum esse inquit, *assiduam ultra vires contentionem animi ad exequendam* DEI *volntatem.* (*In Regul. Brev.*) Quod idem priùs etiam sacris hisce Doctoribus generaliter definierat Valerius Maximus, ubi scripsit: affectionis cujuslibet vim non tam iis demonstrari, quæ instigante illa fiunt, quàm iis, quæ præter facta, & fieri possibilia, ejusdem impulsu tentantur. (*L. 4. c. 8.*) *Proni studii certius indicium est ultra vires niti, quàm viribus ex facili uti. Alter enim præstat, quod potest; alter etiam plus, quàm potest.* Ità procul dubio se res habet, subdit

hìc Joannes Chryſoſtomus: (*Hom. 1. in Ep. ad Philip.*) *Amor virtutis violentus, atque, ut ità dicam, tyrannicus eſſe debet, qui nulli occaſioni cedat, ſed amantis animo continenter inhæreat.* Nihil inſatiabilius hoc amore eſt, inſtar ſtimuli aſſiduè noſtro lateri hæret: haud patiens nos unquam quieſcere, ſed indeſinenter incitans vel ad facienda, ſi quæ nunquam fecimus; vel ſi nihil poſſibilium non fecimus ad inhiandum iis, quæ ultra hæc ſuperſunt: neque ulla alia ratione poſſumus ei ſatisfacere, quàm ſi nihil eorum nobis ſatisfaciat, quæ urgente ipſo egimus: ſed, juxta D. Pauli exemplum, *quæ retro ſunt obliviſcentes*, inexplebilibus ſemper votis ad infinitum illud amplius nitamur, quod percurri deſiderando ſolùm poteſt, agendo non poteſt. Etenim *ſic ſemper ire, eſt pervenire*, prout in ſuo *de amore* opuſculo ſcripſit Abbas Guilielmus, tanquam ſi diceret: unam hanc deſideriorum nuſquam nisì in ſummo, atque toto quieſcentium rationem eſſe, qua obtineri à nobis poſſit divini amoris perfectio, nimis cæteroqui omnem noſtrarum operationum ſphæram excedens. Certè amans illa in Canticis anima non minimum pro dilecto ſuo Sponſo laboris ſuſceperat, & ærumnarum paſſa erat.

rat. Nihilo tamen minùs, cùm per filias Hierusalem sui certiorem eum faceret, nequaquam has renuntiare illi voluit, quàm solicito eum ubique indagatu perquisivisset, útque interim spoliata, & plagis fuisset affecta; sed tantummodo, quòd illius desiderio conficeretur: *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* (*cap.* 5.) Nimirum quæcunque seu fecit, seu toleravit, nihili adeò præ intimo erga illum sui cordis affectu ducebat, ut mentionem eorum facere erubesceret, solámque amoris, quo languebat, & desiderii, quo æstuabat, vim commemorandam putaret. Reliquum est, ut pro nostra consuetudine materiam, rationémque indicemus, ubi hæc occupari queat desideriorum immensitas, adeò cæteroqui, prout jam vidimus, & infinitæ DEI amabilitati conveniens, & illius famulis, quò dignè amare illum possint, necessaria.

8. Priusquam tamen id facere instituam, admonendos Lectores existimo, quæ hìc dicentur, non spectare, nisì ad animas perfectæ virtutis, jámque tertio, & supremo practici erga DEUM amoris gradu potitas, post quem solummodo heroica hæc desideria

ria veluti quoddam illius complementum sequuntur: cùm manifestum sit, eos duntaxat justam habere causam majora affectandi, qui minora non negligunt: nec aliorum esse proprium, ad impossibilia votis collineare, quàm qui factu obvia impigre, & naviter præstant. Si suspirâsse Alexander fertur præ mundorum cupiditate, quos suis prorsus armis intactos audiebat restare, condonari aliquatenus ei potest tam immanis ambitio, utpote homini, qui quantamcunque posset, nostri hujusce mundi partem contendebat pro viribus suo imperio subjicere; sed enim, fac, suâ ille Macedoniâ contentus, nuntium ultro remisisset victoriis, quas fors ei pollicebatur in Asia; quotusquisque non ludibrio habuisset remotis inhiantem mundis, nílque interim de proximis regnis acquirendis solicitum? Non itaque consentaneum rationi est, ut homines perexiguæ virtutis, quíque vix primum divinæ charitatis gradum attigerint, ad ultimos hosce illius terminos mediis spatiis intactis transiliant, sed ut communi, & legitimo potiùs itinere laborent huc provehi: cúmque nîl præ manibus jam habuerint, secundùm suas vires pro DEI gloria patrandum; tunc porrò cum bona omnium venia

ad

ad eam, quæ reliqua est, votorum infinitatem se extendant. Quo enim pacto verè, & secum congruenter queratur, deesse sibi occasionem ferendi pro DEO quidquid cruciatuum Laurentii, vel Clementes Ancyrani tulêre, qui neque ordinarias, & ubique occurrentes sensuum pro eodem coërcendorum occasiones amplectitur? Aut quo ore profiteatur, inferorum supplicia ad usque mundi finem se libenter passurum; si tam gravi cruciatu quantulamcunque accessionem gloriæ DEO facere, & vel minimam impedire illius offensiunculam posset; qui levissima etiam incommoda in obsequium illius pati abnuit, dúmque huic, vel illi suæ cupiditati indulgeat, nîl veretur, offensionis ei causam præbere? *Quomodo*, inquit ille, *pro Christo suum dabit sanguinem, qui pro eo non vult abjicere mundi vanitatem?* (*L. 2. de Cont. Mundi inter opera D. Aug.*) Nætalis præfidentia, & temeritas propria hominis est, qui fucum sibi facere studet, quasi ad summa jam evaserit sanctitatis fastigia: minimè animadvertens, suas hasce cupiditatulas haudquaquam desideria esse, in cordis penetralibus à solido DEI amore producta, sed desideriorum imagines à levitate, & superbia in capite inani adum-

bratas: neque ardores heroicæ illius charitatis, quam *aquæ multæ non potuerunt extinguere*; sed ignes ſtupeos, qui leviſſimo quovis flatu reſtinguuntur, imò etiam per ſe ipſos vix exorti evaneſcunt: nec tandem exaggeratas illas deſtinationes animi, de quibus Salomon ait: (*Prov. 21.*) *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia*, ſed deſideria illa veriùs, quæ, prout idem paulò pòſt ſubdit, *occidunt pigrum. Noluerunt enim quidquam manus ejus operari. Tota die concupiſcit.* Hìc putato eſſe Rhodum, hìc ſalta, dictum jure eſt glorioſo illi apud Æſopum Thraſoni, (*Fab. 14.*) qui è multivaga peregrinatione in patriam reverſus inter cætera laudum ſuarum monumenta ſaltum Rhodi ſe edidiſſe jactabat, quem nemo alius potuiſſet æquare. *En Rhodus, en ſaltus.* Nec diſſimiliter poſſet DEUS unicuique horum dicere: qui omittentes per ignaviam, quod in Chriſtiana perfectione apprime neceſſarium, nullíque non expoſitum eſt, mira ſibi in caſibus merè imaginariis, & nunquam futuris de ſe pollicentur. Quid anhelas martyria, quorum neque nunc tibi adeſt, neque aderit unquam occaſio? iracundiæ impera, gulam refræna, gloriæ aviditatem compeſce, linguam moderare, oculorum licentiam

tiam castiga. Hæc sunt, quibus gratificari mihi nunc potes: hæc, quæ jam dudum à te flagito, nec propter tui erga me amoris frigiditatem impetrare adhuc potui. Noverint ergo, qui ejusmodi sunt, capitis hujus materiam non magis iis convenire, quàm aut Icaro alis non suis cælum percurrere; aut Phaëtonti sublimes Zodiaci vias flammeo solis curru emetiri. Revocent in memoriam, quàm malè cesserit illi Eremitæ stulta æmulatio, Angelorum ritu vivendi, cùm terrenum, & mortale animal esset: (*Rosw. in Vit. Patr. L. 3. n. 56.*) neque vixdum posito sanctioris vitæ tyrocinio affectent, quæ non nisi perfectorum sunt propria: sed agnoscentes, quantùm sibi conficiendum restet planioris itineris, priusquam ad hæc, ipsismet oculis conscensu ardua, & tangentia cælum juga perveniant; heroicarum actionum vota iis relinquant, qui sat diu jam exercitati in ordinariis, & vulgaribus sunt. Nimiùm quantùm ipsi habent materiæ, circa quam laborent vel intra sphæram vitæ communis. Studeant omnes sui statûs, & muneris partes, quoad possunt, implere. Nitantur revellere ex animo supervacuas rerum terrenarum curas, honoris mundani appetentiam, vanam sui

æstimationem, inordinatum erga corporis oblectamenta, & commoda affectum, iræ impotentiam, invidiæ livorem, tótque alias pestes, quæ ex pravo sui amore proveniunt. Curent pro viribus humanas omnes sui generis propensiones DEI obsequio, & voluntati immolare, nec quidquam operis quantumcunque ardui, & molesti prætermittere, quod illi esse gratius agnoscent. Cúmque diutina exercitatione firmum, & constantem horum omnium sibi usum paraverint; tum denique ad majora illa, & vires suas excedentia, quæ hìc proponuntur, votis colliment.

9. Redeundo hinc ad eos, qui neutiquam ex temeritate, sed ex perfectæ charitatis impulsu *viri desideriorum sunt*; nec contenti feciſſe pro DEO, quidquid possunt, vellent facere plùs etiam, quàm possint, quò spatiosior Seraphicis eorũ desideriis campus pateat; observo varia esse actionum genera, quæ nostras vires excedunt. Nam primò aliæ tales sunt secundùm meram suam quantitatem, aliæ verò etiam secundùm substantiam: quatenus scilicet primæ patrari à nobis possunt, sed non nisì intrà certam numeri, & perfectionis mensuram; aliæ autem, nè imperfectè quidem, & semel. Hæ porrò secundæ rur-

rursus dividuntur bifariam: nempe in eas, quæ præsentis duntaxat nostræ conditionis causâ, & quæ pro certa, ac perpetua naturæ suæ qualitate patrari à nobis nequeunt. Quæ posteriores duplicis itèm generis sunt: aliæ nimirum, ad quas efficiendas nulla hominum vis citra prodigiosum, & supernaturale DEI auxilium pertingit, proin physicè impossibiles à Philosophis dictæ; aliæ verò, quæ extra omnem non modò naturalem, sed supernaturalem quoque efficientiam sunt, absolutéque, & metaphysicè impossibiles ab iisdem vocantur. Sic exempli gratiâ possum ego utique divinum amorem exercere, sed nequaquam per actus adeò perfectos, atque assiduos, ùt Cælites faciunt. Quorum proinde charitas, etiamsi secundùm substantiam meas vires non excedat, illas nihilominus secundùm quantitatem, hoc est actuum præstantiam, atque assiduitatem excedit. Similiter nullum ex operibus, sive ad cultum divinum, sive ad proximorum utilitatem, sive ad corporis castigationem spectantibus, ab ullo homine secundùm ordinariam DEI opem peractũ est, quod spectata naturæ communis virtute, impossibile mihi possit vocari: quamvis multa horum operum propter me-

am seu valetudinis infirmitatem, seu literarum insciti am, sive alterius necessariæ conditionis defectum, nullo modo patrari à me queant. Præterea sunt quædam, neque mihi, neque ulli hominum naturaliter possibilia, quæ tamen per extraordinarium DEI munus assequi valeo: putà scilicet, ut in diversis pluribus locis eodem tempore existam. Et sunt denique alia usque adeò absolutè impossibilia, ut nullus vel creatæ, vel superioris efficientiæ vi mihi possint contingere: cujusmodi foret vel minimum DEO adjicere novæ perfectionis, ac beatitudinis gradum. secundùm quas impossibilium differentias, quatuor habemus objectorum genera, ad quæ, quoniam nostræ vires nequeunt, nostra possint desideria se extendere. Primò quidem summam perfectionem, & juge exercitium illorum virtutis actuum, quos in præsentis vitæ statu nec assiduos, nec plerumque, nisi languidos, remissósque exercemus. Secundò universam excellentium operum varietatem, quæ omnes DEI famuli ex illius amore unquam patraverint. Tertiò possibilitatem ea agendi, quæ ad promovendam DEI gloriam permultùm conferrent, sed humanæ conditionis, naturæque vires transcendunt.

dunt. Quartò vel eos ipsos divini amoris, obsequiique actus, quos nemini vel per absolutam DEI omnipotentiam patrare fas est.

10. En igitur campum, ubi, qui perfectè DEUM amat, sua ipsi, vel ultra vires placendi, ac serviendi desideria possit quàm latissimè se effundere. Potest primò id præstare circa exercitationem flagrantissimi, nec unquam interrupti erga ipsum amoris: sanctè invidendo Cælitibus fervorem potiùs perfectissimæ charitatis, quàm reliquam omnem sempiternæ beatitudinis summam: dolendo, quòd nequeat ipse unus æquè illum diligere, ac dilectus unquam in imo hoc orbe à sanctissimis quibusque hominum fuerit, & ab eminentissimis quibusque Seraphinorum diligatur in cælesti sua regia: optandóque, vitam suam omnem in perpetua eum laudandi, & amandi exercitatione traducere. Ah si possem, mi Domine, meam intrà voluntatem colligere pios omnes sanctarum quarumvis animarum erga te affectus. Ah vellem, ô meum summum, atque unicum bonum! divino charitatis tuæ igne totus absumi. Vellem per singulas respirationes omnia tibi offerre adorationis, reverentiæ, & laudis tributa, quæ ab hominibus, Angelisque un-

unquam accepisti. Auge, quæso, naturæ meæ vires, auge tuæ gratiæ subsidia, ut, quantùm cuperem, mea lingua te laudet, mea te amet voluntas. Potest secundò, secum reputans, quidquid magni, extraordinarii, atque heroici pro DEI gloria fidelissimi quique illius famuli perpetrâsse, & passi esse traduntur: dolénsque in ejusmodi objectorum contemplatione, quòd sibi ad paria pro eo facienda, & toleranda naturalis facultas, necessariæque aliæ conditiones non suppetant: quòd scilicet nequeat tot ei populos subdere, quot Franciscus Xaxerius, tantúmque pro amplificando illius cultu laborare; quantùm unà cum duodecim suis collegis Gentium Apostolus Paulus: quòd à valetudinis imbecillitate prohibeatur suum ipsi corpus assiduè, *quasi hostiam viventem*, in severissimæ mortificationis ara immolare: quòd non iis temporibus vixerit, quibus posset in suæ erga ipsum charitatis, fideíque testimonium, Stephani lapides, ferreos Blasii pectines, candentes Eustachii tauros, cæterósque omnes Martyrum cruciatus perferre: ac postremò ipsum orans, ut idoneam sibi quoque supradicta omnia vel ex toto, vel quàm plurima faciendi, & tolerandi opportunitatem suppeditet. Po-

test

test tertiò; prodigiosam, naturæque superiorem viribus donari sibi optans DEO meliùs serviendi habitudinem: putà variis eodem tempore in locis, ad divinæ gloriæ negotia multifariam, & plùs quàm pro virili parte agenda constitui: vocem habere indefessam, quæ ab universis per orbem terrarum populis audiri, & intelligi queat, ut eos continenter omnes ad obsequium Creatoris sui excitet: nullo ad vivendum seu cibo, seu somno, seu alio corporis fomento indigere, quo humanis quibuslibet curis valere penitùs jussis, quidquid sibi est temporis, suásque omnes cogitationes, & vires uni DEO impendat. Potest demum quartò, sive illa, quæ omnino impossibilia sunt, cupiens non minùs Deum amare, quàm se ipsum ille amet; seu conditiones ejusdem generis comminiscens, ad meliùs per illas sui erga DEUM amoris vim expromendam: tanquam si exempli gratiâ, hoc eum pacto alloquatur: si etiam evenire, mi DEUS, posset, ut mihi plùs me ipso te amanti, & quovis meo impendio tuam gloriam quærenti, nullam tu non modò alterius mercedis, sed vel mutui amoris, & simplicis benevolentiæ vicem rependeres, imò neque animadversurus, ullóque rescisurus pacto ob-

obsequia mea esses; non tamẽ in fictitio isthoc eventu minori, quàm nunc faciam, cum animi fervore te amarem, tibíque inservirem.

CAPUT X.

Ad divini amoris perfectionem requiri, ut non modò præcipuus, sed & unicus amor animæ sit.

NOn amat DEUM pro suo merito, qui eum juxta regulam ab eo præscriptam non amat *ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis:* neque ità ex toto se illum amat, qui alium quemvis à divino diversum amorem in suo animo fovet. Ità censuit D. Gregorius Magnus: particulam *ex toto* pro cujusvis alterius amoris negatione accipiens, quemadmodum illius verba declarant: (*L. 10. Mor. c. 3.*) *Jubemur DEUM diligere ex toto, ut videlicet, qui placere DEO desiderat, sibi de se nihil relinquat.* Ità Gregorius Nissenus: juxta quem (*In Orat. de Laud. S. Basil.*) *Qui omne cor suum, & animam, & mentem DEO dicavit, & ad nullam rem aliam earum, quæ per hanc*

hanc vitam expetuntur, propensus est, in supremo dilectionis gradu consistit. Ità D. Bernardus: quo authore, perfectè DEUM amans ad nihil, nisì ad ipsum, & ad ea, quæ ipsi placent, affici potest. (*Serm. 25. in Cant.*) *Qui adhæret DEO, unus spiritus est, & in divinum quemdam totus immutatur affectum, nec potest jam sentire, aut sapere, nisì DEUM, & quod sentit, aut sapit DEUS.* Ità D. Augustinus: negans perfectum DEI amorem in anima existere, quoad ullæ in ea existunt affectuum diversorum reliquiæ. (*De Perf. Just.*) *Cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod continendo frœnetur; non perfectè, & ex tota anima diligitur DEUS.* Unde etiam definit, tantùm charitatem crescere, quantùm decrescit cupiditas. (*Qu. 36. ex 83.*) *Nutrimentum charitatis imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas*: & in suis Confessionibus eundem hunc sensum coram DEO exprimit, dicens: (*L. 10. c. 29.*) *Minùs te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Ità postremò S. Thomas: proprium esse hominis docens, qui perfectè DEUM amat, aliis amoribus nuntium remittere. (*L. 3. c. Gent. c. 103.*) *Cùm mens vehementer amore alicujus rei afficitur, consequens est, quòd alia postponat.* Ex hoc

hoc igitur, quòd mens hominis amore, & desiderio ferventer in divina fertur, in quo perfectionem constare manifestum est, consequitur, quòd omnia, quæ ipsum retardare possunt, quò minùs in Deum feratur, abjiciat, non solùm rerum curam, & uxoris, & prolis affectum, sed etiam sui ipsius. Quam doctrinam alibi quoque in hæc verba repetit: *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur DEUS ex toto corde. Ad quod pertinet, ut omnia referantur in DEUM; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi omnia referantur in DEUM.* (1. 2. *q.* 100. *a.* 10. *ad* 2.)

2. Non ergo satis homini est, illum perfectissimum DEI amorem affectanti, plùs creatis quibuslibet bonis, ipsóque adeò se amare, juxta tres à nobis jam expositos gradus. Necesse est, ut se adhuc ulteriùs extendat: neque contentus, naturales omnes suos affectus divino amori postponere; eosdem præterea universos ab anima exturbare, quantùm potest, conetur: quo nempe ille solus plenum ibi, & omnino pacatum, vacua quasi in aula dominatum exerceat: prout factum esse à D. Ignatio Loyola Canonizationis ipsius acta testantur: qui *non solùm custodivit cor suum ab iis, quæ sunt contra dilectionem, sed etiam à se ipso amorem omnium rerum,*

quæ

quæ DEUS *non sunt, prorsus abjecit, atque in eundem transtulit* DEUM. Quia nempe, ùt habemus Deuteronomii: (*c.* 4.) *Dominus* DEUS *ignis consumens est,* DEUS *æmulator*: &, quemadmodum Aaronis virga in colubrum versa devoravit (*Exod.* 7.) virgas omnes Magorum Ægypti; sic cæleſtis illius amor, ubi perfectus est, cæteros quosvis amores absumit. *Quæ societas luci ad tenebras?* (2. *ad Cor. c.* 6.) clamat D. Paulus. Nimiùm quantùm solis lux ab omni tenebrarum comercio abhorret, simul atque illa alicubi exorta est, necesse est omnes indè effugere. *Ejice ancillam, & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* (*Ad Galat. c.* 4.)

3. Neque, quòd sacer DEI amor parvi ducat principem, ac potissimum se in anima esse, nisi & unicus sit, genio adscribi potest nimiùm superbo, ac penè tyrannico. Si sociari cum diversis à se amoribus renuit, sexcentas id agendi habet causas. Renuit primò, quia hominis anima non nisi in ipsius gratiam condita est; ac proinde, quemadmodum Rex justissimè potest exigere, nè quisquam alius in solio, sede nimirum unius Regis propria confideat; sic ille etiam jure optimo exigit, nè in anima, solio videlicet sibi

uni facto, atque debito, ullus ex profanis amoribus secũ resideat. Renuit secundò, propter conjurationes assiduas, quas ejusdmodi amores contra ipsum struunt, nunquam cessantes jam aperta vi, jam per insidias ejus interitum, expulsionémque è suo regno moliri. Quapropter non satis est eos identidem castigare, frænísque, & vinculis coërcere; sed tanquam genus omnino insanabile debent, ùt de Chananæis olim DEUS jussit, (*Numer.* 33.) funditus, & ad internecionem deleri. Renuit præterea ob alia detrimenta, & incommoda, quæ necessariò ex illorum præsentia sibi imminent. Quamvis enim certus esse posset, nunquam futurum, ut ab ipsis in anima superstitibus ex suo illo regno exturbetur; non tamen cavere, & evitare sat potest, nè illius sibi possessionem imminuant, contendentes singuli aliquam indè partem sibi usurpare. Quos idcirco ille nequit socios in anima pati, quemadmodum DEI arca non tulit profanum Dagonem secum unà in templo esse, honoris, & cultûs, qui totus sibi uni debebatur, consortem. Renuit postremò, nè anima, ubi sedem posuit, terrenarum ejusmodi affectionum sordibus coinquinetur; sed omni ex parte sit pura, nihil-

hílque in se habeat, nisì sanctum, cæleste, ac divinum. Quamobrem ità illam purgans non majorem ei vim facere, & expostulandi occasionem videtur præbere, quàm sol aëri, cùm tenebras ex eo abigit, omníque obscuritate detersa, nusquam esse nisì lucidum patitur. Libeat, age, paulò accuratiùs, quanta singularum earum rationum æquitas sit, pensitare.

4. Et verò ad primam quod spectat, nemini esse dubium potest, quin res quælibet, cùm ad unicum finem à natura dirigatur, unicum itèm habere motum debeat: prout in corporibus fieri videmus, quorum gravia non nisì deorsum versùs, levia autem non nisì sursum versùs moventur: nempe quia illorum ibi, horum verò hìc natura finem constituit. Jam verò amor, princeps animæ motus, cæterorúmque omnium illius motuum est regula, adeò ut ex his nullus aliò ferri possit, quàm quò ab amore inclinatur, & rapitur. Cùm ergo rationalis anima nihil aliud nisì DEUM pro ultimo fine suo habeat; neque aliorsum, nisì erga ipsum ullo debet motu, sive amore suo tendere: argumentum luculentissimè patet, & ex eo non minùs luculenter colligitur, hominem, qui

terrenam rem quampiam sinè ullo respectu DEI amet, quemadmodum pro illius amoris sui fine haudquaquam DEUM, sed aliquid distinctum à DEO habet; sic illo in amore prærogativam finis, quæ DEI unius propria est, rei creatæ tribuere, juxta illud D. Augustini effatum: (*Tract. 10. in Ep. Joa.*) *Quidquid propter se quæritur, ibi est finis*: mererique ideo, ut perversitatis hujus causâ idololatra quodammodo appelletur: quales non dubitavit D. Paulus vocare tum voluptatis, tum pecuniæ amatores, scribens de his: (*Ad Ephes. 5.*) *Aut avarus, quod est idolorum servitus*, déque illis, (*Ad Philipp. 3.*) *Quorum Deus venter est.* Cùm enim finis ultimi dignitas nulli possit nisi Deo convenire; perinde quodammodo est, creatam rem aliquam pro suo fine, ac pro DEO suo habere: & consequenter, cùm non aliud sit, objectum aliquod sui unius causâ amare, quàm idem pro ultimo fine illius amoris sibi proponere; tot planè idola, & commentitios Deos nobis effingimus, ínque nostro corde adoramus, quot res creatas merè propter ipsas amamus. Quod consequens si mihi non videtur credendum, credatur saltèm D. Hieronymo, juxta quem: (*In Ps. 80.*) *Quotcunque vitia ha-*

habemus, tot recentes habemus Deos. Unusquisque enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est. Credatur Guigoni Carthusiano: qui cùm constituisset ea, unde nihil utilitatis homini provenit, putà admirationem, reverentiam, & amorem unius DEI esse propria; (*hæc enim eo ipso, quòd ei, cui exhibentur, nihil prosunt, ostendunt se ei soli deberi, qui nullo eget*) indè eruit, si quis ulli extra DEUM aliquod ejusmodi vectigalium offerat, (prout facit, qui ea neque DEO, neque DEI respectu alteri offert) posse idolorum cultorem vocari. *Quicunque ergo alteri, præterquam DEO, hunc exhibet cultum, verus idololatra est.* (*c. 6. & 8.*) Credatur postremò (nè plures testes producam) D. Thomæ: qui super primo ex duobus paulò ante commemoratis Apostoli locis, ait, omnes, qui peccant, *ponere finem suum in creatura, cui amore inhærent:* supérque altero scribit: *proprium DEI esse, ut sit ultimus finis. Unde, qui pro fine habet aliquid, illud est DEUS suus.* Quæ cùm ità se habeant, tam nemini DEUS potest videri nimium aliquid à nobis exigere, dum exigit, nè quid præter ipsum amore proprio finis, hoc est amore ipsi uni debito prosequamur, quàm dici non potest nimium quid poscere, dum poscit,

nè quid præter ipsum cultu Latriæ, hoc est cultu ipsi uni conveniente adoremus. Quapropter utì horrori nobis esset cultum Latriæ, quem DEI unius, tanquam suprēmi omnium Conditoris, & Domini esse proprium scimus, pecuniæ, voluptati, nobísque, aut alteri creatæ rei offerre; ità, cùm amor quoque ultimi finis proprius DEO uni, tanquam bonorum omnium bono, & fini omnium finium debeatur, æquum est, ut perhorrescamus similiter ullum ex terrenis bonis, merè propter ipsum, & affectu, qui ibi suo quasi in fine subsistat, nec ad DEUM referatur, diligere. Claudat, instar coronidis, materiæ hujus tractationem D. Augustini authoritas: qui, cùm statuisset, neminem hominum debere à nobis propter se amari, subdit: (*L. 1. de Doctr. Chr. c. 22.*) *Neque se ipsum debet homo propter se ipsum diligere, sed propter illud, quo fruendum est. Tunc quippe ipse optimus homo, cùm totâ vitâ suâ pergit in incommutabilem vitam, & toto suo affectu illi inhæret. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad se ipsum convertitur, & propterea jam cum defectu aliquo se fruitur. Si ergo te ipsum non propter te ipsum debes diligere, sed propter illud, ubi dilectionis tuæ finis est, non succenseat alter ho-*

homo, si etiam ipsum propter DEUM *diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; DEUM verò ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Cùm autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit; sed quidquid diligendum venerit, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat* DEUM. *Sic enim eum diligens tanquam se ipsum, totam dilectionem sui, & illius refert in illam dilectionem* DEI, *quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.*

5. Præterea constat apud omnes, amorem divinũ præferri saltèm debere quibuscunque aliis rerum terrenarum amoribus: quod tamen fieri ab eo nequit, qui horum aliquem in anima residere patitur. Ubi enim duo ità contraria invicem sunt, ut non possint ambo simul consistere, sed alterum excludatur ab altero; nullo alio pacto præferre hoc illi possumus, quàm si hoc unum duntaxat velimus. Atqui amor divinus, & amores terreni, si sacris Doctoribus credi-

mus, ſibi mutuò repugnant, contrariáque omnino indole ſunt, & conciliari invicem nequeunt. Tales eos nobis repræſentat D. Auguſtinus, affirmans: (*Hom. 8. in illud Apoſt. Rad. Omn. Mal. Cup.*) *Radicem omnium malorum cupiditatem, & radicem omnium bonorum charitatem ſimul eſſe ambas non poſſe.* Tales D. Cyprianus, aut quiſquis alius eſt author libri *de duodecim abuſionum gradibus*, inter illius opera inſerti: ſecundùm quem (*c. 7.*) *Mundi amor, & DEI pariter in uno corde cohabitare non poſſunt: quemadmodum iidem oculi cælum pariter, & terram nequaquam conſpiciunt.* Tales D. Gregorius Magnus, quo teſte: (*L. 18. Mor. c. 8.*) *Utrique ſe amores in uno corde non capiunt: nec in eo ſeges ſupernæ charitatis pullulat, in quo eam ſpinæ infimæ delectationis necant.* Tales D. Jacobus Apoſtolus, in Canonica ſua Epiſtola ſcribens: (*c. 4.*) *Amicitiam hujus mundi inimicam eſſe Dei*: pérque legitimam conſecutionem indè eruens: *Quicunque ergo voluerit eſſe amicus hujus ſæculi, inimicus DEI conſtituitur.* Tales denique ipſummet Verbum divinum, per ſuam illam in D. Matthæi Euangelio ſententiam: (*c. 6.*) *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum ſuſtinebit,*

&

& alterum contemnet. Non poteſtis DEO ſervire, & Mamomnæ. Nec difficilis intellectu ſecundùm ſe ipſam hæc veritas eſt, ſi obſervetur, amorem pereuntium bonorum, putà honoris, voluptatis, pecuniæ, tendere per ſe ipſum ad ea ſinè ullo vetiti, aut permiſſi diſcrimine, ubivis, & quantùm poteſt, quærenda. Cùm enim ea appetat, quatenus merè honor, pecunia, & voluptas ſunt; moralem eorundem conditionem, ceu aliquid à ſuo objecto diverſum, minimè attendit. Quapropter, cùm plurimi caſus occurrant, in quibus talium bonorum uſus divina lege interdicitur; conſequens indè eſt, ut naturalis eorum amor ſæpiſſimè ad peccatum, hoc eſt ad divini amoris interitum per ſuam vim, & propenſionem feratur: quemadmodum probè animadvertit D. Thomas, docens: (*2. 2. q. 189. a. 1.*) ab amore præſentium *non ſolùm impediri perfectionem charitatis, ſed interdum ipſam etiam charitatem tolli: dum per inordinatam converſionem ad bona temporalia homo avertitur ab incommutabili bono mortaliter peccando.* Et quamvis ratio cæcum, & univerſalem ejuſmodi terrenorum affectuum erga objecta ſua impetum queat refrænare, atque interdum refrænet; ii tamen, ſicut hoc libertatis ſuæ

frænum iniquissimè ferunt; sic summo virium nisu contendunt exuere, sécumque unà voluntatem eò rapere, quò à naturali instinctu, & pondere aguntur: ut proinde amor divinus in perpetuo extremi discriminis metu versari cogatur, nisì tam infensos, támque indomitos hostes funditus ex anima abegerit. Quibus responderi idem potest, quod Iphicrates Athenienſium Imperator Lacedæmoniis respondit, quodcunque postulâsset, pacatæ, amicæque voluntatis suæ pignus ipsi ultro offerentibus: nimirum, *non alia data fide se posse quiescere, nisì probarent se, quamvìs vellent, nocere non posse. Non enim dubium esse, quin vellent. Quoad igitur possent, iis fidem se habere non posse.* (*Demost. in Or. contra Aristocr.*) Denique nimis naturale est terrenis amoribus suæ cum amore divino inimicitiæ virus. Quamdiu in anima vivunt, nequidquam speraveris fore, ut desinant ei insidias, ac perniciem moliri. Qui salvum tueri illum vult, internecino eos bello persequi debet, neque arma priùs ponere, quàm omnino defecerint. Non satìs est, domitos aliquatenus, & subactos videri; exterminandi, delendíque penitùs sunt. Rectè Annæus Seneca: (*Ep. 85.*) *Tigres, leonésque nunquam*

quam feritatem ſuam exuunt, aliquando ſubmittunt: & cùm minimè expectaveris, exaſperatur torvitas mitigata. Non recipiunt animi mala temperamentum. Faciliùs ſuſtuleris illa, quàm rexeris. Nulla debent eſſe non parva: nam ſi ulla ſint, creſcent. Nemo certè, cui ſalus ſua curæ eſt, induci ſe ſinet, ut eodem in conclavi cum leone dormiat, quamvis manſuefacto, & vincto: præſertim ſi noverit, eum pluries nativam feritatem reſumpſiſſe, abruptiſque vinculis, ſecuros ſui, & juxta accubantes letho dediſſe. Quonam igitur pacto divini amoris ſuo in animo conſervandi ſolicitus dici poterit, qui minimè ſtudet, eos affectus à latere procul arcere, qui ex naturali antipathia necem ſolent continenter moliri, temere confidens, vel non inſurrecturos contra ipſum; vel ſi fortè inſurrexerint, vanos fore eorum conatus: quamvis cæteroqui experientia demonſtret, ſecùs omnino rem ſe habere, neq; ullã præterire diei horam, quin juxta D. Auguſtini obſervationem, (*Ep. 70.*) *Dum amantur vana, perpetrentur mala?* Næ adeò negligenter illius conſervationi proſpicere non hominis eſt, qui dignè illum æſtimet: neque tam incurioſi eſſe conſuevimus in cuſtodiendis rebus ſingulariter charis, quas unuſ-

unuſquiſque non à certis tantummodo exitiis, ſed & ab ancipiti quovis caſu, & diſcrimine tueri, quantùm poteſt, contendit.

6. Adde, quòd, qui eximiè aliquem diligit, non modò retineri ab amore illius naturaliter ſolet, nè alterum capitales cum eo inimicitias, & jurata odia exercentem eodem tempore amet; verùm etiam ſtimulari, ut eundem averſetur, ínque hoſtium numero habeat, juxta illud Philoſophi pronuntiatum: (*L. 2. Rhet. c. 4.*) *Ii amici, qui eiſdem amici, & inimici ſunt. Eo enim pacto eadem volunt.* Unde Achilles Homericus pati minimè poterat, quòd Phœnix profiteretur ſibi amicum ſe eſſe, cùm Agamemnonem ſuum inimicum non odiſſet: (*Ilia. L. 9.*) *Neutiquam*, inquiens, *te convenit iſtum amare, ut nè mihi inimicus ſis, qui te amo. Decet te mecum eum lædere, qui me læſerit.* Quocirca, ſi DEUM plùs nobiſmet ipſis diligimus, ſanctiſſimúmque ejus amorem vitâ ipsâ chariorem habemus, neceſſe enimvero eſt, ut deteſtemur, & proſcriptos in perpetuum ab anima omnes eos affectus velimus, qui ob adverſa utrinque ingenia, & toties necem ipſi intulêre, & nunquam non conantur inferre, auſcultantes D. Hieronymo ſcribenti: (*Ep. ad Ruſt.*) *Nisi oderimus*

ma-

malum, bonum amare non possumus: & Davidis exemplum sequentes qui contestabatur: (*Ps.* 138.) *Nónne, qui oderunt, te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos. & inimici facti sunt mihi.* Alioquin justam ei præbebimus causam nobis quoque exprobrandi, quod Josaphato Regi Juda ob initam cum sacrilego Achab societatem per Prophetam suum exprobravit: *Impio auxilium præstas, & iis, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris.* (L. 2. *Paral. c.* 19.)

7. Verùm fac amores terreni, qui cæteroqui verissima, miniméque dubia sunt causa lethalium quorumlibet criminum, nempe ut penitùs extinguatur in anima, quotiescunque ibi extinguitur amor divinus, non valeant tantam ipsi cladem inferre; dubitari certè nequit, quin impedimento saltèm sint, nè justam consequatur perfectionis suæ plenitudinem; cùm meridiana clariùs luce pateat, quantò plus ejusmodi cupiditatum in anima est, tantò minus divinæ charitatis existere: quantóque illæ magìs decrescunt, tantò hanc majora capere incrementa, neque priùs ad totam perfectionem suam provehi, quàm illæ omnino defecerint. *Quæ est enim perfectio bo-*

boni, ait Auguſtinus, *nisi conſumptio, & finis mali? Quæ eſt autem conſumptio mali, nisi quod lex dicit: non concupiſces? Omnino non concupiſcere perfectio boni eſt, quia conſumptio mali eſt.* (*Tr. 41. in Joa.*) Quòd ſi aliquis prædicti impedimenti rationem ſcire avet, en illam ab Iſaia allegoricis hiſce verbis comprehenſam: (*c. 28.*) *Coangustatum eſt ſtratum, ut alter decidat, & breve pallium utrumque operire non poteſt:* quia videlicet, cùm certum intrà modum coërceantur noſtræ animæ vires; nequit hæc toto earum niſu pluribus ſimul objectis ſe impendere, quin, quantum virtutis ſuæ uni impertit, tantum alteri detrahat: inſtar amnis, qui quò plures in rivos diffunditur, eò tenuior in ſingulis fluit. Idque admodum luculenter, nec uno in loco, à duobus iis humanæ Philoſophiæ coryphæis, Platone, & Ariſtotele expreſſum habemus. Quorum prior libro octavo de Legibus definit: *Duo ſtudia diligenter exerceri ab humana natura non poſſe*: præcipiens idcirco, ut in civitate à ſe adumbrata nemo duas artes exerceat, ſed *ſingulis ſingulis vacent.* Alter verò (L. 8. *Eth. c. 6.*) *fieri non poſſe*, ait, *ut multis quiſquam amicus ſit amicitiâ perfectâ, neque ut multos ſimul amet. Amor enim ingens ad unum ſpectare natu-*

râ

rà consuevit: suum hoc effatum confirmans, tum veterum amicitiarum exemplo, quarum celeberrimæ non inter plures, quàm duos extitisse traduntur; (*lb. L. 9. c. 10.*) tum limitatione virtutis humanæ: *In cunctis siquidem imbecilla natura nostra in plurima pervenire non potest.* (*Greg. Mor. L. 2. c. 19.*)

8. Si ergo id constat, cùm diversa tantummodo sunt objecta, & nullo invicem nexu conjuncta; quidni multò magis constare debeat, ubi eadem oppositionem inter se, ac repugnantiam ex natura sua habent; cujusmodi sunt hinc DEUS, indè bona mortalia? Quidni multò certiùs sequatur, quantumcunque amoris alicui horum impenditur, tantum ei, cui totus cæteroqui debebatur, subduci? Sequitur procul dubio, subdit Gilibertus Abbas. Si enim cor hominis *breve, & angustum est ad concipiendas DEI Verbi delicias, etiam cùm in illas totum extenditur; quomodo non multò brevius, si ad alia fuerit protensum.* (*Serm. 2. in Cant.*) Atque utinam experientia non ostenderet, quàm certò, & universè id eveniat. Sed unde, quæso, in nobis oritur difficultas DEO intimè adhærendi? Unde tepor in eo amando? Unde tædium, & labor in conversatione cum illo diutiùs producenda? Unde tardi-

ditas, & tergiversatio ad hæc, aut illa opera, quæ ipsi grata sunt, peragenda? Unde, ut summatim rem expediam, nostri omnes in illius famulatu defectus, & quidquid obstat, nè totos ei nos addicamus? Unde, inquam, omnia hæc proveniunt, nisi ex amore bonorum præsentium, quæ, quamvis minùs ipso, simul tamen cum ipso diligimus? Ità, ità planè res est. Nil dubitaverim cum Magno Ecclesiæ Doctore Augustino profari: parùm habemus de unguento, & melle tam suavi, quàm divinus est amor, quia profanis pleni amoribus sumus. (*Vide Tr. 2. & 4. in Ep. Joa.*) *Cùm exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum. Vas es, sed adhuc plenum. Funde, quod habes, ut accipias, quod non habes. Bono implendus es: funde malum.* Non apprehendimus amore, qui est quasi manus animæ, DEUM summum bonum, quia manus hæc tota occupatur in comprehensione mortalium bonorum. (*Ex Serm. 15. à Sirm. additis, t. 10. post med.*) *Intendite amorem hominis. Sic putate, quasi manum animæ. Si aliquid tenet, aliud tenere non potest. Ut autem possit tenere, quod datur; dimittat, quod tenet. Qui amat sæculum, DEUM amare non potest. Occupatam habet manum. Dicit illi DEUS, tene, quod do. Non vult di-*

dimittere, quod tenebat: non potest accipere, quod offertur. Paucis, extráque allegoriam: exiguus, atque imperfectus in nobis amor DEI est, quia illum non ex toto corde diligimus: & ideo non ex toto corde, quia potissimam cordis nostri partem terrenarum rerum sibi amores usurpant.

9. Quid ergo? nónne indignissimum nefas hoc est in hominibus, qui ad divinæ charitatis perfectionem aspirant, nullo pacto ferendum, cùm DEUS illud *bonorum omnium bonum* sit, cujus amandi gratiâ conditi sumus, cúmq; illũ, etsi totas exhauriremus animæ vires, amare nequeamus, nisi infinitè minùs, quàm exuperantissimæ illius amabilitati debetur; nè hunc quidem tam parvulum, immensísque illius meritis malè adeò respondentem amorem velle ipsi, quantuscunque est, offerre, sed inter alias, aliásque res creatas vix non totum dividere? Ah! qui ità se gerit, non modò non eum unum ex omnibus, sed neque plùs omnibus diligit. Cùm enim, juxta superiùs constituta, idem sit plùs omni re alia ipsum diligere, ac, quod gratius ipsi est, quibuslibet aliis rebus præferre, quemadmodum nemini esse dubium potest, quin & summopere gratum ei sit à nobis per-

fectiſſimè amari ; & nos, cùm terreni aliquid boni propter ſe amamus, minùs perfectè eum amemus, quàm ſi totum noſtrum amorem in eo uno colligeremus ; ſic etiam nemo poteſt ambigere, quin ſi anima totum in DEO ſuum amorem non colligit, ſed aliquam ejus partem in terrena itèm bona derivat ; quod gratius DEO eſt cæteris rebus unverſis, non præferat, neque DEUM conſequenter cæteris rebus univerſis plùs amet : ea ſaltem amoris exuperatione, in qua tertium, ſupremúmque ejus gradum poſuimus. *Nolite* (inquit B. Joannes Apoſtolus) *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* (*Ep. 1. c. 2.*) *Non eſt*, repetere iterum, centiésque juvat, *non eſt.* Vel de morali virtute ſcripſit Seneca : *Locum ſpatioſum res magna deſiderat. Expellantur omnia. Totum pectus illi vacet.* (*Ep.* 88.)

10. Poſtremò, ſi quidquam occurrit in terris, quod æquè ac DEUS explere, locupletare, & perficere animas ſe amantium valet, ametur ſimul cum DEO. At ſi manifeſta ratio demonſtrat, nihil prorſus exiſtere, quod comparari cum eo poſſit ; quidnam, rogo, jam ſuppetit cauſæ, cur in aliud quod-

vis

vis objectum derivare illam noſtri amoris, atque temporis partem velimus, quàm tanto fructuoſiùs in eo uno amando occupare poſſemus? Certè, etſi terrenarum rerum amor nîl impedimenti nobis afferret, nè DEUM eodem tempore amaremus, & quidem tam perfectè, quàm ſi profano quovis amore vacui eſſemus; quid tamen aliud foret, præſentis vitæ bona ſimul cum DEO, nec propter DEUM amare; nisì amoris noſtri nobilitatem deprimere, puritatem inquinare, ſuavitatem corrumpere? Efficiendo nimirum, ut ille, qui alioquin totus cæleſtis fuiſſet, luto commiſceatur: qui merum nectar ſaperet, ſuperfuſo felle amareſcat: qui perfecta unitate in ſe ipſo conſtaret, monſtrum evadat ex fortuita diverſiſſimarum inter ſe partium aggregatione conflatum: quíque in naturali ſuo centro, atque fine pacatus quieſceret; turbulento hac illac diſcurſu feratur, *tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*? Si juxta Chriſti Domini effatum: (*Mat.* 9.) novi panni ſegmen togæ veteri aſſuere parùm convenit; quantò minùs in recenti, nitidáque adhuc toga panni veteris, & longo uſu decoloris additamentum conveniet? Diſcamus eja aliquando à Doctore Angelico, rati-

onalem animam, dum objectis inferioribus, cujuſmodi ſunt terrena bona, per amorem conjungitur; nihil aliud aſſequi, nisì ut impura, & deterior fiat. (*2. 2. qu. 7. a. 2.*) *Impuritas uniuſcujuſque rei in hoc conſiſtit, quòd vilioribus immiſcetur. Non enim dicitur argentum eſſe impurum ex permiſtione auri, per quam melius redditur, ſed permiſtione plumbi, vel ſtanni. Manifeſtum eſt autem, quòd rationalis creatura dignior eſt omnibus temporalibus, & corporalibus creaturis: & ideo impura redditur ex hoc, quòd temporalibus ſe ſubjicit per amorem. A qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum ſcilicet tendit in id, quod eſt ſupra ſe, ſcilicet in* DEUM. Diſcamúſque conſequenter, ſi quis velit amori divino, à quo ſupra ſe anima noſtra extollitur, ſociare amores terrenos, à quibus infra ſe deprimitur, perinde illum facere, ac ſi auro æruginem, regali purpuræ atramentum, florum areolis urticas, neceſſariò ſupervacuum, perfectioni defectus adjiciat.

11. Quæ cùm ità ſint, manifeſtò indè evictum relinquitur, DEUM eſſe amandum, non modò plùs terrenis omnibus bonis, ſed ſinè ullo inſuper exhiſce bonis: imò neque amari plùs iis omnibus poſſe, ſi eorum aliquod

quod simul cum ipso, & non propter ipsum ametur. Cùm enim cujuscunque talis boni amor in eo uno, tanquam in suo fine subsistens, impedimento animæ sit, nè perfectè DEUm amet; qui modò alicui ex bonis terrenis per amorem adhæreat, nîl pensi habet divini amoris perfectionem in se ipso impedire; haud certè illi bono, quantum posset, summáque omni exuperantia DEUM præfert. Quamobrem in sacris Literis expulsionem mali, ceu aliquid ad introductionem boni necessarium, passim nobis commendari videmus, utì 1. Regum: ubi Samuel ab Israëlitis exigit, ut bona fide ad DEUM reversuri nihil idolorum supereſſe apud se patiantur: (*c.* 7.) *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum; auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* Videmus in Prophetia Jeremiæ, qui memor, injunctum à DEO sibi fuisse, ut non minùs de evellendo, quàm de plantando cogitaret. (*c.* 1.) *Ecce, constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*; monet suos auditores, ut ad fructuosè recipiendam divini Verbi sementem, affectionum terrenarum

ſpinis corda ſua expurgent : (*c. 4.*) *Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Videmus in Epiſtolis D. Pauli tum ad Coloſſenſes, quos jubet novandæ in melius vitæ causâ derivatam ab Adamo vetuſtatem deponere, (*c. 3.*) *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum* ; tum ad Corinthios, quibus idem præceptum per allegoriam aliam inculcat : *Expurgate,* inquiens, *vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio.* (*Ep. 1. c. 5.*)

12. Neque diſſimilis ſententia, & mens fuit ſive Socratis, qui nuſquam alibi totam reponebat inſtitutionis ſuæ ſummam, nisi in purganda à pravis opinionibus, & ſic veritati præparanda auditorum ſuorum mente ; (*ap. Plat. in Thæet.*) ſive Ariſtotelis, quo judice: (*Eudem. L. 7. c. 19.*) *Præſtantiſſimus animæ terminus eſt minimùm irrationalem partem ſentire,* ſive Homeri, qui, prout obſervat Gellius, (*L. 2. c. 6.*) *Non virtutibus appellandis, ſed vitiis detrahendis, laudare ampliter ſolet;* ſive Horatii, ſecundùm quem, (*Ep. 1. L. 1.*) *Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima ſtultitiâ caruiſſe;* ſive Antiſthenis : qui neque aliud magis neceſſarium eſſe ad Philoſophiam dictitabat, quàm *dediſcere malum* ; neque aliud ab

iis

iis requirebat, qui se illi tradere in disciplinam vellent, nisi *novum stylum, & novam tabellam.* (*Laërt in ejus Vita.*) Quod verò ad perfectionis Euangelicæ sectatores attinet, tanti ad divinum amorem comparandum momenti visa semper iis est affectuum terrenorum expulsio, ut dici possint, plus studii, conatûs posuisse in hujus instrumenti, quàm in ipsiusmet illius finis inquisitione. Quò fit, ut penè omnia spiritualis vitæ exercitia ad hanc purgationem, libertatémque animi tendant: neque aliud quidquam sæpius, & majori cum verborum pondere præcipiatur, quàm avellere animum à terrenis quibuslibet bonis, omnes, qui à DEO non proveniunt, affectus extirpatum ire, genio, illius cupiditatibus, ac propensionibus ubique adversari, nunquam desinendo mortificationis falce has recidere, quoad vel minima in animo eorum radix superst. *Omni sacræ functioni* (scriptum, testatúmque Dionysius Areopagita reliquit) *communis hic finis est, intentissima DEI, divinarúmque rerum dilectio, & quæ hanc præit, omnium, quæ illi adversantur, exactissima, nec unquam retro aspiciens fuga.* (*De Hier. Eccl. c. 1.*)

13. Et jure optimo id quidem: cùm enim rationalis anima in DEUM, tanquam in su-

um ultimum finem, à natura dirigatur; fieri minimè potest, ut, quantùm ex se est, refugiat, próque re molesta, & laboriosa habeat, illi per amorem conjungi: quin imò, juxta Cassiani observationem, summa cum facilitate, (*Coll. 9. c. 3.*) *Veluti naturali puritatis suæ beneficio sublevata, levissimo spiritualis meditationis afflatu sublimatur ad superna*; impedimentum verò, & difficultas ex terreni alicujus amoris nexu provenit, quo quamdiu misella constringitur, nequit, nisi brevi, & statim relapsuro saltu veriùs, quàm volatu ad cælestem illam suam sphæram se attollere: avi persimilis, quæ licèt nata ad volandum sit, jucundissimúmque ideo, nedum facilem experiatur illiusmodi motum; si tamen viseo, aut laqueo implicata detineatur in terris, non valet, quantumcunque cupiat, cælum versùs eniti. Quemadmodum igitur, ut hæc evolet, quò à naturali suo impetu rapitur, nil prodest sive hortatibus eam stimulare, seu de modo alas quatiendi edocere, sed unica auxilii ratio est, importuna visci, aut laquei retinacula ei detrahere: quo præstito, videre erit protinus quàm celerrimè in superna emicantem; sic ut anima in DEUM, cui uni facta est, toto cordis nisu feratur; nequaquam

opus

opus est, multa illi præcepta, & artificiosas divini amoris methodos tradere; sed ante omnia curare oportet, ut à terrenarum affectionum vinculis expediatur. Hoc enim obice amoto, sinè aliis hortatibus, & regulis arcanas supremi boni sui illecebras confestim sequetur, ínque illud non facillimè tantùm, sed & jucundissimè assurget.

14. Verum quidem est, vacuitatem omnimodam terrenorum quorumvis affectuum, ùt libri hujus initio observavimus, ultra ordinarios fines esse humanæ virtutis; neque enim absque singulari divinæ gratiæ privilegio possibile animæ est, quamdiu mortali corpore includitur, usque adeò totam DEI esse, ut nulla unquam bonorum præsentium naturali cupiditate se affici sentiat. Alioquin unde essent, ait D. Augustinus, leviores culpæ, in quas nonnunquam incidunt, animíque alienationes à multis DEO gratis operibus, quas identidem superare vel sanctissimi quique hominum debent? (L. 2. c. *Jul.* c. 10.) *Sinè peccato semper essemus, si sanaretur hoc malum concupiscentiæ, repugnantis legi mentis nostræ.* In summa, hæ sunt incircumcisæ illæ gentes, (*Judic.* 3.) *quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem*, & inter quas degat,

necesse est, quisquis in præsenti vita DEO servit. Hic ille Jebusæus, quem (*Jos. c. 15.*) *non potuerunt filii Juda delere*: quique ideo *habitat cum filiis Juda in Hierusalem usque in præsentem diem.* Obsistere quidem intestinis hisce hostibus possumus, possumus ingruentium vim retundere, devictósque nobis subjicere; funditus de medio illos tollere, aut ità perdomare, ut nihil jam nobis negotii facessant, neque nostram cum DEO necessitudinem vel minimum interturbent, nullavi possumus. *Difficile est hominem penitùs exuere*, excusatio Pyrrhonis Eliensis fuit, cùm naturæ instinctu coactus fuisset adversùs irruentis molossi vim se tueri, hoc est à sceptica illa, quam cæteroqui profitebatur, indifferentia discedere. (*Laërt. in ejus vita.*) Et quid ipsum loquor? Cùm D. Paulum, vas electionis, & Gentium Doctorem, quamvis raptus ad tertium usque cælum fuisset, cælestémque in terris vitam ageret; nihilominus expostulantem audiamus, quòd nequeat suos omnes affectus perfecta unitate in DEO colligere: *Sed aliam legem in membris suis sentiat, repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in lege peccati.* Tam altè in nostram naturam hæreditarium primævi criminis virus descendit,

dit, nullíque adeò humanæ induſtriæ conatus illi penitùs expurgando ſufficiunt. *Multo labore ſudatum eſt: & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem.* (*Ezech. c. 24.*) Haud tamen id obſtare nobis debet, quin ad ſummam divini amoris puritatem nitamur, omníque cura, ſtudio, & labore certemus, omnes affectus, qui ex DEO toti non ſint, magìs ſemper, magíſque in animis noſtris extinguere: quoad vel nulli jam ſuperſint, vel ità debilitati, ut vix ſentiantur, ac omnino deeſſe videantur: juxta Regii Vatis exemplar, qui à ſuis, Deíque hoſtibus bello inſectandis non ſe priùs deſtiturum profitebatur, quàm eos è medio funditus ſuſtuliſſet. (*Pſ. 17.*) *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.* Præclariſſimum ſanè opus, quódque uti difficiliimas perfecti erga DEUM amoris exercitationes complectitur; ità ut alacriter ſuſcipiatur, perſeverantérque urgeatur, non minùs, quàm heroicam animi generoſitatem, & virtutis contentionem requirit. Quapropter, cùm adeò neceſſaria, tantíque momenti res ſit; illius nos materiam, & praxim in ſubſecuturis deinceps capitibus explicare pergemus. Unde etiam patebit intima, &

na-

naturalis cognatio, qua Christianæ virtutes universæ cum charitate, communi omnium Regina, tanquam illius effectus, vel instrumenta nectuntur: quámque promptum unicuique sit illas omnes, sui hujusce universalis principii, atque finis respectu exercere: totam ità honestorum quorumlibet suorum actuum varietatem ad perfectum amorem DEI referendo, nempe ad unum illud necessarium, quò totus nostri hujus operis labor refertur.

CAPUT XI.

Non excludi à puro, perfectóque unius DEI amore complurium quoque aliarum rerum amorem: dummodo hæ non merè propter se ipsas, sed propter DEUM potiùs amentur.

NOllem tamen minùs prudens quispiam Lector, ex capitis præcedentis doctrina errorum occasionem sumeret: sive colligens, quò perfectè DEUM amet, omnem sui ipsius, & creatarum rerum amorem sibi esse abdi-

dicandum, seu me condemnans, perinde quasi ad exactam divini amoris puritatem necessariò id requiri contendam. Quamvis ergo nullum amorem, qui divinus non sit, posse existere in anima, quæ perfectè DEUM amet, docuerim; addo tamen, posse ab hac, imò, ùt infrà explicabo, etiam debere complura alia objecta simul cum DEO amari; neque ulla hìc apparet contradictionis species, si diversa observetur ratio, qua DEUM, quáque res creatas amari æquum est: DEUM scilicet sui unius gratiâ, & quasi finem amoris; res verò creatas, respectu DEI, earum ultimi finis. Hoc enim discrimine constituto, nîl dubii relinquitur, quin possimus, & nihil præter DEUM amare, absoluto illo amore, & solius finis ultimi proprio, de quo in antecedenti capite egimus; & alia tamen permulta simul cum eo amare, amore hoc secundario, & alterius gratiâ, de quo in præsenti verba facere aggredimur.

2. Probatur itaque, amorem rerum creatarum propter DEUM à DEI amore diversum non esse. Eodem quippe actu, quo illæ DEI causâ amantur, DEUS quoque amatur, & nihilo quidem minùs, quàm si solus

lus tunc amaretur: cùm ab ipso, quasi à fonte suo profluat, & ad ipsum, tanquam ad finem suum referatur ille amor. Quare, qui ità creatas res amat, dici meritò potest non tam ipsas, quàm DEUM in ipsis amare: quemadmodum æger sanitatis causâ pharmacum amans, dici potest non tam pharmacum ipsum, quàm in eo sanitatem amare. Teste enim D. Bernardo, (*De Dilig. Deo.*) *Quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit.* Idque ipsum in aliis quoque exemplis videre fas est: ùt in cultu sacrarum imaginum, qui, juxta D. Thomam, quoniam *non exhibetur ipsis, secundùm quod in se ipsis considerantur, quasi res quædam, sed secundùm quod sunt imagines, non in ipsis consistit, sed in id, cujus sunt imagines, tendit.* (*2. 2. qu. 81. a. 3. ad 3.*) Aut veluti in homine, Româ Neapolim proficiscente: qui, licèt primam noctem Velitris traducere in animo habeat, percontantibus tamen, quò eat, non Velitras, sed Neapolim se ire respondet: utpote qui primam illam urbem nequaquam pro itineris termino, sed pro mero trajectu ad terminum habet. Neque solùm fieri nequit, quin DEUS diligatur, quoties hæc, aut illa creatura ipsius ergo diligitur; verùm etiam sæpenume-

mero evenit, ut idem ad aliquid extra se diligendum nos movens, diligatur vehementiùs, quàm si solus in se ipso diligeretur. Nam cùm in compluribus creatis objectis qualitates reperiantur admodum voluntati exosæ, magnáque vi illam à se repellentes, ut eæ nihilominus propter DEUM diligantur, validiori profectò DEI amore opus est, quàm quo ipsum plerumque in sola sua essentia diligimus, ubi nempe nulla odii incitamenta, sed mera, & summa amabilitas intuendam se objicit. Quapropter, veluti unusquisque magis cordi se habere valetudinem probat, cùm redintegrandæ illius studio duriſſima quæque remediorum subire eligit, quàm cùm ea incolumi otiosè delectatur; sic etiam illustrius sui erga DEUM amoris specimen præbet, quando in ejus gratiam capitaliſſimum hostem, seu aliud quid maximè invisum simul cum eo diligit; quàm cùm in eo uno amando tranquillus se continet.

3. Sed clariùs etiam patebit, rerum creatarum amorem, cùm ex divino oritur, hujus puritati, & perfectioni minimè obesse; si animadvertatur, quàm nihil hìc loci habeant quatuor illæ rationes, quibus paulò ante DEUM unum esse homini amandum o-

sten-

ſtendimus. Nihil ſanè prima habet, ſumpta ex eo jure, quod DEO, tanquam ultimo noſtro fini convenit, nè ullus noſtræ voluntatis motus aliò, quàm ad ipſum tendat. Nam ſi juxta regulam à D. Auguſtino traditam, (*Tr. 10. in Ep. Joa.*) *Quidquid propter aliud quæritur, non eſt ibi finis: quidquid propter ſe quæritur, ibi eſt finis*; qui objecta creata propter DEUM amat, nullo pacto dici poteſt in illis, tanquam in ſuo fine ſubſiſtere; ſed ad DEUM, quaſi ad ultimum tam ſui, quàm actuum ſuorum finem ſe, & ſuum amorem dirigere. Nihil itèm loci habet ſecunda ex DEI offenſis petita, ad quas rerum creatarum amor incitare nos ſolet: cùm planiſſimè appareat, ubi quid alterius gratiâ diligitur, eodem actu illud quoque alterum, imò plùs etiam, præcipuéque illud alterum diligi: nec proinde fieri magìs poſſe, ut quiſquam ab amore alicujus rei propter alium finem dilectæ impellatur ad operandum contra illum finem, quàm à puro ipſiuſmet illius finis amore ad id poſſit impelli. Quamobrem, ceu impoſſibile omnino eſt, ut ipſius DEI amor incitamentum cuiquam ſit DEUM offendendi; ſic non minùs impoſſibile id exiſtimari debet de amore cujuſque alterius ob-

je-

jecti, quod vel purè, vel præcipuè propter DEUM diligatur. Neque secùs de tertia itidem ratione dicendum, de impedimentis nimirum, quæ alii amores homini afferunt, nè DEUM toto se amet. Si enim unus tæpe amor alteri obstat, tunc solummodo id evenit, cùm contraria sibi invicem sunt eorum objecta, non verò etiam, cùm affinia, & mutuo sibi nexu juncta, qualis est nexus, quo finis, & media inter se copulantur. Ubi enim secundi hujus generis sunt, pro uno haberi potiùs, quàm pro pluribus queunt, juxta illud Philosophi effatum: (*Apud S. Th.* 1. 2. *qu.* 17. *a.* 1.) *Ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantùm*: neque tunc motus erga unum impedimento est motui alterum versùs: prout S. Thomas docet, probans indè Angelos, quantamcunque nobis curam impendant, nihil idcirco à perpetua DEI contemplatione avocari. (1. *p. qu.* 112. *a* 1. *ad* 3.) *Quia duarum actionum, quarum una est ratio, & regula alterius, una non impedit alteram.* Postremò neque vilitas, & coinquinatio animæ, quod quartò objicitur, locum hìc habet. Cùm rerum creatarum amor, quando illius causa, & finis DEUS est, nihilo minùs integer, præclaræque indolis sit, quàm si DEUM unum

pro objecto haberet: utpote qui haudquaquam in creatis objectis subsistit, sed ea secum refert ad DEUM, nec ab iis contaminatur, deprimitúrve; verùm ea ipse purificat potiùs, & sublevat. Angeli certè, ac reliqui Cælites ità DEUM sui unius causâ amant, ut propter eum se ipsos quoque, & quidquid est in terris hominum, diligant. Neque illi tantùm, sed & ipsemet DEUS, ceu in libro Sapientiæ proditum habemus, (c. 11.) *Diligit omnia, quæ sunt.* Et tamen quis amorem illum dixerit, quia simul cum DEO tot creata objecta complectitur, minùs purum, minùs perfectum, minùs unum, divinúmque esse, quàm si DEUM unum respiceret? Denique nimiùm quàm diversa rerum creatarum conditio est, si in se ipsis, & si spectentur in DEO. In se ipsis sunt, quales ex natura sua esse possunt, intrà certam aliquam speciem contractæ, finitæ, imperfectæ, aliæ aliis minores, majoréque. In Deo nihil aliud sunt, quàm quod ipsemet DEUS: ens videlicet simplicissimum, nullo inquinatum defectu, omni ex parte infinitum. *Quod factum est, in ipso vita erat*, scribit D. Joannes: & quidquid præterea est divinarum perfectionum, licet subtexere, *æternitas erat, omnipo-*

ten-

centiæ erat, immensitas erat, Divinitas erat, quod est, erat. Qui eas solùm in se ipsis, & ipsarum duntaxat respectu amat, amat, prout aliquid diversum, distinctúmque à DEO, & propterea amore infra divinum. Qui eas amat in DEO, & propter DEUM, amat eas, prout unum cum DEO objectum constituunt, ideóque non minùs excellenter, quàm si DEUM solummodo amaret.

4. Locus jam est designandi aliquot regulas circa modum amandi propter DEUM creata objecta, quæ amari respectu illius possunt. Nam primò fieri id potest, ut scholasticorum verbis utar, vel interpretativè, materialiter, & implicitè; vel propriè, formaliter, & explicitè. Amatur interpretativè aliquid propter DEUM, cùm amatur ex ratione quapiam honesta, & ad DEUM tanquam honestatis totius fontem spectante, quamvis interim neque DEUS, neque amatæ rei cum eo connexio expressè attendatur; ut exempli gratiâ: cùm quis animo reputans cupiditatum coërcitionem spirituali suo profectui multùm conducere, hac de causa ad eam amandam, volendámque impellitur. qui, licèt de convenientia honesti illius actûs cum DEO nihil tunc formaliter cogitet, po-

test tamen dici, ùt observat Suarius, (*In 1. p. Tr. 1. Disp. 2. c. 4. n. 5.*) aliquo eum modo, saltèm interpretativo, & implicito, propter DEUM velle, & amare: quatenus nempe illum amat, & vult propter honestatem in eo animadversam, quæ DEO grata secundùm naturam suam est. Formalis verò, & expressus creatæ cujuspiam rei propter DEUM amor est, cùm animadvertentes aliquid DEO placere, & ad ipsius obsequium conferre, hac de causa ad illud amandum inducimur. Ex his duobus diligendi propter DEUM, quæ extra ipsum sunt, modis, nemo non videt primum longè inferiorem secundo esse, víxque posse verum DEI amorem vocari, neque propria illius continere emolumenta, atque decora: nisi quatenus sufficit, ut noster actus aliqua ratione ad suum ultimum finem, hoc est, ad DEUM tendat, ac propterea sit meriti capax; qualis minimè esset, si res amata nullam ex natura sua haberet connexionem cum DEO. Prima igitur regula esto, ut in creatis rebus propter DEUM diligendis non satis habeamus, interpretativè duntaxat, & citra expressam DEI cognitionem id facere; sed *æmulando charismata meliora*, ad diligendum quidquid diligimus, à formali, & expres-

to

so DEI amore, nimirum à flagranti quadam, & penitùs animo infixa gratificandi ipsi cura impellamur.

5. Præterea, cùm nihil amari formaliter propter DEUM possit, quin DEUS quoque unà ametur; animadvertendum est, alterutro ex duobus hisce modis id fieri posse: Primò ità, ut distinctior, & magìs explicitus objecti creati, quàm DEI amor sit: veluti exempli gratiâ, cùm dicitur: ego hanc rem volo, quia gratam DEO esse novi. Altero, ut non minùs distinctè, atque explicitè DEUS, quàm creata res diligatur: veluti cùm quis dicit: quia DEUM super omnia propter infinitam bonitatem suam amo, nihilque magìs, quàm gratificari illi cupio; volo, & amo hoc objectum, quod placere illi scio. Qui modus posterior primo haud dubiè antecellit, tum quia quodvis objectum, quantò expressiùs, tantò etiam vehementiùs diligitur; tum quia ille DEI amor magìs absolutus, & universalis, quem hìc concipimus, voluntatem nostram, dum unum quid propter eum vult, ad alia ità omnia, quæ ipsi placent, similiter volenda, habilem reddit. Quapropter altera hæc regula esto: ut non modò, quidquid rerum creatarum diligimus,

formaliter propter DEUM diligamus; sed curemus præterea DEUM simul cum ipsis, imò & ante ipsas amore illo expresso, ac finis proprio, hoc est absoluto, & universali diligere.

6, Notandum est insuper, tamdiu aliquid propter Deum formaliter diligi, quamdiu DEI amor, quo ad illud volendum impulsi semel sumus, pergit nos eodem seu per se ipsum, seu per aliquem suum effectum impellere. Impellit per se ipsum, quando voluntas præsentem eum retinet, nec deficere in se sinit; sed qualem olim concepit, talem usque iterat: ut si aliquis exempli gratiâ Dei amore incitatus, ad serviendum per duas, trésve horas ægrotis, toto illo tempore pergat novis ejusdem amoris actibus susceptum DEI gratiâ ministerium diligere, sêque ad illud alacriter obeundum stimulare. Per suum verò quempiam effectum impellit, quando, licèt ipse non superstit in anima, supereſt ibi tamen nonnulla illius præteriti species, & pia quædam propensio erga objectum DEO gratum, ad quod volendum præsens ipse incitabat; qua proinde sua vi etiamnum quamvis absens, pergit voluntatem movere: ceu si quispiam statuisset, in DEI gratiam eisdem

ægro-

ægrotantium miniſteriis continuas plures horas impendere, ſed mox operi incumbens prædictum ſuum gratificandi DEO ſtudium nullo expreſſo actu inſtauraret: qui nisì mutata interim voluntate, diverſum alium præfigeret ſuo operi finem; pergeret à priſtino illo, ſi minùs per ſe ipſum, ùt initio, at ſaltèm per ſuperſtitem aliquam ſui ſpeciem, & virtutem ad operandum moveri. Unde tertia porrò ducitur regula: nempe ut juxta primum ex prædictis duobus modis curemus, illum DEI amorem, à quo incitati ad volendum aliquid ſumus, quamdiu hoc pergimus velle, tamdiu expreſſum in anima retinere, ab eóque non per aliquid, quod ſui locò reliquerit, ſed per ſe ipſum præſentem, ut cùm maximè & vigentem continenter impelli. Momenti ſanè maximi regula, tum aliis, tum hiſce duabus de cauſis: primò, quia illa ſpecies, & virtus ab amore divino relicta temporis progreſſu magìs ſenſim, magíſque elangueſcit: ut propterea remiſſiores etiam ſint actus, quibus ab ipſa impulſi, DEUM in rebus creatis diligimus: ſecundò, quia, nisì prima DEO gratificandi voluntas ſemper vivida, & actu præſens, quamdiu aliquid creatum diligimus, perſeveret; facilè uſuvenit,

ut diversi, & profani generis alia ei furtim succedat, vel saltèm cum ea misceatur, nostrorúmque actuum sanctitatem corrumpat.

7. Non me fugit, dicturum hìc quempiam, regulas, quas proposui, præterquam quòd ad supernaturalem actuum nostrorum bonitatem, valorémque necessariæ non sint, nimiùm etiam graves humanæ imbecillitati esse, imò neque posse omnino servari. Si enim volunas nostra, quemadmodum rebus aliis volendis assiduè occupatur; ità quidquid vult, & quamdiu vult, non nisì ex amore divino, illóque expresso, ac formali vellet, nunquam profectò à continua hujus exercitatione cessaret. Quod, quis non videt, longè supra vires esse nostri statûs præsentis? Sed, quantùm ad necessitatem respondeo, nequaquam me hìc agere de necessariis ad qualecunque agendi decus, & pretium: verùm de iis, unde actus nostri ad summam, cujus capaces sunt, perfectionem, ac meritorum fœcunditatem proficiant: cujusmodi procul dubio omnium confessione est, nihil velle, atque agere, nisì ex formali amoris divini in anima existentis impulsu. Quod porrò ad difficultatem spectat, esto aliqua, nec sanè mediocris hìc occurreret, nunquam profectò

ctò erit major, quàm quæ in omnimoda rerum humanarum abdicatione, in continuo cum quibuslibet naturæ appetitibus bello, ínque tot aliis reperitur, à DEI Filio promulgatis perfectionis Euangelicæ regulis: quæ, quantumvìs arduæ, moleſtæque humano ſenſui accidant, magìs nihilominus veros DEI famulos ſupernaturali ſuo fructu alliciunt, quàm nativa aſperitate deterrent. Nego tamen in propoſito hoc à nobis ſtudio, diligendi explicitè propter DEUM, quidquid rerũ aliarum diligitur, multum reperiri difficultatis, laboríſque poſſe, ſaltèm ab iis, quorum præcipua, & continens cura eſt, in perfectione charitatis divinæ ulteriùs ſemper, atque ulteriùs proficere, quales ſunt, quos hìc liber ſpeciatim alloquitur. Cùm ejuſmodi animæ tantùm abſint ab eo gravi experiendo, ut illud veriùs pro allevamento, & ſolamine habeant in aſperrimis quibuslibet ſpiritualis vitæ exercitiis. Quòd ſi naturalis noſtræ mentis volubilitas, tótque, & tam variæ rerum humanarum turbæ continuam hanc amoris divini praxim nobis impoſſibilem reddunt; non ideo etiam efficiunt, quin poſſimus utiliter ad illius perfectionem, quantùm licet, conniti: quemadmodum ex eo, quod impoſ-

sibile homini est leviores omnes culpas in terris vitare, non sequitur, quin voluntas nullam earum conscisendi perquam utilis sit. Nam veluti hæc vim habet præstandi, ut culpæ illæ, quamvis non omnes vitentur, tamen pauciores admittantur; sic contentio, atque cura, ut, quidquid volumus, & quamdiu volumus, ex præsenti, atque expresso DEI amore velimus; plurimùm eò confert, ut si minùs omnes voluntatis nostræ actus, saltèm plerique ad divinam charitatem pertineant. Ubi nullus est lucris, nullus quoque esse debet acquirendi conatibus terminus: & ubi nunquam cessare, continenter progredi in bono est, à ratione abhorret, in modico acquiescere, quia consequi totum desperes.

8. Duo sunt postremò, de quibus commonendos habeo Lectores. Primum, sæpe contingere, ut hæc, aut illa objecta terrena videamur nobis propter DEUM tantummodo amare: cùm revera ad eorum amorem minimè ab ipso, vel saltèm non ab uno ipso impellamur: nisi enim anima à pravis affectionibus perpurgata admodum sit, solet plerumque cum cæleſti illo impulsu deterior alius quispiam, lucri putà, aut honoris misceri,

ri, imò etiam interdum ei prævalere, & unicus esse in anima volendi, agendíque finis: quamvis conciliandæ sibi authoritatis gratiâ divini amoris speciem præseferat. Non aliter quàm in remediorum dulcium, & sensui arridentium usu, qualia præcipuè sunt, quæ quotidianis, & communibus naturæ morbis medentur, nempe cibus, potus, & quies, ad necessitatis stimulos delectationis quoque instinctus consuevit accedere: imò etiam non rarò, juxta D. Augustini observationem, eos ubi desunt, ad honestum quoddam libidinis suæ velamentum fingere: (*L. 10. Conf. c. 31.*) *Ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.* Quare ùt naturalis erga res voluptuosas propensio non modò ad ejusmodi medicinas, cùm revera necessariæ sunt, adhibendas pro virili sua parte nos movet; ità etiam sæpe, vel quando à natura minimè exiguntur, eas nobis quasi necessarias repræsentat; sic innata nostro appetitui erga præsentis vitæ bona proclivitas non modò, cùm ab amore divino ad ea volenda incitamur, supernaturalibus illius incitamentis sua furtim adjungit; sed multoties divino insuper amori consentaneam eorum voluntatem esse nobis persuadet, etsi talis verè non sit, imò ipsi potiùs repugnet.

gnet. Et voluntas blandis hujuſmodi fraudibus ſponte connivet, perlibenter credens, ad ea amanda, & volenda non genii ſui propenſione, ſed divino ſe inſtinctu moveri. Neque contra id genus corruptelas ſat prodeſt, ſanctiſſimum, & purè divinum initio amorem fuiſſe. Fieri ſiquidem poteſt, ut pergens ille voluntatem afficere inſtar aquæ in fonte ſuo limpidæ, ſed quæ in decurſu limum colligens, paulatim profani alicujus finis miſtura inquinetur: poſsítque adeò de illo etiam, ità degenerante ab initiis ſuis dici: (*Jer. Thr. c* 4.) *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* (*Iſ c.* 1.) *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum miſtum eſt aquâ.* Ut ergo arceantur hæc vitia, & omnimodæ amoris integritati proſpiciatur, præter diligentem regularum uſum, quas & paulò antè dedimus, & ſuo infrà loco de hominis erga ſemet ipſum amore differentes ſubjiciemus; neceſſaria quoque eſt ingens cordis puritas, diutina tam interioris, quàm externæ mortificationis exercitatio, aſſidua, & pervigil noſtri circumſpectio, & demum frequens animi à cogitatione, & amore creatæ cujuslibet rei in DEI unius contemplationem, amorémque collectio.

9. At-

9. Atque hoc est alterum ex duobus iis monitis, quæ mihi, ùt paulò antè dixi, tradenda supererant: nempe, ut non solùm curemus, ab expresso DEI amore impelli ad amandum, & volendum, quidquid extra ipsum nos amare, & velle oportuerit; sed præterea, quantum possumus temporis, hoc est totum id tempus, quo necessitas, vel obedientia, vel justa quævis ratio creatas res propter DEUM curare, & velle non adigit; in eo uno contemplando, amandóque studemus traducere: supra imum hunc orbem, & quidquid est creatum toto animo evecti, nostrímet, & cæterarum omnium rerum prorsus obliti, inque suavissima infinitæ illius magnitudinis, perfectionis, & pulchritudinis admiratione omnino defixi. Quod est illud, latitare *in abscondito faciei Domini à conturbatione hominum*, cujus meminit David, (*Ps 30*) illud, *eligere* cum Maria *optimam partem*, præ solicitis Marthæ ministeriis à Christo laudatũ: & illud, sepositа omni alia cogitatione, Deo uni vacare, ad quod ipsemet nos provocat, dicens: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* (*Ps. 45.*) Et ratio, cur abstrahere ità mentem expediat, in promptu est: quia rerum creatarum, etiam quæ utiles cæteroqui sunt,

&

& amari merentur, recordatio, à DEI longè utiliſſimi, amabiliſſimíque omnium objecti, præſentia ſæpe avocat, turbulentas in animo affectiones excitare conſuevit, & facit plerumque, ut ignari, ac minimè ſentientes naturali duntaxat profanóque amore eas diligamus. Quamobrem, extra id tempus, quo neceſſariis, vel honeſtis de cauſis curandæ ſunt, conſultius videtur ſegregare ab iis mentem, ut tota in DEO colligatur. Præterquam quòd à ſimplici, & abſoluto illo amore, quo DEUM in ſe ipſo diligimus, tota cæterorum erga res creatas amorum perfectio, & bonitas pendeat; cùm, quantò ille vehementior in anima eſt, tantò hanc validiùs ad cætera quævis objecta ſimili amore, hoc eſt puro, ac divino proſequenda incitet. Atqui ſimplex, & abſolutus DEI amor, quamvis poſſit, quoties ad creatam rem aliquam diligendam nos movet, ſimul cum illius cogitatione, & amore in anima exiſtere; major nihilo minus, flagrantiórque ſolet eſſe, ſi hæc in arcano quodam à cæteris quibuſque objectis ſeceſſu, DEO uni contemplando, atque amando totam ſe impendit. Quapropter dubitari minimè poteſt, quin ſi homo conſueſcat ſæpe animo egredi extra quidvis creatum, &

ſo-

totus cum DEO, quàm diutissimè potest, versari; quemadmodum penitiùs sese ibi intrà ipsum demerget, ardentiorémque, & longiùs in voluntate permansurum illius amorem concipiet; sic cùm deinde occasio se præbebit, creatæ alicujus rei propter eum diligendæ, puriùs, sanctiúsque id faciet: nullam nempe harum diligens ex humanæ cupiditatis, sed ex puro divini amoris impulsu: & quamdiu illam diligit, tam diu perget DEUM quoque formali, expressóque amoris actu diligere. Quod difficillimè assequeretur, si consuevisset, nunquam DEUM mente intueri, & amare, nisi unà cum rebus creatis, hoc est, nisi cum aliquid in illius gratiam volendum, agendúmque est.

10. Neque huic doctrinæ adversantur duo illa, quæ suprà affirmavi: nimirum quòd Angeli per assiduam nostri curam nihilo minùs idonei ad perfectè contemplandum, & amandum DEUM fiant: quódque vehementior interdum DEI amor sit, quo aliquid propter illum, quàm quo unum illum in sua essentia diligimus. Nam, ad primum quod attinet, nimiùm quantùm præsens nostra conditio à cælesti differt Angelorum statu: qui DEUM palàm intuentes, qualis in se ipso est, ne-

nequeunt, esto alia quoque interim curent, non perpetuò, & tota vi sua illum amare. Et quamvis nos item, dum aliquid pro eo volumus, facimúsque, præsentem actu retinere illius memoriam, & amorem possimus; non tamen absque peculiari ejus privilegio possumus toto tempore, quo creatis objectis illius causâ mentem adhibemus, tam perfectè eum contemplari, & amare; quàm qui citra omnem sanctam cæteroqui, & necessariam avocationem ipsi uni tota mente, totóque animo vacat. Adde, quòd ii solummodo inter justas, Deóque acceptas rerum conditarum curas, aliquantò vividiorem sensum, ac præsentiam DEI retineant, qui magis firmum, stabilémque illius usum crebra, & diutina unius DEI meditatione acquisiverint: ut proinde eorum exemplo confirmetur potiùs, quàm labefactetur, quod propositum à me est, debere nos scilicet quàm creberrimè, & diutissimè liceat, totam in DEO uno mentem colligere, ut puriori studio possimus alia propter ipsum curare. Quantùm verò ad alterum caput, affero iterum, majoris interdum perfectionis, ac meriti esse aliquid creatum pro DEO, quàm DEUM in se ipso diligere. Sed tamen id intelligo, & accipi volo,

lo, si quæ ex amoris divini impulsu volumus, molesta per se sint, atque invisa, adeò ut magno virtutis conatu ad ea amanda, & eligenda opus sit, veluti ærumnæ, probra, cruces, martyria; non autem de aliis etiam objectis, quæ per se ipsa ad amorẽ sui nos alliciunt, ceu corporis valetudo, rerum necessariarum copia, ídque genus res aliæ, humano appetitui jucundæ. Imò addo, si de prioribus objectis suapte natura odiosis loquamur, non semper DEUM in illis perfectiùs, quàm in se uno à diversis præsertim personis amari. Cùm facilè possit contingere, ut vir quispiam eximiè sanctus intimiorem, enixiorémque illius amorem concipiat, dum tota mente in arcanam incomprehensibilis ejus essentiæ, absolutæque pulchritudinis contemplationem absorptus, defixúsque hæret; quàm amor sit, quem alia ordinariæ virtutis persona exercet, dum illius gratiâ inimicos diligit, vel flagellis, aliísque ultro susceptis afflictationibus suum corpus castigat. Cùm itaque major actuum nostrorum præstantia ex majore in iis exercendis divini amoris vi oriatur; cúmque ad divinum amorem intendendum abstracta, & solitaria DEI contemplatio plurimùm juvet, optimum factu censue-

rim, ut quisquis huic se idoneum experitur, quàm diutissimè potest, in ea mentem detineat: nullam neque sui, neque alterius extra DEUM objecti cogitationem susciplens, nisi eo tantùm tempore, quo sive obedientia, sive justa erga proximos charitas, sive legitima alia ratio, hoc est, DEUS ipse, & significata ejus voluntas præscripserit. Quantò enim plùs de illo, minúsque de creatis rebus cogitaverit, tantò erit aptior, & ad ipsum sui unius causâ, & ad res cæteras, non tam sui ipsarum, quàm illius causâ, hoc est cum majori sanctitate, perfectione, ac merito amandas. Paucis: nemo res creatas amat meliùs, quàm qui magis propter DEUM, minúsque propter ipsas id facit: & nemo magis propter DEUM, minúsque propter ipsas id facit, quàm qui DEO unicè intentus, non nisi quando ille vult, ad cætera considerandà, & amanda se vertit. Audiatur D. Augustinus: *Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter necessitatem charitatis. Sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deserenda est, nè subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas.* (L. 19. de Civ. c. 19.)

II. Mi-

11. Minùs tamen ad praxim conduceret, declaraviſſe, quonam pacto amare propter DEUM res creatas oporteat, nisi explicaremus præterea, quænam ex illis amandæ, quæque non amandæ ab eo ſint, qui perfectè amare DEUM ſtudet. Hoc itaque exequi deinceps pergemus, ordientes ab iis, quarum amor minimè adverſatur, imò affinis potiùs divino eſt, quáſque idcirco propter DEUM, & ſimul cum DEO amari opus eſt.

CAPUT XII.

Amorem ſanctiſſimæ Humanitatis, DEIparæ Virginis, & reliquorum Cælituum nullo pacto adverſari perfectæ charitati erga DEUM: imò ex ea veriùs per neceſſariam derivationem profluere.

AMor cujuſvis perſonæ, ſi vehemens, ac fervidus ſit, nequaquam in ea tantùm ſubſiſtit, ſed ad cætera itèm omnia, quæ illi cognata ſunt, atque amica, tanquam ad objectum ſecundarium ſe exporrigit. *Non ſolùm probabile*, (inquit Plato) *ſed penitùs neceſſarium*

est, eum, qui ad aliquid amore afficitur, quidquid cognatum, & familiare est amato, diligere: (L. 6. *de Rep.*) Cujus dicti tot penè rationes possunt afferri, quot proprietates mutuæ inter amicos benevolentiæ, ac necessitudinis sunt. Et primò celeberrima vulgò est hujus proprietas, indivisa rerum omnium, quæ possidentur, communio. Quare, cùm inter bona, quæ homines possident, nihil sit amicis præstantius; arguere cum Theophrasto fas est, (*Apud Plut. de Am. Frat.*) *Si amicorum omnia sunt comunia; commmunes debere esse amicorum amicos.* Præterea, teste Sallustio: *Idem velle, & idem nolle* ad veram amicitiam requiritur. Quomodo igitur amicus esse alicui dicatur, qui res, & personas ab eo amatas non amet? *Ii amici, qui ejusdem amici. eo enim pacto eadem volunt.* (*Ar. L. 2. Rhet. c. 4.*) Denique nihil æquè innatum amori est, ac duos ità invicem jungere, ut ex utroque unum fiat. Neque hæc conjunctio, atque unitas intercedere cum quopiam potest, nisi etiam cum rebus, personisque intercedat, quibuscum ille per amorem conjungitur, juxta receptissimum illud effatum: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* & hoc alterum Doctoris Angelici: (L. 1. c. *Gent. c. 75.*) *Qui amat*

amat aliquid ratione ipsius, amat etiam omnia, in quibus id reperitur: ùt, qui amat dulcedinem propter se, amat necessariò omnia dulcia. Quò etiam referri potest illa Christi Domini ad æternum Patrem pro amica inter suos sectatores unitate oratio: *Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* (*Joa. c.* 17.)

2. Hoc itaque extra controversiam posito, manifestè apparet, perfectum DEI amatorem non solùm posse amare, verùm etiam fieri non posse, nè amet eos omnes, qui mutuo amore conjuncti cum eo sunt, quósque D. Joannes testatur, in DEO commorari, eúmque in se commorantem habere: (*Ep. 1. c.* 4.) *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Quales nemini esse dubium potest, quin sint primò sacrosancta Servatoris nostri JESU Christi Humanitas, hypostaticè ab eo sibi conjuncta: secundò maxima ejusdem Parens Virgo, singulariter ab eo creatas inter omnes personas dilecta: tertiò sancti Angeli, & reliqui Cælites, indissolubili perfectæ amicitiæ nexu cum eo æternùm devincti. Quocirca neque ambigi potest, quin si DEUM ex toto corde diligimus, hos quoque adeò ipsi charos, & fami-

liares debeamus diligere, juſtum iis cultum præſtantes, de feliciſſima eorum ſorte gaudentes, curantéſque ità conjuncti cum ipſis vivere, prout ipſi cum DEO copulantur. Præſertim quòd compertum habeamus, Domino id inprimis placere: qui cùm diſertè imperaverit, ut, quidquid in terra hominum eſt, diligamus, quamvìs inter illos plurimi inimici ejus ſint; quidni multò impenſiùs hos diligi à nobis velit, quos ſibi amiciſſimos eſſe, & nunquam non fore teſtatum palàm omnibus fecit? Neque alia deſunt argumenta, quibus eadem veritas confirmetur adhuc validiùs. Confirmatur unanimi ſanctorum hominum ſenſu, atque exemplo, qui ad perfectam cum DEO conjunctionem tendentes, peculiarem erga memoratos modò cæli Principes obſervantiam, amorémque habuêre. Confirmatur itidem univerſali, ac perpetuo Eccleſiæ uſu: quæ cùm certiſſima credendi, vivendíque ſit norma, eoſdem publicè venerari, & invocare à ſui exordio ſemper conſuevit, diris devovens, intérque DEI hoſtes rejiciens, qui debitum prædictis ejus amicis cultum negaret. Confirmatur demum tot, támque eximiis muneribus, quæ DEUS per eoſdem largiri eorum ſuffragia imploranti-

bus

bus ſolet, demonſtrans hoc pacto, pergratum ſibi eſſe, ut, quos ipſe amat, nos quoque ſimili amore, & omni officiorum genere proſequamur: quemadmodum rite animadverſum eſt à D. Bernardo in ſermone de Natali ſanctiſſimæ DEI Parentis MARIÆ: ubi omnes hortatur, *ut totis medullis cordium, & totis præcordiorum affectibus* cæleſtem hanc Dominam ament, pro incitamento illius ſic amandæ afferens divini Filii ſui voluntatem: & hunc id velle arguens, quòd ipſam ſuæ totius erga nos liberalitatis adminiſtram conſtituerit: *quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM.*

3. Ex hac tota diſſertatione colligitur, quàm toto aberrarent cælo nuperi illi myſticæ vitæ Pſeudomagiſtri, qui ſuperioribus annis docebant, non debere hominem, cui perfecta animi puritas, & conjunctio cum Deo curæ eſt, amoris actus ſive erga DEIparam, ſive erga ipſammet Chriſti Domini Humanitatem concipere, ſed totam mentem, totúmque animum in uno DEO amando occupare: ablegatis quibuſque aliis affectibus, tanquam impedimentis puriſſimi illius, ac penitùs divini amoris, in quo tota interioris vitæ ſumma ab iis pònebatur. Cæci profectò, & du-

ces cæcorum, juſtéque ideo ab Eccleſia non ferendi erroris damnati. Quamvìs enim DEO uni totum vacare præſtantius ſuapte natura actionis genus ſit, quàm attentionis, & voluntatis partem excellentiſſimis cæteroqui objectis creatis tribuere, quíque ſatìs ſe idoneum experitur, ad totam uſquequaque animam in unico, altiſſimóque illo objecto defigendam, conſultiſſimè, ùt dicimus, videatur facturus, ſi, quantumcunque liberi temporis habet, in ſolitaria, & abſtracta illius contemplatione traducat; quotuſquiſque tamen haud videt, nullo modo fieri poſſe, ut quiſquam mortalium per omnem ſuam vitam DEO uni adhæreat: & quamvìs poſſet in eum ità abſorptus continenter durare; æquũ nihilominus, & rationi conſentaneum fore, ut quandoque ſecundùm vulgarem loquendi formulam, DEUM ipſum DEI causâ relinquat: hoc eſt, à ſecreta cum eo conſuetudine ad exercitationem aliorum actuum ei placentium tranſeat, cujuſmodi eſſe actus obſequii, & amoris erga familiarium ſuorum intimos vidimus? Certè verus DEI amor non alibi magìs, quàm in una, eadémque cum eo voluntate conſiſtit. Nónne igitur manifeſta contradictio erit, cenſere, enixiùs nos DE-

UM

UM amaturos, si à placito, & voluntate illius deflexerimus: renuendo videlicet quidquam præter ipsum amare, cùm ipse, juxta D. Leonis testificationem, (*Serm.* 1. *de Jei. Dec. Mens.*) *velit, ut non solùm ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus?* Et quid tandem? Summámne divinæ charitatis perfectionem solis posse nos assequi nostris studiis, & viribus credimus? Apage cum persuasione vanissima. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* (síque aliud omne, hoc inprimis, adeò singulare, & eximium) *desursum est, descendens à Patre luminum.* (*Jac. c.* 1.) DEUS illud pro suo arbitratu largitur. Nisì ab eo impertitum nobis fuerit, irriti ad illud obtinendum quicunque conatus nostri erunt. At quidnam causæ potest ipsi esse, cur munus tam præcipuum concessum potiùs, quàm negatum velit, studenti se ad illud comparare, per omnimodam oblivionem, atque incuriam eorum cælestis aulæ suæ principum, quos tam impensè charos ipse habet, honorátque, & honorari, atque diligi ab omnibus gaudet? Næ intelligendum nobis est, DEUM, veluti ad majoris nostræ humilitatis exercitium, nequaquam vult per se ipsum, sed per alios potiùs vicarios sui homines in spirituali

via nos dirigere; sic etiãvelle, ut demissiore animo simus, videntes opus nobis esse, non ipsi duntaxat supremo universitatis totius Domino, sed & ipsius famulis, atque amicis supplicare; pleraque beneficiorum suorum solere, non tam ultro per sese, quàm per hos, atque horum suffragatione impulsum largiri. Quapropter, ceu nimis superbum se proderet, inque multis propterea non sinè gravi detrimento suo erraret, qui in spiritualis vitæ negotiis legitimi cujusque præsidis ductum, gubernationémque negligeret, satìs se confidens posse, quid in re quavis factu optimum sit, vel per suam naturalem prudentiam, vel per infusum à DEO lumen dignoscere, ità similis arrogantiæ præseferret specimen, suisque mereretur votis fraudari, qui pro eorum scopo, atque fine perfectissimum amorem DEI habens, nulla sibi ad sui hujusce finis assecutionem Cælituũ patrocinia conquireret, sed illum solis propriæ industriæ conatibus, & unius DEI benignitate se obtenturum speraret.

4. Summa igitur, & conclusio disputationis sit, neminem debere, quantumcunque in via interiori, & studio contemplationis profecerit, sacrosanctam Servatoris DEI Hu-

Humanitatem, integerrimam ejus Matrem Virginem, & reliquos Cælites oblivioni tradere, neque eorum memoriam, & venerationem intimæ cum DEO necessitudini adversam putare: sed D. potiùs Teresiam, solidæ, ac frugiferæ contemplationis magistram audire: quæ cùm aliquando persuaderi ipsa quoque sibi passa esset, Christi Domini cogitationem, amorémque impedimentum homini afferre, nè ad summa enitatur perfectæ orationis fastigia; nequiit non gravissimè, intiméque angi de sua hallucinatione tam fœda: *O meum bonum*, exclamans, *JEsu cruci affixe, nunquam recordatio animum subit, quòd ità olim senserim, quin mihi magnæ adversùm te proditionis, quanquam inscienter, rea videar. Itáne fieri potuit, mi Domine, ut vel obiter veniret mihi in mentem, impeditum à te iri meum majus bonum? & undenam mea quævis bona, nisi ex te profluxerunt? Nolo arbitrari, culpa verius, quàm errore ibi lapsam me esse. Nam alioqui nimio fletu obruerer. Ignoratio haud dubiè illa fuit: ideóque tua bonitas opportunè correctam voluit.* (*In Vit. c. 22.*)

5. Addo tamen, cùm magni hi cæli Principes coli, amarique à nobis queant, vel propriæ suæ, & supernaturalis excellentiæ cau-

causâ; vel DEI potiùs reſpectu, in quo omnis eorum dignitas poſita eſt, quíque illos & eximio in honore habet, & honorari ab omnibus vult; quemadmodum ſecunda hæc ratio nobilior ſuapte natura eſt, ità ſatiùs foret, ſi ea præcipuè uti curemus in pio, & religioſo quovis actu, ſive erga divos cæli Incolas, ſive erga magnam DEI Matrem, majorémque ejus Filium, & noſtræ aſſertorem ſalutis, Chriſtum JEſum. Neque ulla metuendi eſt occaſio, nè hac illos altiori de cauſa venerantes, aliquam iiſdem videamur injuriam facere: cùm certiſſimè conſtet, DEUM eſſe ultimum finem, cujus gratiâ res omnes exiſtunt: neque poſſe quemquam injuriâ affici, quòd ob finem, propter quem factus eſt, diligatur. Præterquam quòd creata res quælibet, quantumcunque ſuper alias emineat, ſi cum DEO comparetur, uſque adeò decreſcit, ut non modò minimum quid, ſed penè etiam nihilum poſſit videri: neque amari meretur, nisì infinitè minùs, quàm illius maximus Conditor. Quocirca nunquam poteſt per ſe ipſam tanta vi nos movere ad ſe amandam, quanta DEUS per amorem ſuum poteſt nos eò impellere: ac proinde utilius ipſi eſt, amandæ ipſius cauſam ab infinita Dei

ama-

amabilitate, ac perfectione ſumi, quàm ſi ex finita duntaxat ipſiuſmet excellentia ſumatur.

6. Sed multò adhuc minùs verendum eſt, nè illimet ipſi, quos DEI potiùs, quàm ſui causâ honoramus, & diligimus, paulò ægriùs id ferant. Tum quia hujuſmodi ratio, ùt demonſtratum eſt, nîl injuriæ ipſis irrogat, imò potiùs ad majorem eorundem reverentiam, & amorem conducit: tum quia, prout D. Auguſtinus obſervat, cùm neque nos ipſos proſequi amore debeamus, qui in nobis, tanquam in ſuo fine ſubſiſtat; nemo juſtam querendi habet cauſam, quòd à nobis ea diligatur ratione, qua jubemur nos ipſos dìligere. (*L. 1. de Doctr. Chr. c. 28.*) *Si ergo te ipſum non propter te ipſum debes diligere, ſed propter illud, ubi dilectionis tuæ rectiſſimus finis eſt; non ſuccenſeat alius homo, ſi etiam ipſum propter DEUM diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus eſt conſtituta: diliges proximum tuum ſicut te ipſum: DEUM verò ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima*: tum denique, quia fidiſſimi illi DEI ſervi tantùm abſunt ab indignè accipiendo, quòd reſpectu potiùs ſupremi ſui Domini, quàm ob ſingularem ſuorum decorum præſtantiam diligantur, ut non

non alia magis ratione diligi velint: cùm ipsi quoque non tam suimet causâ, quàm propter DEUM, unicum suorum quorumvis affectuum principium, ac finem se diligant. Audiatur de hac re unius ipsorum testificatio, beatæ nimirum Elisabeth: quam cùm D. Gertrudis candidè aliquando, ingenuéque percontata esset: *Numquid Domina pro detrimento laudis tuæ deputas, quòd ego cantando in tuo festo solummodo intendo illi, à quo tu cuncta, pro quibus laudaris, gratis accepisti, ad te quasi nullum habens respectum?* Nequaquam, ô filia! responderi sibi audiit: imò canens ità mente in DEO penitùs fixa, *tantò suaviùs me demulces, quantò aliquem plùs delectat musicum instrumentum, quàm balatus ovium, & mugitus boum.* (L. 4. Insin. c. 58.)

7. His præmissis, supereſt jam, ut paulò distinctiùs de peculiari cultu agamus, quem amor divinus cuivis beatorum Cælituum jubet præstari. Primus ex omnibus sese offert Christus JEsus, DEI Filius, humanique totius generis Redemptor, & caput, dignissimus quibuscunque rebus creatis in cultu, & amore anteponi, vel secundùm humanæ suæ naturæ præstantiam, ratione intimi nexûs, quo ea cum Verbo divino conjungitur. Unde

de fit, ut, quemadmodum quæ propria DEI sunt, affirmari possunt de homine, quæque homini naturaliter competunt, DEO vicissim attribui; sic amor erga DEUM dici possit hujus hominis amor, amórque hujus hominis DEI amor vocari. Adde, quòd ille sit via, quæ ad DEUM nos perducit: (*Joa.* 14.) *Ego sum via:* Reconciliator veteris nostræ cum ipso amicitiæ: (*Ad Rom.* 5.) *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem Filii ejus:* omnium, quæ cum ipso nobis intercedunt, negotiorum sequester: (1. *ad Tim. c.* 2.) *Unus Mediator DEI, & hominum, Homo Christus JEsus:* reparator cladium, quibus primi parentis culpa humanum genus afflixit: (*Ad Ephes. c.* 1.) *Proposuit instaurare omnia in Christo:* nostrarum in divino foro causarum patronus: (*Ep.* 1. *Joa. c.* 2.) *Advocatum habemus apud Patrem JEsum Christum:* Dux, & Magister. (*Isa. c.* 55.) *Dedi eum Ducem, ac præceptorem gentibus:* Rex, atque Dominus. (*Matth. c.* 21.) *Ecce, Rex tuus venit tibi mansuetus, & Salvator:* Janua regni cælestis. (*Joa.* 10.) *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.* Quid plura? Medicus, Pastor, defensor, lux, salus, vita, omne bonum: (*Ad Rom.* 8.) *Omnia nobis cum ipso do-*

na-

navit. Neque ullum est divinorum munerum genus, quod nobis nisi per illius merita tribuatur; aut interposito illius nomine postulatum negetur. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* (*Joa. c.* 16.) Unde licet ad extremum ex D. Ambrosii verbis colligere: *Omnia igitur habemus in Christo, & omnia Christus est nobis.* (L. 6. *Exam. c.* 4.)

8. Cùm itaque & tam sublimis apud Deum illius dignitas sit, & tam multis nominibus nostra salus, & felicitas ex eo pendeat; æquissimum procul dubio, ut omnia ei, quæ possumus, observantiæ, atque amoris vectigalia pendamus. Eorum autem præcipua erunt: Primò in mente penitùs figere, proque cælestis sapientiæ oraculis, & certissima vivendi regula habere, quidquid ipse mortali in vita agens Apostolos docuit, suisque dein in Euangeliis ad perpetuam posteritatis totius institutionem consignatum reliquit. Secundò, ad sanctissimæ illius vitæ exemplar accuratissima imitatione nos fingere, & si quid ex toleratis ab eo olim ærumnis, opprobriis, ac doloribus pati contingat, gratulanter amplecti, hac inprimis de causa, quòd per id genus quasi lineamenta illi similiores eva-

evadimus. Tertiò: amantissimas crebrò, atque humillimas ei grates persolvere, pro incomparabili amore, quo nos prorsus immerentes, malæque frugis servulos dignatus est, nè acerbissimam quidem subire pro nobis mortem recusans, nihílque flagrantiùs expetens, quàm ut tam immensæ illius charitati aliquam rependamus, quibuslibet pro eo suscipiendis, & tolerandis laboribus vicem. Quartò: pati non posse irreligiosum contemptum, quo illius aris vulgò assistitur, & quo sacrosanctum illius nomen in communi sermone usurpatur, nullíque arti, industriæ, & conatui parcere, ad eum debito in honore apud omnes ponendum. Quintò denique: omnem rerum nostrarum fiduciam in eo constituere, & ad ipsum veluti ad benevolentissimum patrem, & amicorum fidissimum, quando aliqua necessitas, molestiáve, aut periculum urget, opis gratiâ confugere: iis præsertim in locis, ubi ipse per Eucharistiæ Sacramentum præsens copiam se adeuntibus facit, vel cùm grande instauratur sacrificium, quod idem olim in ara crucis Sacerdos simul & victima pro nobis Patri obtulit: adeò ut nullum nobis longiusculum videatur tempus, quod in his locis, & inter tam

ſacra myſteria traducimus: nec minori cum reverentiæ, amoríſque, & fiduciæ ſenſu eum ibi alloquamur, quàm ſi extra ſiparium in ſuamet humana ſpecie intueremur præſentem. Hæc tamen omnia religioſi cultûs officia ità Chriſto Domino exhibere curemus, ut DEUM interim pro eorum principio, atque fine habeamus: qui divinum hunc hominem, & reliqua omni rerum creatarum universitate plùs diligit; & ſimili amore à nobis diligi vult, pérque ipſum præcipuè vitalem charitatis ſuæ ſpiritum impertiri hominibus ſolet: veluti per ipſius quoque merita eundem ſacro Pentecoſtes die in Apoſtolorũ corda profudit. Nec abs re erit, ſi ipſimet noſtro Servatori diſertè conteſtemur, potiſſimas ità eum venerandi, amandíque cauſas à DEO nos mutuari, noſtro nempe, & ipſius ultimo fine: certiſſimè perſuaſum habentes, ingenuam ejuſmodi confeſſionem neutiquam acceptum ab eo iri pro minore ſui cultu: imò plùs ei placituram, quàm ſi conteſtaremur, eum, quatenus homo eſt, ſui unius reſpectu à nobis honorari, atque diligi. Quo enim pacto, cùm nemo ex nobis ægre ferat, DEI potiùs, quàm ſui cauſâ ſe amari, venire cuiquam in mentem poſſit, ſanctiſſimam il-

illam animam, quæ ardentissimæ charitatis vi totam in DEUM se transfudit, neque se ipsam, nisi respectu illius amat, minùs boni consulturam, si pro ultimo amandi illam fine non ipsam, sed DEUM habuerimus? Ah non ità credi jubet illud *via* nomen, quod paulò ante suum è terris decessum Christus sibi usurpavit: quasi innuere volens hoc pacto, ùt observatum à D. Augustino est, *quòd nulla res in via tenere nos debeat: cùm nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire: nè rebus temporalibus, quamvis pro salute nostra susceptis, & gestis hæreamus infirmiter, sed per eas potiùs curramus alacriter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi, & pervenire mereamur.* (*De Doctr. Christ. L. 1. c. 34.*)

9. Succedit Christo, alterum nostri cultûs, atque amoris objectum, sanctissima Virgo illius Parens: creatas inter omnes personas DEO maximè accepta: utpote cui *fecit magna, qui potens est*: è cælesti nimirum sua sede in virginalem illius uterum ad humanam sumendam carnem delabens: eam omnium non hominum modò, sed & cælestium spirituum Imperatricem constituens: vo-

lens, ut quidquid munerum in reliquos mortales universos promanaturum deinceps ab immensa liberalitate sua erat, per illius manus transiret: majoríque illam gratiæ suæ affluentia locupletans, hoc est plùs unam diligens, quàm totam simul, quotquot futuri sunt, Electorum universitatem. Quare, qui DEUM ex toto corde amat, fieri non potest, quin simili affectu erga cælestem hanc Dominam flagret, quam videlicet singulariter adeò charam ei videt, quámque quantò impensiùs diligit, tantò ei obsequitur magìs.

10. Et multi quidem sunt colendæ illius modi, à flagranti complurium pietate excogitati, neque ità pridem à Petro Pinamontio in libellum collecti majoris pretii, quàm molis, qui *sacrum* MARIÆ *cor* nuncupatur. Eò itaque majoris copiæ studiosos ablegans, nè immodica minutorum rituum varietate onerosus Lectorum pietati sim; nonnullos duntaxat ex magìs necessariis proponam. Hujusmodi porrò videntur: primò, aliquem tum interioris reverentiæ actum edere, quoties illius vel imago occurrit, vel sacrum nomen auditur. Secundò, festos illius dies peculiari aliquo castigandi corporis, pietatisque exercendæ studio honorare: nec non sin-

singulares illius prærogativas, quæ anniversaria religione tunc celebrantur, animo reputare, miraríque, & de illis gestire, ac gratias DEO reddere, non secùs ac si beneficia essent nobis impertita. Tertiò : de illius laudibus, ubicunque occasio se dederit, magnificè loqui, & omnes, quibuscum agimus, ad tantæ Dominæ cultum, atque amorem, quo possumus studio, excitare. Quartò : certum aliquod obsequii, ac religionis pensum definitum habere, quod singulis ei diebus persolvatur, ídque cum intimo cordis affectu, & recenti semper pietatis sensu, non autem ex mera servandæ consuetudinis causâ. Quintò : aliquam ejus imaginem in conclavi habere, cui subinde, putà ad singulos horologii pulsus, vel saltèm, quoties indè foras prodire, aut reverti eò contingit, piè nos commendemus, & aliquod reverentiæ signũ exhibeamus. Sextò : frequenter, cúmque propria amantium filiorum, & servorum fiducia ad misericordiæ illius aram confugere, orando, ut pro consueta, & familiari sua benignitate tueatur nos in periculis, allevet à mœroribus, dirigat in dubiis, roboret adversùs difficultates, quódque caput est, ulteriùs semper, atque ulteriùs in perfecta cum Deo

conjunctione promoveat. Dicamus ergo illi ex intimis animi penetralibus: O admirabile artificis supremi opus! ô inter creatas omnes personas maximè illi dilecta! gratulamur sanè tibi de muneribus, quæ magnus hic noster, tuúsque Dominus larga adeò in te manu profudit: suam esse Matrem, nostræ administram salutis, cæli, terrarúmque Reginam, & suorum omnium dispensatricem munerum volens: quódque plus est, tanto amoris sui æstu te incendens, quantus in nullo unquam beatorum spirituum, imò neque in iis omnibus simul sumptis flagravit. Unde immensò plùs, quàm te ipsam, eum diligis: imò neque te ipsam potes nisi ejus causâ diligere: nihílque optas ardentiùs, quàm ut nostri itidem, & aliorum, quotquot, sunt mortalium amores in eo, tanquam in communi suo centro, atque fine colligantur. O te æternis dignam laudibus! ob justam adeò ei, à quo in tantum evecta es, grati animi vicem. Nos quoque illius, & propterea tui etiam humiles servuli nequimus singulari amore non prosequi, quam eximiè adeò & à cælesti nostro Domino amatam, & amantem illius cernimus. Age igitur, ô Seraphinorum Regina! quandoquidem summus boni omnis largi-

gitor non modò te totam divino amore ſuo implevit ; ſed ejuſdem quoque in alios omnes diſpertiendi miniſtram conſtituit ; nè quæſo illius partem nobis pauperculis denegatam velis, qui optatiſſimi hujuſce muneris referendi causâ obſecrationes noſtras ad pietatis tuæ ſolium deferimus. Et verò cur illud impertiri abnuas, cùm ità te animo comparatam noverimus , ut quidvis impendii libentiſſimè ſubitura eſſes; dummodo mortales univerſi DEUM tuum æquè ac tu amarent ? Si nos , quorum cæteroquin frigida adeò charitas eſt, flagrantiſſimè tamen cupimus , eam longè , latéque in omnes homines diffundi, nullíque cunctaremur pro virili noſtra parte illius copiam facere, non quærenti, imò etiam faſtidienti, atque aſpernanti ; quonam pacto fieri queat, ut eam tu communicare omittas ſupplicabundis , & ſumma votorum contentione expoſcentibus ? Ah non ità *Mater pulchræ dilectionis* , non ità. Sed beatiſſimum divinæ charitatis ignem ampliùs uſque, ampliúſque in nobis augeto , ut DEUM optimum maximum , in quo totius amabilitatis ſumma eſt , & cui , quidquid eſt amoris , debetur , *ex toto corde , ex tota mente , ex totâ anima , & ex omnibus viribus noſtris* amemus.

Quod si nihilominus tepidior, quàm vellemus, nostra charitas fuerit, tu, ô Domina! quod ibi fervoris desiderabitur, supple: non tuo tantùm nomine, sed nostra etiam servorum tuorum vice illum amans.

11. Superest ad hujus officii complementum, ut supremi Domini causâ eundem affectum, & cultum ad reliquos itèm omnes cælestis regiæ suæ Principes pro rata extendamus. Hi autem sunt primò quidem Angeli, intérque eos specialiter Seraphim, & quibus demandata à DEO est tum nostri, tum locorum, ubi degimus, cura: & secundò homines ab heroica vivendi sanctitate ad illorum gloriæ consortium evecti: sed illi præcipuè, qui amoris divini præstantiâ eminuisse inter cæteros visi sunt, & quibuscum commune habemus seu nomen, seu solùm natale, seu instituti, seu professionis genus, & quorum lypsana religiosè apud nos asservantur, & quibus sacra erat dies, qua in lucem prodivimus, quósque ipsimet nobis Patronos nominatim delegimus. Curandum itaque est, ut erga hosce dulcem quemdam in animo foveamus amoris, obsequiique sensum, tanquam erga intimos DEI familiares, quósque ipse & peculiariter diligit, & diligi itèm, honorarí-

que

que ab omnibus vult, gratias ipsi agentes pro excellentibus donis, quibus eos cumulavit, amicam eorum opem in rebus angustis, dubiisque implorantes: & studentes quoscunque etiam alios ad similem erga illos venerationem inducere. Præter hunc verò communem cultum, peculiaris, & proprius secundo nominatorum loco est, eorum templa, & mortales exuvias crebrò invisere: curare, ut eos in imaginibus suis præsentes domi habeamus: festiva cum gratulatione diem celebrare, quo ad immortalem superûm vitam renati sunt: studiosa lectione libros terere, vel quos ipsi ad spiritualem posterorum institutionem scripsêre, vel quibus præclara eorum gesta, egregiæque continentur virtutes: & has demum identidem respicere, tanquam exemplar sedula imitatione in nos transferendum. Omnia tamen propter DEUM, omnia ut gratam DEO rem faciamus, ut DEUm in servis suis honoremus, útque ad perfectum DEI amorem consequendum amicorum illius patrociniis juvemur.

CAPUT XIII.

Ad perfectum DEI amorem spectare, ut ejus gratiâ universum quoque hominum genus ametur.

QUæ in cælo est lunæ ad solem, ea quoque in animo amoris erga proximos ad amorem divinum responsio. Duo ibi sunt luminaria, sed eadem luce fulgentia, quæ ex altero profluit, & ab altero excipitur. Duóque hìc sunt amores, sed uno, eodémque igne flagrantes, qui alteri innatus, & suomet ab objecto est; alteri peregrinus quodammodo, & foris adveniens. Proprium solis est à se ipso habere suum jubar, & illud idem secundo luminari impertire. Propriúmque amoris divini est per sese in DEUM ferri, rursúmque voluntatem, ut simili amoris motu in proximos feratur, impellere. Jam verò quemadmodum sol alius à se ipso esset, si intrà se tantummodo effulgens, nulla fulgoris sui parte lunam afflaret, neque ullo unquam ævo tam abnorme portentum Astronomia observavit; ut primum videlicet luminare ra-

radiis coruſcum altero interim tenebris ſqualente in cælo emicaret; ſic amor divinus ſua à natura deſciſceret, nisi igne, quo flagrat, alterum quoque in animo proximorũ amorem accenderet: monſtrúmque eſſet nunquam hactenus in faſtis Chriſtianis auditum, DEUM à quopiam intimè amari, & reliquos tamen homines penitùs negligi. Quare Apoſtolorum Princeps Petrus, quoties Chriſtum à ſe amari profeſſus eſt, toties ab eo gregis ſui curam commendari ſibi audiit: (*Joa.* 21.) *Paſce agnos meos. Paſce oves meas.* Tanquam ſi cæleſtis Magiſter ei diceret: bene mereri de meo grege, verax erit documentum amoris, quem erga me jactas. Tunc legitimus poterit credi, cùm talem effectus probaverint. Quamdiu illi abſunt, non nisi inane ſimulacrum, & ficta quædam amoris umbra erit. Quod planiùs etiam, luculentiúſque expreſſit B. Joannes Apoſtolus, manifeſti mendacii arguens, qui DEI amatorem ſe prædicat, minimè interim proximos amans. (*Ep.* 1. *c.* 4.) *Si quis dixerit, quoniam diligo* DEUM, *& oderit fratrem ſuum, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt;* DEUM, *quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à* DEO, *ut, qui diligit* DEUM, *diligat & fratrem ſuum.*

2. Quod

2. Quod si perconteris, undenam consequatur, amandos necessariò esse proximos ei, qui ex toto corde amat DEUM; multas tibi possum, & validas rei hujusce rationes producere. Prima sit multiplex nexus, quo universum in terris hominum genus copulatur cum DEO: tum quatenus vel reipsa, vel secundùm divinæ voluntatis ordinationem omnes sunt Christi, tanquam supremi humanæ reipublicæ capitis membra. Unde D. Augustinus rite infert, non posse hoc caput ab eo amari, qui homines illius membra non amat: (*Tr.* 10. *in Ep. Joa.*) *Si diligis caput, diligis & membra: si autem non diligis membra, nec caput diligis:* tum quatenus ex DEO omnes, tanquam ex communi parente originem ducunt, juxta illud Malachiæ: (*c.* 2.) *Numquid non Pater unus omnium nostrûm? Numquid non DEUS unus creavit nos?* unde licet cum D. Joanne colligere, omnes homines necessariò amandos ei esse, qui DEUM communem eorum Patrem profitetur se amare. (*Ep.* 1. *c.* 5.) *Qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo:* tum quia, si libro Geneseos credimus, quot in mundo homines, tot formatæ à Deo ipso sui imagines sunt: quem ideo parùm amare se ostendit, qui non etiam

ima-

imaginem ejus diligit: veluti parùm se amantem personæ alicujus proderet, qui ab ea sibi relictas sui absentis imagines minimè amaret: quò videtur spectare illud D. Joannis productum paulò ante argumentum: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; DEUM quem non videt, quomodo potest diligere?* tum denique, quia neminem latet, homines à DEO ardentissimè diligi: cujus erga illos charitatem nequit, juxta D. Bernardi argumentum, non communem sibi facere, quisquis perfecto illi amore conjungitur. Nam ut idem rectè ait, (*Serm. 26. in Cant.*) *Qui adhæret DEO, unus spiritus est, & in divinum quemdam totus immutatur affectum, nec potest jam sentire, aut sapere, nisi DEUM, & quod sentit, aut sapit DEUS. DEUS autem charitas est: & quantò quis conjunctior DEO, tantò plenior charitate.* Unde, cùm B. Catharina Genuensis aliquando diceret DEO: Domine, tu amari à me proximos jubes, & ego nihil possum præter te amare; responderi sibi interiùs audivit: *Qui amat me, quidquid itèm amatur à me, amat.* (*In Vita c. 23.*) Denique locum hìc habet illa Angelici Doctoris sententia, (*3. p. qu. 25. a. 6.*) proprium videlicet impensè aliquem amantis esse, ut, quæcunque ad eum pertinent,

nent, chara, & in honore habeat. Quo ex principio & ipse jure colligit, cuilibet, qui beatos Cælites observat, ac diligit, studiosè colendas quascunque illorum reliquias esse; nec minùs nobis justa colligendi ratio est, cùm homines tot nominibus spectent ad Deum, fieri non posse, ut, qui hunc ex toto corde amat, eos quoque non diligat: lineæ instar, ad circuli alicujus centrum tendentis, quæ, ùt Dionysius Areopagita observat, quantò illi fit propior, tantò minore intervallo ab aliis, eodem versùs ductis, lineis sejungitur; & ubi ad illud tandem pervenerit, in unum quid tam cum eo, quàm cum cæteris omnibus ibi collectis, ac inter se permistis lineis coalescit. *In centro omnes circuli lineæ simul existunt; & quantò sunt centro propinquiores, tantò magis inter se copulantur.* (*c. 5. de Div. Nom.*)

3. Et licèt nullo ex hisce nexibus homines copularentur cum DEO, adhuc tamen ob alteram, & majoris quidem efficacitatis rationem, impossibile nobis foret eum verè diligere, nisi unà cum ipso, quidquid in terris hominum est, diligamus. Quis enim fieri posse dixerit, ut DEUM perfectè aliquis diligat, & illius tamen jussis minimè obtempe-

peret? Et si D. Joannem non audiremus dicentem: (*Ep. 1. c. 5.*) *Hæc est charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus*; ipsius certè amoris natura in cordium unitate apprime consistens, sat liquidò ostenderet, quàm pugnantia invicem sint, ex toto corde suum herum diligere, ejusdémque placita, & imperia nihili interim pendere. Atqui nónne apertissima significatione nobis DEUS declaravit, placere sibi admodum, ut mortales universi mutuò se diligant? Imò nónne id omnibus disertè imperavit? Enimvero negare nequimus, quin contradicamus tum Ecclesiastico, quo teste: (17.) *Mandavit unicuique DEUS de proximo suo*; tum B. Joanni, expressioribus adhuc verbis subjicienti: (*Ep. 1. c. 4.*) *Mandatum nos habere à DEO, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*; tum ipsimet DEI Filio, qui dici potest, nîl sæpius, enixiúsque, quàm charitatem erga proximos in Euangeliis suis commendâsse: eò usque, ut eam esse discipulorum suorum characterem, ac notam voluerit: (*Joa. c. 13.*) *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*: ut in ipsa, & charitate erga DEUM totius legis summam posuerit: (*Marc. 12. & Mat. 22.*) *Majus horum mandatum*

tum aliud non est. In his duobus mandatis universa lex pendet: atque illam ipsis, qui sibi exhiberentur, honoribus præhabendam censuerit. Nam & illud nescio cujus scribæ effatum: (*Marc. 12.*) *Diligere proximum, tanquam se ipsum, majus est omnibus holocautomatibus*, pro vero, ac sapiente comprobavit; & præferri suo cultui reconciliationem cum fratre jussit, dicens: (*Mat. 9.*) *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo*; néve morer diutiùs, professus universaliter est: (*Mat. 9.*) *Misericordiam se velle, & non sacrificium.* Si ergo amanti DEUM animæ etiam minima illius voluntatis significatio sufficit, ut, quidquid gratum illi esse agnoscit, sinè ulla cunctatione exequatur; & DEUS toties, támque expressè declaravit, omnino se velle, ut proximos diligamus, quonam pacto fieri poterit, ut hos non amans illum verè amet?

4. Quid? quòd neque sat fuerit Domino, prædictis voluntatibus nos compellere, ut, si ipsum diligimus, omne simul hominũ genus eadem charitate amplectamur; sed huic validissimæ cæteroquin rationi aliã maximi

mi ponderis superaddidit: transferens nimirum sua, ut à nobis ametur, jura in quemcunque ex suis famulis: palámque contestans, quidquid benevolentiæ exhibitum, vel negatum iis fuerit, perinde se habiturum, ac si exhibitum, negatúmve sibi foret. Cunctarísne id mihi credere? En, quibus nequeas non credere, disertissima ipsiusmet apud D. Matthæũ verba: (c. 25.) *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis:* & paulò infrà: *Quamdiu non fecistis uni ex minoribus his, nec mihi fecistis.* Ità sanè, ô fideles mihi animæ! intento in quoscunque mortales digito, ipse ait: si amatis me, hos amate. Si curæ vobis est, aliquid mihi benevolentiæ, officiíque præstare, agedum, his præstate. Ego in unoquoque eorum moraliter sum: quidquid operæ iis navaveritis, non in iis tantummodo hærebit, sed totum in me etiam redundabit; nec secùs à me, minorísque æstimabitur, quàm si mihi nominatim fuisset navatum. O rationem, exclamat hìc B. Cyprianus, qua nihil proferri efficacius poterat, ad summam adversùs proximos charitatis vim, alacritatémque excitandam! (*De Eleem.*) *Quomodo magis potuit Christus justitiæ, ac misericordiæ nostræ operam provo-*

care, quàm quòd præstari dixit sibi, quidquid egenti præstatur? Heus itaque, anima DEI amatrix, quid proprias singulorum ex tuis proximis differentias, & qualitates attendis? Nil necesse est, ut ad eorum amorem inciteris, cujusmodi per se ipsos hic & ille sit observare: cùm possis fidei oculos adhibens, tam in hoc, quàm in illo, & in aliis quibuslibet eundem DEI Filium deprehendere, in unam cum eorum quocunque personam coalitum: adeò ut nequaquam ibi sit *Gentilis, & Judæus, Barbarus, & Scytha, servus, & liber, sed omnia, & in omnibus Christus.* (*Ad Colos. c. 3.*) Dic, quæso te, si certior divinitus fieres, mendiculum illum, qui stipem à te flagitat, vel leprosum, cujus ulcera perhorrescis, aut sodalem, à quo alieniorem animum geris, haud revera esse, quales intuenti apparent, mortales personas, sed ipsummet DEI Filium eorum speciem sumpsisse, & sub illa tibi coram adesse; nónne id compertum habere satìs tibi, supérque esset, ut nihil attendens, quidquid in ipsis minùs ad aspectum grati se objicit, & pro ingenti lucro haberes primi inopiam levare, & pro singulari privilegio alteri deservire, & pro jucundissima occupatione, imò & remissione animi conversari cum

cum tertio? Atqui persuasissimum habe, cùm æterna ipsamet Veritas suo ore id tibi revelet, in unoquoque tum illorum quorumvis hominum, tecum unà in terris versantium eundem DEI Filium morali quadam præsentia existere: qui omnem, cujus debitor illi es, servitutem à te exigat, nec aliter spectet, aut minùs gratum habeat, quidquid in eorum commodum facis; quàm si illud idem in ipsiusmet sui conditoris, atque Domini commodum faceres. Quidni igitur certissima hujus veri fides tibi sufficiat, ut unicuique proximorum, quantumcunque is despicabilis per se ipsum videatur, eam quà dictis, quà factis charitatem, observantiámque exhibeas, quàm illi ipsi præsenti exhiberes: serviens iis omnibus, juxta Apostoli præscriptum: (*Ad Ephes. 6.*) *Sicut Domino, & non hominibus*? Nemo sanè inter servos DEI est, quin suos omnes census, imò & vitam ipsam libentissimè impenderet ad illius felicitatem (si ullo id pacto fieri posset) augendam. Neque alio majori vitio noster erga ipsum amor laborat, quàm quòd omnino infructuosus tanto Domino sit, nullísque unquam suis conatibus valeat vel minimè ipsi partæ utilitatis decus mereri. Sed enimvero, quam-

vis ſummus ille univerſitatis Conditor pro infinita beatitatis ſuæ plenitudine nihil queat in ſe ipſo opis, & fructûs à ſuis ſervis recipere; facultatem nihilominus nobis ſuppeditat, omnia ei aliquo modo beneficia præſtandi, quæ poſſumus in quoſcunque mortales conferre: cùm profiteatur, quidquid ulli hominum emolumenti, auxiliíque impenderimus, id pro ſibi impenſo ſe ducere. Quonam igitur pacto, qui nihil ardentiùs, quàm ſervire, & gratificari DEO cupit, non totis animi, corporíſque viribus ad proximos juvandos incumbit: geſtiens de oblata ſibi opportunitate, præbendi in illis dilecto ſuo Domino ea rerum, ac vitæ ſubſidia, quæ in ſeipſo alioquin nunquam ei poſſet præbere? Enimvero, ſi res probè expendatur, majori cum propenſione, & alacritate nos oporteret proximis propter DEUM, quàm DEO uni diligendo operam dare: quippe cùm amor noſter nullo prorſus hìc pacto, ibi verò aliqua ratione, hoc eſt in eorum, qui ab eo amantur, illiúſque ſunt vicarii, commodus illi eſſe, atque utilis queat. *Nè quis veſtrûm forſitan dicat*, (egregiè in rem meam Auguſtinus) *O beati, qui Chriſtum in domum propriam meruerunt ſuſcipere. Noli dolere, noli mu-*

mu-

murare, quia temporibus natus est, quando jam Dominum non vides in carne. Non tibi abstulit istam dignationem. Cùm uni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. (*Serm. 26. de Verb. Dom.*)

5. Denique, cùm amor, teſte D. Thoma, (*2. 2. qu. 27. a. 2.*) affectus ſit in ſe ipſum, tanquam in ſecundarium ſuum objectum ſe reflectens; quiſquis ex toto corde amat DEUM, fieri non poteſt, quin ſuum quoque hunc amorem DEI amet, illiúſque conſervationem, & incrementa curæ habeat. Jam verò amor divinus bonum eſt cæleſte, neque ullis noſtris conatibus abſque DEI illud largientis benignitate obtinendum: ac proinde, quàm ſoliciti de acquirendo illo ſumus, tam neceſſe eſt, ut divinam nobis conciliare, ac promereri benignitatem curemus. At quo pacto hanc conſequi certiùs, & uberiorem, quàm ſedula erga proximos charitate fas fuerit? *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus.* (*Ad Hebr. c. 13.*) monitum Apoſtoli eſt. Priúſque illo ſcripſerat Salomon, ſtudium juvandi homines genus fœnoris cum DEO eſſe: (*Prov. 15.*) *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*: neque prodeſſe aliis quemquam

posse, quin & sibi unà prosit: (*lb. c. 11.*) *Benefacit animæ suæ vir misericors.* Sed quovis alio disertiùs instrumenti hujus vim JESUS Christus DEI Filius commendat: jam *Beatos misericordes*, prædicans, *quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matt.* 5.) jam ad dandum nos incitans, quò magìs idonei ad accipiendum simus; (*Luc. 6.*) *Date, & dabitur vobis:* jam ex nostra in benemerendo de aliis largitate mensuram largitatis ducens, qua DEUS bene de nobis merebitur. (*Marc. 4.*) *Videte, quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.* Perinde quasi dicat: animadvertite, & suis rite momentis penditote meum hoc effatum. Pro vestro arbitratu DEI erga nos munificentia est. Quales vos in opitulando aliis fueritis, talis & ipse in ope vobis ferenda erit, parcus, si vos parcos, & liberalis, si esse liberales videat. Quapropter, cùm perfectus DEI amor non nisi ex divinæ benignitatis munere obtineri ab hominibus queat, cúmque ad divinam benignitatem erga nos provocandam nihil perinde, ut nostra erga proximos charitas valeat, consequens planè est, ut quanto quivis flagrat, divini in se amoris conservandi, augendique studio, tanto itèm debeat exercendæ er-

erga proximos charitati se impendere: pro indubitatissimo habens, quod Magnus Gregorius scriptum reliquit: *Per amorem DEI amorem proximi gigni, & per amorem proximi DEI amorem nutriri.* (*L. 7. Mor. c. 10.*)

6. En igitur quatuor rationes ex divino amore omnes petitas, quarum vi, quisquis DEUM diligit, ad universos quoque homines diligendos impellitur. Prima, quia hi ad DEUM spectant, tanquam ejus membra, ejus filii, ejus imagines. Secunda, quia Deus & ardentissimè illos diligit, & diligi ab omnibus jubet. Tertia, quia idem pro sibi ipsi impenso habet, quidquid benevolentiæ, officiique iis impenditur. Quarta, quia erga illos amor singulari adjumento est ad proficiendum in amore divino. Neque solùm prædictæ rationes, si DEUM verè amamus, ad proximos quoque amandos necessariò nos urgent; verùm etiam, quo pacto, quámque enixè eos amare debeamus, ostendunt. Ostendit primò titulus iis conveniens membrorum Christi, & Ecclesiæ, ejusdem nempe illius corporis, ad quod & ipsi pertinemus, secundùm illa Apostoli verba; (*Ad Rom. 12.*) *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*: cùm hinc consequatur,

quodvis eorum seu bonum, seu malum eo nobis sentiendum, curandúmque pacto esse, quo videmus tam in nostro, quàm in cujusque animantis corpore, *solicita esse pro invicem membra: &, si quid patitur unum membrum, compati omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudere omnia membra.* (*Vid. ad Cor. 1. c. 12.*) Ostendit quoque alter titulus filiorum DEI, ac proinde fratrum etiam nostrorum. Patet quippe hinc, benevolo nos debere, & prorsus fraterno erga unumquemque eorum animo esse, ità ut nihil illius rerum, atque eventuum à nobis alienum putemus, dicamúsque illi: *Frater noster es, crescas in mille millia.* (*Vid. Genes. c. 24.*) Ostendit tertiò amor, quo DEUS & ipse illos diligit, & diligi ab omnibus jubet; palàm quippe indè fit, non posse nos ipsi placere, nisi eos dilexerimus: quantæque nobis curæ est supremi Domini obsequium, tantæ esse proximorum quoque amorem debere. Ostendit insuper modus, quo idem amari illos præcipit, nempe prout amamus nos ipsos: modus procul dubio quàm latissimè patens, suáque amplitudine utramque illam perfectæ charitatis legem conplectens, quarum altera à seniore Tobia suo filio præscripta, quidnam

nam sit vitandum, declarat his verbis: (*Tob. c. 4.*) *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, nè tu aliquando alteri feceris*; altera à Christo Domino promulgata, quid præstandum sit, subjungit: (*Matt. 7.*) *Omnia*, inquiens, *quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quanquam neque satis visum est Servatori nostro exigere à nobis, ut diligeremus proximum sicut nos ipsos, sed aliam quoque adhuc perfectiorem, latiúsque extensam diligendi illius formam nobis proposuit, suam nempe erga nos charitatem, dicens: (*Joa. 15.*) *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quotus enim quisque non videt, quàm fervens, actuosa, & immensa DEI erga nos charitas fuerit, qualísque, & quanta à nobis erga proximos requiratur, dum ad tam sublime exemplar conformari jubetur? neque minùs idem ostendit mortalis illa unitas, quam DEI Filius cum infimo quoque ex suis famulis professus est sibi intercedere, unicuique eorum communicans suum jus, atque meritum, ut ametur à nobis, nec aliter, quàm alterum se observari illum volens. Quod perinde fuit, ac si dixisset: cavete ulli hominum quidquam facere, quod religioni haberetis mihi feciſſe; &

ea omnia cuilibet amoris officia præstate, quæ divinæ meæ personæ existimaretis deberi. Ostendit postremò mira vis, atque efficacitas, quæ proximorum amori inest, promerendi nobis à DEO divini amoris sui munus. Quemadmodum enim in quærenda hujusce finis perfectione nullum debemus nostris conatibus, & progressibus modum statuere; sic videtur par esse, ut in illius tam necessarii instrumenti usu æquè inexplebiles simus, nullique diligentiæ, nulli studio, & labori parcamus. Quamobrem, si interrogarer, quomodo, & quantùm ab anima DEUM amante amandi homines sint; possum modò dicta in brevem summulam contrahens respondere: amandos esse affectione illius simili, qua quodvis membrum alia amat ejusdem corporis membra: qua germani duo fratres sese invicem complectuntur: qua unusquisque ex naturæ instinct. amat se ipsum: qua Christus nos dilexit, & diligi à nobis meretur: quáque fidelis DEI servus ad exequendam in omnibus illius voluntatem, & amplissimos in amore illius faciendos prog. essus debet conniti.

7. Jam verò definitâ sic universè perfecti erga proximos amoris sphærâ, pronum

sa-

factu erit indè eruere tum actus peculiares, qui illius praxim constituunt, tum conditiones præcipuas, quæ in iis requiruntur. Et quantùm ad primos, possunt commodè in quatuor classes distribui: quarum duæ actus interiores, intellectûs nimirum, ac voluntatis; totidémque aliæ externos, dicta nempe, & facta contineant: generali hac regula singulis addita, quàm particulatim mox explicabimus, ut in nulla scilicet prædictarum classium seu actus quis fiat, perfecto amori minùs conveniens, seu quis omittatur, ad quem idem amor propositarum modò rationum vi incitare animum possit.

8. Exordiendo itaque ab actibus intellectûs, neminem despicatui habere, tacitóque intrà nos judicio condemnare malefacti, aut vitii debemus: sed potiùs quæcunque aliorum facta, atque dicta, nisi manifestè improba sint, meliorem in partem deflectere, vel eorum saltèm culpam, improbitatémque extenuare: contrà verò, quidquid in ullo laude dignum apparet, libenter intueri, & magni facere: unde præclara, & honorifica de omnibus æstimatio in mente consequatur. qua judicandi, sentiendíque benignitate facillimè, & sinè ullo conatu, imò etiam non ad-

advertens uti quisque consuevit adversùs eos, quos impensè amat: prout fieri quotidie à parentibus erga suos liberos cernimus, & prout unusquisque nostrûm experitur à se fieri erga se ipsum: nihil superandum difficultatis reperiens, nullâque præterquam innati erga se amoris arte egens, ut amicus interpres, propitius judex, acer patronus, & liberalis æstimator rerum suarum sit: neque modò sua sibi vitia dissimulet, excusétque, verùm etiam in virtutum speciem subornet, ac decoris nominibus velet. Argumentum evidens, talem quoque adversùs omnes alios futurum, si eorum unumquemque *sicut se ipsum* diligeret: nisi quòd hæc consuetudo etiam turpibus gratiam, decorémque addendi, quæ circa res nostras fraudulenta interpolatio est, respectu aliorum laudabile humanitatis artificium foret, quemadmodum Horatius scripsit: (*Sat.* 3. L. 1.) *Vellem in amicitia sic erraremus, & isti errori nomen virtus posuisset honestum.*

9. Succedunt actus voluntatis, quæ propria amoris est sedes, in qua nullum unquam patiemur subnasci, vel saltèm permanere, malevolentiæ, odiíque sensum erga alios, cujuscunque eorum vitii causâ; sive hoc sit na-

naturale, ùt mentis ſtupor, tetrica indoles, mendoſa corporis ſpecies; ſeu morale, ùt levitas, vafrities, arrogantia, inurbanitas: ſed potiùs, juxta D. Pauli conſilium: (*Ad Coloſ. 3.*) *Induemus nos, ſicut electi DEI, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam* : agnoſcentes in quovis homine, quantumvis per ſe inamabili, ipſammet Chriſti, Servatoris, ac DEI noſtri Perſonam, neque unquam è memoria dimittentes verba illa, quibus toties, támque enixè proximorum nobis amorem commendavit. Hilari proin vultu, & benevolenti animo eos omnes intueamur, tanquam chariſſimos fratres, neque eorum vitia nauſeam, atque indignationem in nobis, ſed piæ potiùs commiſerationis ſenſum, tanquam eorum morbi, ac vulnera excitent: ſimiliter atque noſtra afficere vitia nos ſolent, quæ patienter ferimus, nec ullam animi alienationem à nobis concipimus. Eſto improbus quiſpiam vitâ, & moribus ſit, cavete, inquit Apoſtolus, hoſtis locò illum ducere, ſed medicinam, quaſi domeſtico, facite. (2. *ad Theſſal. c. 3.*) *Nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ùt fratrem.* Ex qua benevolenti, & fraterna erga humanum genus affectione, pium con-

consequi desiderium mox debet, ut mortalium singulis optata quævis bona eveniant, sive interiora, & supernaturalia illa sint, ut tranquillitas animi, spiritualis lætitia, progressio in virtutibus; sive ad vitam præsentem spectantia, ùt bona valetudo, rerum necessariarum affluentia, prosper negotiorum successus, nominis splendor, & dignitas: exultando, quoties alicui simile quidpiam contigerit, non secùs, ac si idem nobismet ipsis contigisset: contráque ægre ferendo, ubi aliquem ex siniſtro quoqiam casu mœrentem viderimus, tanquam si nosmet ipsi eo fuissemus infortunio perculsi. Quod est illud *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus*, commendatum ab Apostolo, & cujus in se ipso exemplar proposuit, scribens Corinthiis: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* (2. c. 11.)

10. Imò & in ipsis proximorum actionibus pravis, sed ad terrena conducentibus lucra ùt cum quis dolo malo dignitatem, vel opes assecutus fuerit, ità improbare illorum nequitiam debemus, ut de emolumento, quod indè percipiunt, lætemur: quatenus ipsis commodum, & utile est, culpæ quidem effectus, sed ab ea omnino distinctus, non

non minùs ſuâpte naturâ innoxius, & amari dignus, quàm ſi ab aliis honeſtis, & inſontibus cauſis productus fuiſſet. Contra quam factitari à nonnullis conſuevit, qui ſinceræ charitatis expertes, invidiáque veriùs, quàm Chriſtianæ diſciplinæ ſtudio incitati plus de terrenis peccantium emolumentis, ac fructibus, quàm de improbitate ipſa ægritudinis capiunt: aut ſi hanc moleſtè ferunt, ex ira id potiùs, impatientiáque faciunt, quàm ex amica commiſeratione, quódque de illa, tanquam de ſpirituali eorum morbo, & calamitate doleant. Qui profectò animadvertere deberent, neque offenſæ divinæ odium juſtas ſibi cauſas præbere, ut averſo à peccantibus animo ſint, eóſque remiſſiùs ament, & minùs de proſperitatibus eorum gaudeant. Id ſiquidem foret *per malitiam eum, qui ſummè bonus eſt, vindicare*: nimirum reſpectu DEI, qui nîl amabilius charitate habet, imò ipſamet charitas, & bonitas eſt, charitatem erga proximos, ac benevolentiam minuere: quemadmodum probè obſervavit Dinoyſius Areopagita, Demophilum Monachum redarguens, qui ad ſuam contra neſcio quem improbum hominem excuſandam inhumanitatem dictitabat: (*Ep.* 8) *Se non ſe ipſum, ſed Deum*

um ultum esse. Neque aliquis hìc reponat, molestè se ferre lætos improborum successus, & adversa se illis potiùs optare, eò quòd indè ansam sumant in pravitate sua permanendi; hinc verò ad meliorem frugem, & saniora consilia excitarentur. Cùm enim & sinè ulla rerum adversarum castigatione per solam divinæ gratiæ interiùs afflantis, moventísque efficacitatem resipiscere à vitiis homines possint; quid necesse est, primum illud asperioris remedii genus adhiberi sontibus velle, cùm altero hoc miti, & paterno curari à DEO queant? Nemo sanè est, qui aliquo animi morbo laborans rerum jacturis, famæ detrimentis, hostium insectationibus, aliísque hujusmodi severis purgationibus expiari ab eo cupiat: sed unusquisque vellet potiùs, ut cælestis Medicus tristibus iis pharmacis, & cauteriis sepositis, leni, nec minùs ideo salutifera interioris sui spiritûs unctione ad curandum se utatur. Quam ergo benignitatem usurpari erga se amat, aliis quoque optet, si eos, juxta perfectæ charitatis regulam diligit velut se ipsum. *Intellige, quæ sunt proximi tui, ex te ipso.* (*Eccles.* 31.) Præterea, quamvìs certò constaret, ad emendationem hujus, vel illius scelerati hominis grave ali-

quod

quod DEI flagellum necessariò requiri, majorísque illius boni ratio suaderet, tale ipsi remedium optare ; nihilominus si medullitus, intiméque, ùt par est, eum diligimus, deberemus id facere non aliter animo affecti, quàm esse quivis pater consuevit, cùm ex medico audiens, conservari aliter filii vitam non posse, patitur ei brachium abscindi. Qui, licèt sectionem talem necessitate coactus probet; videmus tamen, quàm ægre, quantóque cum amoris sensu illam ferat : idoneum nobis præbens exemplum rationis, qua uti debemus, ubi quispiam insanabilis alioqui malitiæ, præsentis vitæ calamitatibus, aque infortuniis, tanquam extremi remedii ope, ad bonam mentem revocari indiget: ità nempe, ut austeram id genus curationem velimus ei quidem, quatenus saluti necessaria est, sed pio simul de eadem, quatenus ægrotanti peracerba est, afficiamur mœrore. Si enim nulla tristitiæ illius pars ad nostrum cor perveniret, argumento utique id esset, nequaquam eum à nobis instar fratris diligi, sed in extranei prorsus numero haberi. Quemadmodum extranei locò ab omnibus diceretur quempiam habere, qui cernens ei brachium pro reliqui totius corporis incolumitate am-

putari; nullo commiserationis sensu prosequeretur infelicis dolores, & gemitus in experimento tam atrocis remedii.

11. Huic porrò tam amicæ erga proximos voluntati, exterior respondere erga eosdem charitas debet, in verbis, ùt diximus, atque factis consistens. Et circa perfectionem primæ illius partis præscribi summatim id potest, ut cum quocunque, & de quocunque hominum sic loquamur, ceu alios nobiscum, déque nobis loqui vellemus. Ad cujus regulæ observationem cavendum primò est, nè in congressu cum quopiam verbis utamur, quæ ingrata accidere illius auribus possint: cujusmodi sunt verba aspera, iracunda, superba, aliquam illius imperfectionem notantia, quæque hominis contemptum, vel parvam illius rerum æstimationem præferant: quemadmodum etiam nè molesti illi simus, sive abrumpendo importunè ejus sermonem, sive nimia loquacitate nullum loquendi locum ei relinquentes, sive de rebus parùm ipsi gratis instituentes sermonem, sive ejus opiniones contentiosè, præfractéque oppugnantes: imò curandum potiùs, ut cum quolibet benignè, suavitérque, & honorificè agamus, illius nos moribus, genióque accom-

commodemus, ad probanda, quæ dicit, faciles simus, jucundam nobis esse, quamvis revera adversa foret, illius consuetudinem, vultûs, & sermonis hilaritate indicemus, sinceram de prosperis illius rebus lætitiam, déque adversis ægritudinem præferamus: talia demum in toto congressu præclaræ æstimationis, fraternæque benevolentiæ illi signa exhibeamus, ut à nostra semper conversatione hilaris, bene erga nos affectus, séque à nobis magni fieri, & amari certus discedat. Nec minùs curæ, atque studii adhibere nos oportet in loquendo de absentibus: ità ut nullius unquam acta, & mores carpamus, nullius vitium, aut crimen, esto præsentibus notum, in eorum memoriam revocemus, neque dicamus quidquam, unde ullius minui honor possit: sed potiùs, ubi alicujus menti incideret, quæ ad commendationem illius faciunt, opportunè in medium proferamus, & justis exornemus præconiis. Quòd si aliquem nobis præsentibus derideri, aut culpari contingat, nullo debemus pacto, quamdiu tuendi hominis locus fuerit, talibus obtrectationibus assentiri, sed illi objecta non secùs, ac si nosmet ipsi de iis argueremur, quibuscunque fas est, rationibus excusare: vel saltèm con-

testari, non posse nos de quoquam indefenso, inauditóque deteriorem ferre sententiam: uti insignis DEI servus Joannes Avila factitabat: solitus, si fortè in familiari sermone absentium aliquem carpi audiret, manu sellam percutere, &, heus, dicere, mensem ei concedamus, quò meditari, & adornare defensionem suam possit: perinde quasi obloquentes admonitos vellet, nefas esse indictâ quemquam causâ damnari. (*In Vita L. 3. c. 9.*) Usui quoque erit pro personarum, ac rerum diversitate, jam commodo flexu aliorsum sermonem traducere; jam alium omnino diversum subitò, abruptéque instituere; jam censorem liberiùs redarguere, jam bonis verbis orare, nè pergat nos molestiâ afficere hominis famæ obtrectando, quîcum arctissima nobis necessitudo intercedit. Paucis: eam animi ægritudinem de infamia, eámque curam præferre de bona cujuscunque absentis æstimatione, & fama debebimus, ut obloctores animadvertant, neminem in terris mortalium existere, qui alio apud nos loco, quàm intimi sodalis, & germani fratris sit: vereantúrque coram nobis de ullo dicere, quæ illo præsente, & audiente minimè auderent: cùm, ubicunque nos adsumus, existimare meritò

pos-

possint, illum etiam revera ibi adesse, si minùs in se, at saltèm in nobis, qui per amicitiæ unitatem *alter ipse*, viva nempe imago, & quædam quasi moralis replicatio illius sumus.

12. Circa actiones verò, quod vitandum in iis est, ad tria ferè capita revocari potest. Primum, nè absque gravi necessitate quidquam operæ, & ministerii, quod nobis quidem commodum, sed præstanti oneroſum sit, ab ullo sive pro potestate exigamus, sive precariò rogemus, sive etiam oblatum sua sponte admittamus. Secundum, ut in quavis re simul cum aliis agenda, cujus circa modum, vel tempus, vel alia adjuncta illorum placitum à nostro dissideat, nisi magni ponderis ratio secùs suaserit, eligamus sociis potiùs, quanquam ætate, & conditionis gradu inferioribus morem gerere, quàm eosdem ad nostram voluntatem perducere. Tertium, nè ullam rem ità agamus, ut ulli præsentium, aut aliorum quidquam indè offensionis, incommodi, aut molestiæ creetur. At quæ geri, præstaríque hìc oportet, tam latè pertinent, quàm quidquid ministeriorum, operum, & laborum ad ullius hominis sive spiritualem, sive externam utilitatem suscipi

potest. Perfecta igitur charitas postulat, ut nullam elabi occasionem patiamur, subveniendi cuilibet nostra ope indigenti, neque ulli rogantium quidquam muneris, auxiliíque renuamus, aut etiam vel minimo temporis spatio cunctemur præstare: imò præ solicita aviditate plures, citiúsque adjuvandi indagemus necessitates, introspiciamus desideria, præcurramúsque inopum postulata: aucupantes undique opportunitatem, & locum bene merendi de omnibus, neque unquam seu parcentes labori, seu succumbentes lassitudini, seu memores quietis, donec quisquam supererit, cui succurrere nostra sedulitas possit. magni Gentium Apostoli exemplo, qui, ùt scribit Joannes Chrysostomus, *quasi universum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in* DEI *regnum festinabat inducere, sanando, docendo, pollicendo, tum orando pro ipsis, tum & ipsis supplicando, aliquando epistolis, aliquando præsentia, nunc sermone, nunc rebus.* (*Hom. 3. de Laud. Pauli.*)

13. Et certè sancti viri tam illustria hoc in genere monumenta edidêre, ut videatur non posse ulteriùs Christiana charitas progredi. Non enim contenti, quotquot in terris homines degerent, quasi totidem sui im-

gi-

gines intueri, omnéſque ſui inſtar diligere; aliam longè excellentiorem, ſibíque chariorem, hoc eſt ipſiuſmet Chriſti perſonam in iiſdem contemplabantur, éque hujus meritis menſuram, & normam ducebant profitendi erga illos amoris. Unde & fiebat, ut ſeſe non rebus tantummodo minùs neceſſariis, ſed & ipſis ſui corporis indumentis exuerent, alienam nuditatem tecturi: ut etiam quotidiano ſe cibo ad ſolandam inopum famem fraudarent: & aliorum libertatem voluntaria ſui mancipatione redimerent: útque leproſos, & alios hujuſmodi horribilibus morbis laborantes nedum infimis quibuſque obſequiis foverent, verùm etiam viſu tetra, & diram mephitim exhalantia eorum ulcera oſcularentur, lingeréntque, & putridam indè ſaniem exugerent. Sed inprimis eximius, propriíque omnis quà commodi, quà incommodi immemor eorum fervor apparuit, quoties de aſſerenda ageretur animarum ſalute: prout luculentam fidem faciunt immanes ærumnæ, extrema pericula, & ſæviſſimæ neces, quibus tum Apoſtoli, tum alii eorum ſucceſſores ſeſe ultro obtulêre: nîl veriti, ad ultimas, totóque diverſas cælo mundi oras ea de cauſa curſum arripere, &

grande arbitrati lucrum, quidquid formidolosi, perpessúque ardui seu medio in itinere à viarum asperitate, & maritimorum casuum vi subeundum foret; sive illò appulsis barbararum gentium immanitas, & tyrannorum in avita superstitione pervicacium minaretur furor, dummodo unum ibi aliquem Tapuinum, vel Iroquiensem, incultum, agrestem, cyclopeæ indolis, & belluæ, quàm homini similiorem, à dæmonum cultu ad Christianam religionem traducerent.

14. Accedamus ad conditiones, quas proximorum charitas, ut omni ex parte si perfecta, in suis actibus modò dictis requirit. Quatuor hæ itidem sunt, respondentes mensuris, unde major, vel minor colligi rerum omnium quantitas solet: nempe altitudo, profundum, latitudo, & prolixitas. Altissimam igitur primò esse virtutem hanc decet. Et talis profectò erit, si caduca quævis præmia despiciens, à DEO uno incitamenta, & causas sumat omnium, quæ vel agit, vel agere omittit: idcirco amans homines, quia DEUM amat, & quia gratum ipsi esse novit, ut homines secum amentur. Qui finis usque adeò perfecti erga homines amoris est proprius, ut illo amoto nequaquam hic cha-

ri-

ritas Theologica esset, nimirum ea charitas, quæ ab Apostolo nuncupatur *plenitudo legis*, (*Ad Rom.* 13.) quámque D. Thomas ejusdem speciei esse docet, cujus ipsemet erga DEUM amor est. (*2. 2. qu. 25. a. 1.*) Procul itaque à nostra erga proximos charitate abeat spes, & cupido humanarum mercedum, putà gloriæ, benevolentiæve, aut mutui suo tempore auxilii, perinde quasi non amplissimum cujusvis operæ pretium foret, rem DEO gratam feciſſe. Quidquid ultra cælestem hunc fructum terreni quæstûs, & lucelli se objiciat, aversari debemus, tanquam nostri labem veriùs, quàm mercedem amoris: non ideo majorem erga illos benevolentiam præferentes, qui grata nobis vice sint responsuri, sed erga illos potiùs, à quibus nihil habemus sperandum, juxta illud Christi consilium: (*Luc. 14.*) *Cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi*: neque unquam seu expostulantes, quòd, quibus benefecimus, ingrato adversùs nos animo sint; seu pristinam minuentes propterea in nos charitatem: sed causam indè potiùs sumentes, eos amandi præ cæteris, tanquam homines, à quibus cogimur, non nisi propter

pter DEUM operari: imò curantes, ut, quos adjuvamus, nequeant, quamvìs vellent nobis gratiam referre: tam occultè nimirum iis ſuccurrendo, ut auxilium quidem ſibi præſtitum ſentiant, ſed authorem ſimul ignorent, cui eſſe grati, séque obſtrictos profiteri debeant. Quantò enim minus præmiorum expectare in operando ab hominibus poſſumus, tantò certiores de ſupernaturali noſtrorum operum dignitate, ac merito ſumus. *Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, licèt plùs vos diligens minùs diligar*, ſcribebat Corinthiis ſuis Paulus. (*Ep. 2. c. 12.*)

15. Non tamen ſatìs eſt ad ſolidam noſtræ charitatis perfectionem hæc finis ſublimitas. Neceſſe præterea eſt benevoli affectûs profunditatem ei ſuperaddere: curando videlicet, ut illius exercitatio ex intimis animi penetralibus prodeat: neque ſolùm quacunque in re poſſumus, operam aliis navemus, verùm etiam promptè, alacriter, *corde magno, & animo volenti* (*L. 2. Mach. c. 1.*) id agamus: tanquam ſi pro nobiſmet ipſis ſuſciperemus, quidquid eorum gratiâ ſtudii, laboriſque ſuſcipimus, noſtra omnis foret, quam

quam iis comparamus, utilitas, eximium ſortis munus exiſtimantes quamcunque occaſionem ſubveniendi aliis: & profitentes (quod à Cyro idololatra cæteroqui Rege factum legimus) (*Xenoph. L. 4. Cyrop.*) conteſtantes, inquam, cuilibet beneficium poſtulanti, plùs nos ipſi pro eo poſtulato debere, quàm ipſe nobis poſſit debere pro accepto. Unde etiam conſequetur, ut nunquam contenti ſimus de muneribus in alios collatis, præ aviditate plura ſemper conferendi, & majora, dicentes cum Apoſtolo: (1. *ad Theſ. c.* 2.) *Volebamus vobis tradere non ſolùm Euangelium, ſed & animas noſtras*: nulláque de re magìs querentes, quàm quòd non pares habeamus voluntati vires: nec pro amplitudine hujus ſubvenire omnibus, omnium calamitates propulſare, omnes lætos reddere, & ad plenum felices poſſimus. Denique veræ beneficentiæ actus non nisì amoris actus ſunt, nec pro amoris actibus cenſeri poſſunt, nisì qui intimo, & dulci quodam ſenſu, tanquam cordis ſucco imbuuntur. Impendamus utique proximorum bono linguam, operam, mentem: ſed hæc omnia, quatenus vivido, & ardenti ſtudio erga illos afficimur. Quò profundiùs hæc radix defixa in animo fuerit, eò locuple-

tior

tior exuberabit illorum germinum, atque fructuum proventus.

16. Tertia conditio, quæ ad perfectionem charitatis requiritur, est latitudo, sinè ullis limitibus ad omne hominum genus, cognatos, extraneos, nobiles, plebejos, venustos, deformes, probos, improbos, ingeniosos, hebetes, literatos, idiotas, urbanos, agrestes, cujuscunque demum notæ, ac meriti sint, extensa, nihílque in eorum ullo æquè ac Christi personam respiciens: adeò ut neque propriæ illorum dotes potissimùm eos diligendi incitamentum sint; neque contrariæ qualitates eos remorentur, ab ullis erga illos exercendis, quicunque memorati paulò antè sunt, charitatis omnimodæ actibus: imò quantò minus in aliquo sensibilis excellentiæ, nativæque amabilitatis apparet, tantò hic ipse defectus eum nobis specialiùs commendet, & nostram erga illum charitatem acriùs extimulet, velut erga hominem, ad quem diligendum unus nos valet DEI respectus, atque amor impellere. Hujus autem tam universalis in amando, & benefaciendo latitudinis illustre, ac perpetuum supremus omnium Pater nobis præbet exemplum, dum indifferenti beneficentia quotidie *solem suum* ori-

oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. (*Matt. c. 5.*) Exemplum à fideli illius servo, & Apostolo Paulo per accuratam imitationem in se ipso repræsentatum; prout declarant tum hæc ipsius verba ad Romanos: (*c. 1.*) *Græcis, & Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum*; tum illa ad Corinthios: (*Ep. 2. c. 11.*) *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Ubi videre est, quàm benevolo amplexu nationum, & personarum omnium diversitatem intra laxissimum charitatis suæ sinum colligeret, quaque communis parentis solicitudine non universas tantummodo Ecclesias, sed unumquodque etiam peculiare illarum membrum curaret, totus per amorem in omnibus, & totus per eundem in singulis vivens.

17. Superest, ut conditionibus jam explicatis, pro necessario, ultimóque charitatis complemento debitam adjiciamus longitudinem, nunquam scilicet desinentem, atque interruptam descripti hactenus amoris perpetuitatem: adeò ut neque ingrati, perversíque aliorum mores, neque varia in nobis subinde humorum naturalium temperies illi-

us

us extinguendi, aut consopiendi vim habeant: sed in quavis rerum, ac temporum diversitate semper idem, sibique constans perduret: secùs atque in nonnullis usuvenit, quos pro diverso seu tempestatum habitu, seu rerum eventu, seu naturæ instinctu videas hodie comes, benignos, affabiles, ad omnem humanitatem factos; cras verò asperos, intractabiles, ac meram bilem, ut dubitare possis, unáne sint, atque eadem persona. Hesterna illa siquidem eorum benignitas, quæ virtutis præseferebat speciem, vix aliud re ipsa erat, quàm illius temporis genius: quo, ut fieri assolet, in contrarium mutato, nil miri est, ipsam quoque simili modo immutari. Nè igitur nostra erga proximos charitas, sic varia, & deficiens, sed prout solidam virtutem decet, perpetua, sibique semper similis, & omnium temporum, atque horarum sit; præter assiduam illius actuum frequentationem, qua nihil est ad virtutes altè in animo defigendas validius, & appositum magis, non parùm contulerit regularum quoque usus, quas hìc subjicio. Prima esto, ut frequenti memoria, & cogitatione repetamus verba illa, quibus DEI Filius hanc nobis virtutem toties, támque impensè commendatam voluit, jam dicens:

cens: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; jam: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem adinvicem habueritis*; jam: *Quamdiu uni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; jam: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; jam: *Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis*; jámque aliis exquisitis loquendi formis demonstrans, quàm illius exercitatio & sibi inprimis arrideat, & nobis ad suam promerendam liberalitatem conducat. Secunda, ut assuescamus nullum à DEO munus nobis seorsum, ac singulariter petere, sed illius petitionem ad universos simul extendere, qui eo indigent, mortales: non minori studio, & instantia illis omnibus, quàm nobismet ipsis idem munus poscentes. Tertia, ut, quoties è nostri conclavis secreto ad hominum conspectum prodimus, universalem quamdam erga humanum omne genus benevolentiam excitare in nobis curemus, & quemlibet obvium amico animo, & vultu quasi fratrem spectantes: ut parati ità simus ad eundem benignè excusandum, & patienter ferendũ, si fortè ab eo aliquid perperam fieri, seu nobis molestiæ afferri contingat. Quarta, ut toto, quo inter alios versamur, tempore con-

conſervemus, quantùm fieri poteſt, tum in animo, tum in extima oris ſpecie hilaritatem propriam hominum, cum capitibus ſibi charis agentium, utpote, quæ mirificè prodeſt ad ſpiritum fraternæ charitatis fovendum: velut è contrario triſtitia, & nimia ſerietas magno eidem impedimento eſſe conſuevit. Placeat Largitori bonorum omnium DEO tam eximium ſui amorem nobis infundere, ut illius vi permoti, quidquid eſt hominum, ſecundùm totam, quæ propoſita hìc eſt, perfectionem diligamus, unica hacce exercitatione implentes ambo illa amoris præcepta, *in quibus univerſa lex pendet.*

CAPUT XIV.

Quàm egregia complures Dei famuli prædictæ adversùs proximos charitatis documenta exhibuerint.

NAtura, & pulchritudo virtutis nullis ità exprimi verbis poteſt; quin per opera luculentius ſui ſpecimen præbeat. Ibi ſimulacrum aliquod ipſius contemplamur; hìc eam ipſam præ-

præsentem habemus. Ibi sola mente, hìc sensibus quoque illam percipimus. Ibi audimus, qualis esse possit, ac debeat, hìc, cujusmodi etiam re ipsa sit, intuemur. Quò igitur charitatis exercitia, in capite præcedenti explicata, & distinctiùs ab intellectu perspiciantur, & efficaciùs voluntatem moveant; non abs re fuerit, in selectis quibusdam illustrium personarum exemplis vivam, sensibilem, omnibúsque absolutam suis numeris illius praxim repræsentare.

2. Incipiamus à subsidiis, alienæ egestati prolixè, affluentérque impertitis. Quod Christianæ misericordiæ officium tunc vulgarem modum egreditur, & ad peculiaris meriti gradum conscendit; cùm non supervacua duntaxat, sed ipsa etiam largienti necessaria erogantur. Atque ità functus eo est magnus Patriarcha Dominicus, dum studiis etiamnum adolescens operam daret: (*Castil. Hist. p. 1. L. 1. c. 5.*) divenditis, anno frugum sterili ad communis inopiæ levamentum non aliis solùm domestici usûs sui rebus, verùm etiam ipsismet libris, quibus cæteroqui nulla est literarum studioso magìs necessaria, chariorque supellex. Ità præclarum Seraphici Ordinis lumen, Nicolaus Factorius, solitus

& ipse in prima adhuc ætate parato sibi à domesticis quotidiano jentaculo puerilem aviditatem fraudare, ut pauperculæ anûs famem indè reficeret. (*Rho. Hist. Virt. L. 4. c. 12.*) Ità celebratus ille à Rudolpho Agricola eremi civis, qui cùm nihil pro suo victu, præter unicum panem haberet, mendico eleemosynam roganti illius partem primò largitus est, móxque aliis succedentibus, quod supererat, paulatim distribuit, sinè ullo ipse remanens ad vitam tolerandam præsenti subsidio. (*Marul. Dict. & Fact. Mem. L. 1. c. 2.*) Ità alter Monachus apud Euagrium, qui non rarò solidos dies transigebat usquequaque jejunus: satis lautè epulatum se existimans, si diurno cœnobii commeatu egenos pavisset. (*Ibid.*) Ità pius ille inter Capucinos rei cibariæ quæsitor, qui manticas emendicato pane onustas domum referens, priusquam eò perveniret, quidquid congestum annonæ erat, pauperibus medio in itinere suam opem implorantibus larga manu dispertiit: acriter quidem à Cœnobiarcha objurgatus, sed approbatorem simul nactus benignitatis suæ DEUM, cujus munere factum est, ut panaria domûs arca omnino pridem vacua recentissimo pane farta appareret. (*Annal. Bovn. a. 1597. n. 9.*)

3. Nec

3. Nec prætereundi sunt in eodem hoc genere seu D. Joannes Eleemosynarius, cui cùm paulò mollior culcitra fuisset dono missa, primam super ea noctem somni prorsus expertem traduxit: assiduè nimirum à sua sibi conscientia exprobrari audiens, quòd commodiùs cubaret suis Dominis: sic enim pauperes appellare consueverat, in quorum subsidia vix primùm die exorto donum illud venundari jussit. (*Marul. ùt sup.*) seu Quintinus Carlartius, & Nunnius Riberus, ex nostra ambo familia, quorum prior, (*Aleg. Vit. Char. an. 1556. c. 2.*) religiosam necdum vitam professus, quandocunque egenorum usus postularet, non linteis, non stragulis, non culcitris, non ipsismet parcebat vestibus: sæpe domum revertens, jam sinè calceis, jam sinè pallio, jam sinè tunica, exuviis scilicet alienæ inopiæ ultro concessis. Alter verò, dum Amboinas Indiæ insulas Apostolico ritu excoleret, nedum quidquid præterea reculatum sibi esset, verùm etiam indumenta sua omnia in Neophytos illius regionis diviserat: una tantùm retenta vili, & detrita lodice, qua cæterarum vestium locò nuditatem suam obtegebat. (*Bart. As. L. 6.*)

4. Adde his Serapionem Abbatem: qui nihil habens pecuniæ, unde obviis duobus mendicis succurreret, alteri pallium, & alteri tunicam donavit: cúmque nudus sedens interrogaretur, à quonam spoliatus ità esset; ab hoc retulit, codicem Euangeliorũ ostendens, qui extra se sibi unus remanserat: tametsi non multò post hunc etiam venumdedit, suo illum lectitandi solatio utilitatem anteferens, quæ proventura aliis ex illius pretio esset. (*Marul. ùt sup. & in Vit. S. Joa. Eleem.*) Adde SS. Carolum Borromeum, & Thomam à Villanova, dum ampliſſimos suos reditus in aliorum usus expendunt, eò inopiæ redactos, ut ille (*Rho sup.*) cibi vilitate, & cubilis duritia mendicos anteiret; hic verò neque lectuli esset Dominus, in quo diem ultimum obiit: utpote quem cuidam egenorum pridem donaverat, neque illo tunc aliter, quàm commodato utebatur. (*Lect. Brev.*) Adde Principum fæminarum par nobile, Joannam Austriacam Caroli Quinti Cæsaris Filiam, & Mariam ex regio Lusitaniæ sanguine Alexandri Farnesii Parmensis Ducis uxorem: quæ eam eleemosynam parvi impendii, ne c magni meriti existimantes, quam ex principalis fortunæ suæ censu erogabant; laboris etc-

etiam proprii quæstu egentibus subvenire satagebant, tractando hunc in finem per plures noctis horas acum: & contentione quidem operis nihilo minùs indefessa, & solicita, quàm vulgares fæminæ faciant ad propriæ levamentum inopiæ. (*Rho. sup.*) Adde Petrum illum Publicanum, qui, ceu in vita D. Joannis Eleemosynarii perhibetur, post suas omnes facultates in egenos profusas, non dubitavit, se ipsum quoque ad extremum vendere, ut etiam libertatis suæ pretio iisdem succurreret.

5, Crescit itèm piarum largitionum decus ratione peculiaris modi, quo fiunt, ut cum liberali animo, parvíque faciente à supplicibus falli, neque de exploranda eorum necessitate solicito, petita tribuuntur subsidia. Qualem animum præsetulit memoratus paulò ante Joannes Eleemosynarius, (*In Vita.*) cùm mendicorum quidam post sex numos ab eo acceptos diverso sub habitu rediit, quasi omnino alter ad ipsius opem denuo implorandam, eundémque ludum adhuc tertiò iteravit. Cùm tamen pius Præsul, quanquam de nebulonis fraude à suis monitus, nedum eandem eleemosynam iterum tribui, sed tertiò duplicari etiã præcepit: subinvito, nec

satis rem probanti administro inquiens: quid si ipsemet Christus Dominus mendici hujus personam ad faciendum charitatis meæ periculum sumpserit? Vel quando plus datur, quàm supplicum pudor ausus sit postulare, ceu factum inprimis à Cardinali Alexandro Montalto accepimus: Principe tam munifico, ut ex rationum libris constet, decies centena aureorum millia esse largitũ: (*Rho. Lib. 4. c. 11.*) ceu, inquam, factum ab eo est, cùm à paupere fœmina per supplicem libellum quinque aureos rogatus, ità petitioni subscripsit, ut numero ibi exarato decupli notam adjiceret. Et quia mulier, cognito quinquagenos sibi aureos in libello concedi, ad eum redierat, errorémque in descriptum argenti numerum irrepsisse dictitabat, utpote decies majorem, quàm quem postulare sibi animus fuerat; quasi hunc emendaturus, alteram decupli notam quinquagenario numero apposuit: tum, heus, inquit, ô bona mulier! nihil jam mendi in syngrapha est. Abi secura, & quidquid tibi pecuniæ juxta illius formulam numerabitur, sinè ullo erroris metu accipe. Quæ ad mensarium Cardinalis se conferens, certiórque ab eo facta, cujusmodi errores sui Domini essent, & qua illos

illos ratione corrigeret, cum quingentis aureis domum rediit, vix præ tantæ liberalitatis admiratione, & lætitia sui compos. Vel quando munus tribuitur, cum submissione, debitum potiùs vectigal solventis, quàm gratuita liberalitate accipientem sibi obligantis. Cujus submissionis illustre specimen dedit Juliana à Cruce ex Discalceatis D. Franciſci Virginibus, non aliter solita, dum apud parentem Ferdinandum Manriquium Osorni comitem etiam tum puella ageret, quàm genibus flexis, humilíque, & venerabundo gestu egentibus stipem porrigere, tanquam si illam non homuncioni cuipiam de trivio, imò neque Angelo, quorum unus aliquando sub mendici specie illi se obtulit, sed ipsimet DEI Filio, & Regi Angelorum porrigeret. (*Id. ib. c. 13.*) Vel quando tam occultè, dissimulantérque indigentibus subvenitur, ut subvenientis persona nemini appareat. Qua misericordiæ tantò illustrioris, quantò obscurioris arte D. Nicolaus Myrensis Antistes usus fertur: (*In Lect. Brev.*) dum periclitanti trium inopum Virginum pudicitiæ consulturus, intempestæ noctis silentio tantum auri per fenestram in earum domum projecit, quantum iis dotandis sufficeret: adeò ut orto

manè provisum sibi affatim cernerent, sed tamen ignaræ, quisnam subsidii esset author, & cui nominatim deberent, nedum gratis vocibus, sed & intima benevoli animi affectione illius vicem rependere. Vel, quando, qui bene meretur, sibi quoque ipsi beneficia sua occultat, negligens eorum rationem subducere, pretiúmque æstimare. Quo in genere prætereundam minimè duxerim Magdalenam Ulloam, trium in Hispania nostri Ordinis Collegiorum munificam Fundatricem, nec non piorum cœtuum, nosocomiorúmque, & omnium, qui inopiâ urgebantur, commune præsidium, (*In Vit. Balt. Alv. c.* 35.) sciscitanti quippe nostro Provinciali, quantum pecuniæ in Collegium Villagarziense expendisset, quò de illius summa certiorem posset Generalem Societatis Præpositum facere; haud planè compertum sibi esse respondit, eò quòd sumptus ibi factos nequaquam curâsset in codicem rationum referri: utpote vectigalia DEO dicata, à quo satis haberet certam eorum summam teneri. Digna, quantùm saltèm ad hoc caput, magnæ illi Melaniæ Romanæ anteferri. Quæ, cùm magnam argenti vim in egenos dispertiendam Abbati Pamboni obtulisset, neque ab eo

eo quidquam reſponſi acciperet, præter jejunum, *DEUS det tibi mercedem*; quaſi admonitura imperitum eremi cultorem de illius muneris pretio, noveris Pater, ſubjecit, non minùs, quàm trecentas libras id argentum colligere: reprehenſa à ſancto ſene, prout ipſamet poſtmodum enarravit his verbis: ſi mihi munus hoc, Filia, donâſſes, eſſet utique, cur de illius pondere me edocendum putares. At cùm DEO illud potiùs conſecratum, impensúmque volueris, certiſſima eſto, numeratas illi omnes, etſi ipſa nîl ſuggeras, non libras duntaxat, ſed & drachmas argenti tui eſſe, ut ſolidum tibi earum centuplum in futura æternitate retribuat. (*Pall. Hiſt. Lauſ. c. 10.*)

6. Largitati erga pauperes ægrotantium ſuccedit cura, ampliſſimus ipſa etiam Chriſtianæ charitatis campus, & in quo complures DEI famuli ſingulari cum laude verſati ſunt: procuranda ſibi ſumentes vel ante mortem putria leproſorum, aliorúmque ejuſdem generis ſemicadaverum corpora: neque ſolùm contrectantes, foventéſque etiam viſu horrida eorum ulcera, verùm etiam ad hæc eadem linguâ, & ore expurganda progreſſi. Talis fuit Ferdinandus Ribera Marchio Tariffæ:

(*Rho. Hist. Virt. L. 1. c. 6.*) qui Panormi, ubi suus parens Siciliæ Proregem agebat, noctu vias percursare unà cum aliis è præcipua nobilitate adolescentibus consueverat, opem ægris laturus, si quos fortè humi projectos, humanáque ope destitutos reperiret. Unde cùm hominem turpi lepra obsitum aliquando ad nosocomium detulisset, intérque abluendos illius pedes gravi se nausea tentari experiretur; tantùm abfuit à pio ministerio propterea intermittendo, ut ad ulciscendas, & generosiùs superandas reluctantis sensûs delicias, aquâ illâ ulcerum sanie infectâ os sibi, faciémque proluerit. Talis dicta nobis paulò superiùs Juliana à Cruce: (*Ibid.*) quæ, cùm anui ex eodem cœnobio tetra, & & deformis caro in oculi angulo sensim succresceret, neque Medici aptius malo remedium, quàm linctum catellæ invenirent; ipsa sibi ultro, quòd catellam ægra formidaret, id officium desumpsit: támque diu obfirmato ad nativi horroris contemptum animo frequentare perrexit; quoad omnem paulatim morbosi illius tumoris materiam, iterum, iterúmque lambendo absumpsisset. Talis ille Monachus, qui ægroti ulcerosi curam gerens, etiamsi ob saniei, & fœtoris vehemen-

mentiam ab illius ministerio valde abhorreret, strenuo tamen virtutis conatu animum vicit: nec modò se avocari passus non est, quin consueta sedulitate homini adesset, verùm etiam abluto studiosè illius vulnere sordidissimâ illius lavacri aquâ ad quotidianum potum uti perseveravit, donec in tam eximiæ charitatis suæ gratiam, DEUS ægro sanitatem restituit. (*Spec. Exempl. Dist. 2. ex. 180.*) Talis Abbas Vingualocus: qui à leproso rogatus, ut nares sibi perpurgaret, miserandum in modum putrefactas, & mordaci tabo scatentes, dexteram illico ad pium officium porrexit. Sed clamante ægro abstineret manum, utpote exacerbaturam sibi suo attactu sensum doloris, síque relevatum se vellet, applicitis potiùs vulneri labiis noxium indè humorem paulatim exugeret, nè id quidem auxilii genus præstare illi renuit: largam protinus à DEO nactus mercedem: locò quippe putredinis gemmam indè miri splendoris eduxit, quíque leprosus modò videbatur, eum sub augusta Christi Domini specie ferri in cælum aspexit. (*Ibid. Dist. 8. Ex. 159.*) Talis magnus ille Indiarum Apostolus, Franciscus Xaverius: qui horrore se affici in aspiciendis, tractandísque ægrorum ulceribus sentiens,

tiens, ut eam naturæ infirmitatem, quam pro charitatis defectu interpretabatur, animi generositate pervinceret; vulneri usitatum præter morem fœdo os admovit, totum pluries linxit, ac quidquid demum purulenti humoris intùs restagnabat, sugendo eduxit: tantam heroico illo actu cum hujusmodi suâpte naturâ invisis objectis consuetudinem, & quasi familiaritatem adeptus, ut teterrima quævis ulcera jucundum ei deinde exhiberent spectaculum, & fastidii locò delectationem solerent afferre. Unde in actis, pro eo Cælitibus annumerando confectis, legitur sæpe accidisse, ut fœdissima ulcera ablueret, immundum, quo abluta fuerant, liquorem ebiberet, ægríque confestim integram charitatis ipsius merito valetudinem recuperarent. (*Mass. in Vit. L. 1. c. 3. & Bart. As. L. 1.*)

7. Quid porrò de reliquis exercendæ charitatis rationibus dicam? Ulláne cogitari earum potest, quin fideles Christi assectæ egregia illius documenta posteritati reliquerint? Exemplo sit, quantùm ad prohibendas etiam cum proprio incommodo aliorum molestias, insignis è nostra Societate Theologus, neque minùs præstans DEI servus, Thomas Sancius: qui ex itinere Almonazaliam appul-

pulsus, paulò pòst, quàm domestici cubitum se receperant; nè ulli eorum nolæ pulsu somnum abrumperet, noctem totam, quamvis de via fessus, séxque, & sexaginta annorum senex ante ostium Collegii insomnem traduxit. (*Rho. Ex. Virt. L. 1. c. 3.*) Exemplo, quantùm ad sibi desumendos proximorum labores, duo itèm nostri Ordinis Sacerdotes, Franciscus Folianus, & Joannes Nunnius Barrettus: hic sedulam adeò captivis in Africa Christianis operam navans, (*Godin. de reb. Abass. L. 2. c. 11.*) ut, si eorum quispiam præsenio, aut virium imbecillitate non posset, nisi ægre, & cum valetudinis offensione, ministeriis defungi, à barbara Dominorum inhumanitate sibi injunctis; ipse ultro miseri pensum, & opus in se reciperet, próque illo non minore cum animi lætitia, quàm corporis labore perageret: ille verò in Collegio Romano tam nullam incommodi sui rationem ducens, dum eo socios levaret; (*In Nostr. Menol. Manuscr.*) ut natum se ad omnibus inserviendum profiteretur: ordinarias idcirco Philosophiæ, Theologiæve prælectiones sua ipse manu pro quocunque scholasticorum scriptitans, qui hac ipsius opera egeret: omnibus negotiis alicujus causâ domo proditu-

turis ſocium ſe offerens : ipſorúmque Laicorum fratrem vicem in abjectiſſimis quibuſque muneribus ſubiens. Exemplo, quantùm ad libertatem aliorum captivitate ſua redimendam, egregii duo Seraplici Ordinis filii, alter diſcalceatus, nomine Franciſcus à S. Maria Magdalena ; (*In Vit. S. Petri de Alc. L. 3. c. 27.*) alter Capuccinus, nempe Joſeph à Leoneſſa : æmuli ambo charitatis, quam D. Paulinus hoc in genere olim exhibuit : niſi quòd DEO pia eorum voluntas ſuffecerit, ac prior, antequam Algerium perveniret, quò deſtinatæ redemptionis causâ properabat, mortalis vitæ curſum abſolvit : alter verò nullis precibus impetrare à barbaro Chriſtiani alterius captivi hero potuit, ut ſe in illius locum, & ſortem reciperet. (*An. Capuc. a. 1612. n. 95.*) Exemplo, quantùm ad majorem alieni, quàm ſui capitis curam, tum Joannes Raſtellus, qui videns Paulum Hoffæum grande in Germania Catholicæ rei columen, graviſſima invaletudine ad extrema deductum, magnis precibus à DEO inſtitit petere, ut ſe vellet illius locò defungi : compos voti ſui factus, ut non multò pòſt & ſubſecuta ipſius mors, & incolumitas Hoffæo reddita declaravit : tum Sanctulus Nurſienſis Eccleſiæ

Præ-

Presbyter, qui, teste D. Gregorio illius familiari, cùm à Longobardis impetrâsset, ut Diaconum apud ipsos captivum, & in certam diem neci destinatum sibi tanquam pro eo vadi custodiendũ traderent: alienæ quàm propriæ studiosior salutis, suadendo, hortandóque amicum induxit, clandestino ut effugio se in tutum reciperet. Quapropter cùm præstituta die nusquam appareret, ductus ipse est, juxta sponsionis fidem, illius locò ad supplicium. Jámque stabat sub lictoris acinace, & quam à fratris captte necem depulerat, servati illius reus, suo ipse excepisset, nî Deus altè sublatam, & jamjam in vulnus descensuram carnificis dexteram immobili stupore constringens, Barbarorum animos à decreto illius cædis ad illius venerationem virtutis impuliſſet. (*L. 3. Dial. c. 37.*)

8. Tales itaque ardoris sui significationes Christiana charitas edidit corporum bono. quis verò illas explicet, quibus flagrantissimum suum prospiciendi animabus studium contestata est: nihil artium, industriarum, conaminum, & laborum omittens, quod ad finem prædictum adjumento esse posset? Vidésne illum Vlyssipone ingenui oris juvenem sordidâ amictum lacernâ, gravibúsque sarcinis

nis ſuccollantem, humerorum labore, ac vecturis onerum quotidianum ſibi victum quæritare? Alphonſus Barrettus eſt, (*Godin. de Reb. Abaſſ. L. 2. c. 3.*) Societatis noſtræ adoleſcens, nîl veritus id vitæ, ac miniſterii genus bona cum Præſidum venia ad tempus profiteri, ut bajulorum vulgus aſſiduè inter eos, tanquam unus eorum vivens, commodiùs Chriſtianæ fidei, & vitæ diſciplinâ erudiret. Vidéſne illum Pariſiis, hybernam noctem inter gelidiſſimi ſtagni undas nudo corpore immerſum traducere? (*Bart. Inſt. L. 1. n. 41.*) Ignatius Loyola eſt, ibi tanquam in inſidiis conſiſtens, impudicum ut juvenem, qui illac tranſire ad effrænem ſuam libidinem explendam ſolebat, novo illo ſui aſpectu, & cæleſtibus intentatis minis à nefaria conſuetudine abſterreat. Vidéſne alium in extremi Orientis oceano viliſſimum remigem corporis cultu, & laboribus miniſterii præferre? Petrus Caſſui eſt, noſtræ Sodalitatis Sacerdos ad ærumnoſum, abjectúmque id vitæ genus plures annos ducendum à charitate ſua impulſus, quò nimirum ità diſſimulatus penetrare in Japoniam poſſet, Eccleſiæque illi graviſſimè laboranti ſuccurrere, nullum licèt impenſæ illi operæ præmium laturus, niſi acer-

acerbissimam necem, quam postremò ab hostibus veræ fidei sustinuit. (*Id. Hist. Jap. L. 5. & in Menol. Manuscr.*)

9. Hæc charitas omnem adeò nostro Michaëli Lætavallio, nedum cujusque alterius sui commodi, sed & necessarii cibi surripiebat memoriam, & curam; ut, cùm aliquando post navatam diutissimè animabus operam invitaretur ad prandium, quo reliqui domesticorum perfuncti jam erant, vultu admirabundo responderit: quid? nónne pransus cum sociis jam sum? (*Rho. Hist. Virt. L. 1. c. 3.*) Hæc fecit, ùt Ursula Benincasa ad sororis Bernardinæ animam piacularibus è flammis vindicandam, quos ea pati dolores meruerat, in se transferri, & instanter à Deo poscceret, & translatas per decennium libentissimè toleraret. (*Ib. c. 4.*) Hæc Thomæ à JEsu, Augustiniano discalceato, gratas adeò Mauricæ captivitatis ærumnas reddidit, ut, licèt non deesset sui redimendi facultas, quamdiu tamen superstes fuit, in iis permanere ultro voluerit, præferens libertati spirituales fructus, quos cæteris captivis suâ præsentiâ afferebat. (*id. Ibid. c. 3.*) Hæc Abbati itidem Serapioni persuasit, ut se ethnicis pluries Dominis in servum venumdaret:

(*Pall. Hist. Lauf. c.* 83.) majorem nempe ità habiturus Christianæ illis fidei insinuandæ, tradendæque opportunitatem. Quid plura? Hæc innumeros ad sua corpora in manifesti mortis discrimen projicienda impulit, quò sempiternam possent aliorum animabus vitam conferre. Qualis fuit (ut domesticis utar exemplis) Joannes Baptista Romanus, qui facto naufragio dum tabulæ adminiculo se sustentat, videns juxta se Hebræum undis jactari, supremum illud laborantis vitæ tutamen sponte homini cessit, adacto tamen priùs polliceretur, subjecturum se frontem, si litus tenuisset incolumis, Christianæ initiationis lavacro : parùm adeò pensi habebat furibundi ipse maris gurgitibus mergi, dum alter renasceretur in undis sacri Baptismatis. (*Rho. suprà.*) Qualis etiam Franciscus Rodericius : qui fracta juxta Vlyssiponensem portum navi, nè navigationis comites, quos e aliis alios mare absorbebat, in extremo illo cardine absque Sacerdotalis absolutionis præsidio desereret, maluit, quoad vita suppeteret, inter morientes eorum lethi consors persistere, quàm cymba, quæ ab amicis offerebatur, præstóque aderat, in litus subduci. (*Id. ib.* Quales demum tot Sodalium nostrorum ce-

turiæ, qui graſſante peſtifera lue dum ea infectos ſupremis Sacramentis, & monitis rite comparare ad vitam immortalem laborant, non minùs hilariter oppetierunt, quàm intrepidè provocaverant mortem.

10. O Charitas! virtus ſanè heroica, & generoſiſſimorum ſpirituum, utpote ex trajecto cruci affixi DEI Filii corde orta, & ſacro ejuſdem cruore lactata. Quantùm ſupra humanos amores tu emines? Quídve non audere animam cogis, quæ plùs ſe ipſa DEUM ſuum amans, ingeminari ab eo ſibi audit: *Si diligis me, paſce oves meas*; ſi mei amans credi optas; talem meos ſervos amando te proba. Quidquid mihi operæ, atque officii debes, in eos totum deprome: ſervito ipſis, quomodo, & quantùm mihi velles ſervire. *Quamdiu feciſti uni ex his minimis meis, mihi feciſti.* Age, flamma cæleſtis, animabus quoque noſtris illabere, & totas divino ardore tuo comple: ut *non quærentes, quæ noſtra ſunt*, ſed juxta perfecti amoris leges, plùs in aliis, quàm in nobiſmet ipſis viventes noſtrum exiſtimemus lucrum, quidquid ulli hominum peperimus boni: tantóque æſtimabiliùs lucrum, quantò illud nobis majori perpeſſionum, ac laborum ſumptu conſtiterit.

CAPUT XV.

Amorem divinum exigere, ut inimicos peculiariter diligamus.

IGnis elementaris nunquam est purior, quàm cùm in materia defæcatiore, & ad se concipiendum magìs apposita ardet. Ita divinus charitatis erga proximos ignis tunc summum obtinet puritatis suæ gradum, cùm circa personas versatur aversæ à sua indole, nullo amabiles merito, nec nisì ad odium excitandum idoneas. Imò has duntaxat materiem esse illius propriam merito dixeris, materiem nempe illam, ubi omnino necessaria ipsius efficacitas est, neque ullus generis adversi amor operandi vim habet. Nam caeteroqui, si agatur de hominibus, qui benevoli erga nos animo sunt, & præclaris quà naturæ, quà morum ornamentis excellunt, cui vis vel terreno amori facillimum est, voluptatem ad eos diligendos impellere. *Nonne & Ethnici hoc faciunt?* (*Matt.* 5.) Imò tam cuilibet à natura insitum, & propè necessarium id est, ut cùm divinæ etiam charitatis fer-

dio

diosi diligere hujusmodi homines debeant, quantumvis laborent, diligendi illos causam ex DEO uno sumere; nunquam tamen extra metum sint, nè in amore tam naturæ consentaneo aliquid hæc loci habeat. Neque difficilius Archimedi fuit deprehendere, solidóne ex auro constaret, an vilioris simul quidpiam metalli intermistum haberet Syracusani illa Regis corona; quàm difficile ipsi experiuntur certò discernere, num eorũ amor divinus omnino sit, an naturali, humanóque affectu permistus. At, ubi amandus proponitur, qui malè de nobis meruit, qui infensum adversùs nos animum gerit, quíque nihil nisi odio, & contemptu dignum in se exhibet, næ nullum hìc natura aditum invenit: tantúmque abest ab inclinanda voluntate erga hujusmodi objecta, ut eam potiùs indè retrahat, & contrarios ad affectus vehementissimè impellat. Quare dubius fors hærere aliquis poterit, veréne, & ex animo inimicum amet. At si de hoc ipsi constet; æquè simul constiterit, non alio se ad eum amandum moveri, quàm supernaturali, & divino, qui unus esse ibi potest, instinctu. Ità sanè: *Tu es patientia mea, Domine,* (*Ps.* 70.) Regius Vates canebat; perinde quasi diceret: si eos,

qui mihi adversantur, patienter fero, imò etiam diligo, tu id mihi, Domine, animi, & voluntatis inspiras. Quocunque aliò me vertam, nihil reperio, nisi causas odii, nisi iræ stimulos, nisi incentiva ultionis. A te uno mea omnis mansuetudo, mea omnis charitas profluit; *Tu es patientia mea, Domine.*

2. Jam verò ad perspiciendum quàm necessariò amor erga inimicos ex amore erga DEUM consequatur, satis foret rationes in memoriam revocare, quibus demonstratum suprà est, cuilibet DEUM verè, & prout par est, diligenti diligendos necessariò esse, quicunque in terris homines vivunt. Cùm enim ab hujus objecti universitate nè ii quidem excludantur, qui ob impia facinora hostes Dei sunt; manifestè cuivis apparet, multò minùs eos excludi debere, qui hostili dicto, aut facto nos læserint. Sed quid opus ad generalia argumenta confugere, cùm præsto sint propria? Etsi nullæ rationes adessent, cur amor divinus universum communiter hominum genus amare nos cogat, non tamen desunt, quibus ab eodem compellimur, inimicos speciatim diligere. Cùm ad horum amorem validissima duo nobis incitamenta, geminum quasi calcar, hinc videlicet DEI præ-

ce-

ceptum, indè ejuſdem exemplum admoveat. Præceptum quidem in iis Chriſti Domini verbis: (*Matt.* 5.) *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*; exemplum verò in his, quæ protinus ſubjiciuntur; *ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*: vel juxta D. Lucam: (*c.6.*) *Et eritis filii Altißimi: quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos, & malos.* Validiſſima, inquam, incitamenta, & tantæ ambo efficacitatis apud hominem, qui plùs ſe ipſo, cunctíſque aliis rebus DEUM amat; ut omnino impoſſibile ei reddant, malè de ſe meritos alio, quàm amici animo, & vultu intueri. Neque enim minùs à ſe invicem diſſident, toto corde quempiam diligere, & nullam interim illi obſequendi, eúmque imitandi curam gerere, quàm ſecum pugnent, ſive amorem exiſtere abſque unitate; ſive unitatem reperiri, ubi contraria ſint animorum ſtudia, & diverſa agendi inſtituta.

3. Atque hinc etiam promptum eſt intelligere, cur DEUS inimicos eodem à nobis pacto, quo cæteros quoſque generatim mortales amari velit, non ſolùm *non reddendo malum*

lum pro malo, verùm etiam *vincendo in bono malum.* Ratio eſt, quia ceu patres communiter gaudent plurimùm expreſſa in liberis, tanquam in ſpiranti quadam imagine intueri ſua decora, eáque inprimis, quæ plus cæteris ornamenti, atque gloriæ ſibi afferunt; ſic DEUS communis omnium noſtrûm Parens nihil habet optatius, quàm nos ſibi ſimillimos, tum in omnibus generatim, tum in illis potiſſimùm ſuis perfectionibus cernere, quæ illuſtrius quoddam divinæ naturæ ſpecimen præferunt, & de quibus peculiari ille modo gloriari conſuevit. Atqui dubitari minimè poteſt, quin harum una, neque illa quidem poſtrema, offenſarum condonatio, & adversùs laceſſentes benignitas ſit, tanquam virtus eorum ſpecialiter propria, quos conditionis ſuæ excelſitas ſupra alienæ injuriæ ictum evexit: & in qua exercenda DEUM præcipuè Omnipotentem agnoſcit Eccleſia orans: *DEUS, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Unde ſanctus Rex David, cùm in animo haberet, benefacere iis, qui ex genere Saulis, infenſiſſimi quondam hoſtis ſui ſupereſſent; benignitatem erga hujuſmodi capita non qualemcunque miſericordiam, ſed miſericordi-

am

am DEI, hoc est non tam hominum, quàm DEI propriam vocavit, (*L. 2. Reg. c. 9.*) *Numquid*, inquiens, *supereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo miſericordiam DEI?* Neque alia Joannis Chryſoſtomi, & Gregorii Niſſeni mens fuit, ſcribente illo: (*Hom. 20. in Matt.*) *Nihil eſſe, quod ſic DEO ſimilem faciat, ùt malignis, & lædentibus eſſe placabilem*: hoc verò teſtante, ſi quis injurias beneficiis rependat; eum (*Or. 5. de Orat. Dom.*) *non ampliùs propemodum intrà humanæ naturæ terminos conſpici, ſed ipſi DEO per virtutem aſſimilari, ut alius eſſe DEUS videatur, dum facit ea, quæ DEI ſolius eſt facere.* Quapropter, cùm cæleſti hominum Patri gratiſſimum ſit filios habere, qui, quantùm fieri poteſt, ad perfectionum ſuarum exemplar reſpondeant; conſentaneum omnino huic voluntati ejus fuit, ut amorem erga inimicos à nobis exigeret, per quem ſcilicet, ceu virtutem apprime divinam quàm maximè propria illius lineamenta exhibemus. Ubi etiam digna obſervatu eſt diverſitas, qua charitatem hinc universè erga proximos, hinc ſpeciatim erga inimicos commendatam voluit. Si enim primã charitatem ſuorũ characterem diſcipulorũ nuncupavit, dicens: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli*

mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; (*Joan.* 13.) alteram quasi certum insigne, & germanam filiorum suorum notam proposuit: *Diligite*, inquiens, *inimicos vestros, &c. & eritis filii Altissimi.* (*Luc.* 6.) Demonstrans hoc pacto, quantùm purè discipulo præstat filius, tantùm communi reliquorum mortalium amori eorum, qui inimici sunt, amorem præstare: occasionémque nobis præbens indè arguendi, quàm longè supra cæteras omnes virtutes hic amor emineat, cùm tanto intervallo ipsimet earum omnium Reginæ, hoc est proximorum charitati seorsum ab eo sumptæ antecellat.

4. Ego sanè fidenter affirmaverim, nullum esse in tota amoris divini, hoc est in tota perfectionis Christianæ sphæra, majoris præstantiæ, ac meriti actum, quàm perinfesti, & capitalis inimici amor sit: ceu nullum esse alium video, qui puriorem, magísque arduum DEI amorem contineat. Nam & tantò perfectiorem esse amorem DEI constat, quantò minus in agendo terrenæ ullius cupiditatis admistum sibi habet, & quantò plus difficultatis in honesti cujusque actûs materia superandum occurrit, tantò enixiori cum virtutis conatu eundem à voluntate exerceri o-

pus

pus est: ceu brachium validiori cum impetu lapidem, quàm plumam nihil sibi obnitentem projicit, *quia quod impellitur, necesse est*, juxta Philosophum, *contraniti ei, unde impellitur:* (*Qu. Mech. qu. 34.*) aut veluti in aqua evenire D. Thomas observat, quæ aliquamdiu calefacta vehementiùs deinde à contraria vi frigoris congelatur: (*1. 2. qu. 48. a. 2.*) *Quasi frigido in calidum vehementiùs agente. Manifestum enim, quod quilibet appetitus, etiam naturalis, fortiùs tendit in id, quod est sibi contrarium, si fuerit præsens.* Quod verò DEI amor in nullo suorum actuum & purior sit, & plus simul difficultatis pervincat, quàm ubi ad hostes diligendos impellit, pronum est cognoscere: universi quippe alii charitatis divinæ actus vel penitùs intrà voluntatem consistunt, neque multum ferè laboris, negotiíque in concipiendis iis est, vel in externi, & ardui suâpte naturâ operis effectionem prodeunt; & quantùm obviæ difficultatis causâ eorum valor crescit, tantum periculi est, nè humanæ indidem provenientis gloriæ illecebris eorundem corrumpatur integritas. At verò infensum sibi hostem amare difficilius sæpe est, quàm vel morti se offerre: prout exempla multorum confirmant, nîl verenti-

um

um in extremi cujuſque casûs aleam ſe dare, dum nè inultas, quibus affecti ſunt, injurias relinquant: & uſque adeò nulla gloriæ dulcedine prædicta difficultas minuitur, ut multò adhuc graviorem eam reddat ſubeundæ infamiæ, ac dedecoris timor. Cùm enim Chriſtiana erga inimicos benignitas ſecundùm naturalem ſuam dignitatem, nempe quatenus à DEO uno agendi cauſas deſumit, intrà hominis conſcientiam retruſa, vulgi oculos penitùs fugiat, ſolet plerumque vitio malignitatis humanæ ab ignaris, & minùs æquè interpretantibus non charitati divinæ, ſed vel imbecillitati virium, vel obtuſæ indoli, ignavóque, & jacenti animo tribui.

5. Quandoquidem igitur neque DEUM verè amare poſſumus, nisi ejus gratiâ inimicos ſimul amemus, neque uſquam alibi certiùs ſe probare, & perfectiùs exercere, quàm hìc, divina charitas poteſt; facturus mihi operæ pretium videor, ſi amoris adeò neceſſarii, atque eximii tum materiam, tum formam paulò diſtinctiùs explanem. Utque à materia ordiar, circa quam ille exercetur, & quæ non alia eſt, nisi inimici; obſervandum rite eſt, prout hi multifariàm queunt dividi, ſic varia, & inter ſe inæqualia eſſe illius

lius genera. Prima inimicorum divisio est in eos, qui merè passivi, quíque activi etiam possunt vocari, ità ut ad priores ii pertineant, à quibus, licèt nihil injuriæ acceperimus, nihilominus vel naturali antipathia, vel alicujus ipsorum vitii causâ abhorremus: pro secundis autem accipiantur, qui aliquid revera damni, aut molestiæ nobis attulerint. Jam verò hæc posterior classis activi generis inimicos complexa, dispertiri rursum potest in eos, qui tales seu materialiter, seu formaliter sunt: nempe in illos, qui nullo nostri odio, sed per imprudentiam, vel rationibus suis consulentes nos læserint; ínque alios, qui deditâ operâ, & malevolo animo id faciunt. Postremò hi ipsi inimici, formaliter nobis infesti, quemadmodum possunt suam erga nos malevolentiam vel antea duntaxat exercuisse, vel integram etiamnum retinere; sic novam, tertiámque classem constituunt, eorum nempe, qui adversùs nos sint, vel solo habitu (ut scholasticè pergam loqui) vel actu etiam malevoli. Et hactenus quidem de materia, ejúsque partibus. Quas si invicem, Lector, componas, advertes, quantò in iis dividendis ulteriùs proceditur, tantò plus difficultatis charitati semper se objicere, majo-

jorémque illius conatum, & præstantiam requiri. Cùm palàm sit, perfectiori charitate opus esse ad tolerandum, diligendúmque hominem, qui in præsens hostili adversùs nos animo est, quàm qui herì tantummodo fuerit, nîl de nobis nunc cogitans: idémque evenire in quocunque alio prædictorum generum cum iis comparato, à quibus in divisione præceditur.

6. Circa verò exercitationis propositæ formam, quæ amor ipse est, ut eam habeamus, quantùm fieri potest, perfectam, suísque omnibus numeris absolutam, sufficiet illius meminisse, quam universali proximorum amori præscripsimus. Cùm enim ex DEI parte non majora adsint incitamenta ad homines universè, quàm ad inimicos diligendos, imò potiùs peculiaria horum respectu, & validiora adsint, dilucidè apparet, non debere eum, qui ex toto corde amat DEUM, ab eóque causas agendi mutuatur, minùs quemquam ex inimicis, quàm alios quosvis homines, prout merè sunt tales, diligere: sed omnibus, quæ erga hos communiter exercenda esse suprà affirmavimus, erga illum pariter fungi, quà interioris, quà externæ charitatis officiis. Esto igitur validissima sint, mi-

mi Lector, quæ ad hujus, vel illius hominis odium incitamenta te urgent : nihil in eo amabile, nihil non aversandam videas: indignissimis quibusque modis te læserit, rebus tuis graviter incommodaverit, maledictis, & probris famam tuam laceraverit, quin & tibi ipsi violentas manus injecerit : neque his contentus, pergat etiamnum simili furore in insontem bacchari, novas moliri injurias, alias, atque alias nocendi artes quærere : sinè ullo profectu tuæ patientiæ, nisi ut majorem indè sumat audaciam, & tuis semper liberiùs tanquam domiti, subactíque insultet cervicibus. Omnibus istiusmodi malevolentiæ, & vindictæ incentivis prævalere apud te debent, quas tibi contrà DEUS suggerit, patienter ferendi, amandíque illius causæ: & in tantum quidem prævalere, ut nulla ratione habita sive illius malefactorum, sive iracundiæ tuo in corde æstuantis, plùs quàm fraternam erga ipsum charitatem concipias, neutiquam satìs existimans, procul à te arcere, quidquid adversum homini est: procul nimirum à mente omnem cogitationem, opinionémque minùs honorificam, procul à voluntate omnem minùs suavem affectum, procul à lingua omne minoris benignitatis verbum,

pro-

procul à vultu omne perturbati, offensíque animi indicium: ſed eò etiam progrediens, ut in præclara, quantùm per piam voluntatem fieri poteſt, æſtimatione illum habeas: ut proſperos quoſque ejus eventus gratulanter excipias, ſiniſtros verò ægre feras, non ſecùs, quàm ſi tua ibi res ageretur: ut nunquam de eo verba, nisì cum honoris ſignificatione, facias: ut quoties ope tua indiget ad hanc ipſi ferendam, & agas, quidquid potes, & plùs etiam velis, quàm potes: ut demum ità in omnibus erga ipſum te geras, ùt ſi ab eo medullitus amareris, plurimíſque, & maximis fores illius beneficiis obſtrictus.

7. Neque tibi in mentem fors veniat, nimium quid à te exigi, dum charitas hujuſmodi exigitur. Jure id quidem cenſeres, ſi amoris cauſæ ducerentur à perſonæ meritis, quæ amanda proponitur. Sed cùm à DEO potiùs, ſanctiſſimóque ejus amore, & ſtudio ipſi placendi ſumantur; quænam juſtior definiri poteſt amandi his de cauſis menſura, quàm nullam nôſſe in amando menſuram? Nimiúſne igitur videri tibi poteſt ullus benevolentiæ ardor erga illos, quos DEI Filius dilexit *uſque ad mortem, mortem autem crucis?* Quibus quidquid officii præſtatur, pro ſibi-

sibimet ipsi præstito se habere testatus est ? Quos demum diligi à nobis vult, prout nos dilecti ab eo sumus ? Næ usque adeò nihil hìc nimium existimari potest, ut potiùs, quidquid summi, extremíque fiat, sit habendum pro parvo. *Charitas Christi urget nos.* (2. *ad Cor. c.* 5.) En stimulus, quo ad amandos inimicos impellimur : en terminus absque ullo termino, quem nobis proponere in iis amandis debemus : effusissima scilicet expleri nescia, nostríque imitandæ illius studiis ulterior DEI adversùs homines charitas. Et consistendum sibi usquam putabit, qui validum adeò calcar infixum lateri habet, quíque immensum adeò curriculum semper sibi explicatum ante oculos videt ? Et satìs se unquam, nedum nimis feciſſe inimicorum bono arbitrabitur, qui meminit, supremum universitatis totius Regem, *cùm adhuc peccatores essemus*, perduelles nimirum, violatæque majestatis rei usque adeò nos amâsse, ut è cæleſti suo solio in imum hunc orbem delapsus, pœnas ultro subire pro criminibus nostris voluerit, quantas nemo latronum, aut parricidarum tulit unquam pro suis ? Quíque ab illo, *propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos*, ignominiosæ cruci affixo, & acer-

bissimos inter dolores jamjam morituro, extremis sibi vocibus inculcari audit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos?* Quasi dicat: facite inimicorum vestrorum gratiâ, quæ videtis me in vestri gratiam fecisse, à quibus infinitæ gravitatis, malitiæque injurias accepi. Diligite malè de vobis meritos, prout illos ego ab hac cruce dilexi, qui verborum, factorúmque contumeliis me affecerant, quales nullo ab hoste vel contigit, vel continget vos pati: quorum tamen, dum barbara immanitate pergerent moribundo insultare, patrocinium coram æterno meo Parente suscepi: illum ipsum pro eorum redemptione sanguinem offerens, quem hostiliter adeò ex omnibus meis venis expressérant, quoque necdum satiari videbatur eorum crudelitas: *Diligite igitur inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos.* Et, si modum, ac mensuram id agendi scire optatis, exemplar utriusque vobis sit mea erga vos amor, mea erga vos beneficentia. Diligite illos, sicut, & quantum dilexi vos; benefacite illis, sicut, & quantum benefeci vobis.

8. Ah! si anima DEUM intimè amans hæc secum reputet, enimvero absumi

vellet in amandis usque ampliùs, & omni genere officiorum fovendis, à quibus indignè læsa est, quò nempe gratificetur magìs dilecto suo Domino, divinámque illius charitatem luculentiùs in se repræsentet. Sæviat, quantùm libet, inquit, hujus vel illius adversùm me furor, graviſſima sint, quæ mihi peperit, rerum damna, fœdiſſimæ, quas meo nomini inuſſit, dedecoris labes; nihil horum tanti apud me est, quanti delectatio, quam æquo illum animo ferens, germanéque diligens, DEO meo possum afferre: delectatio usque adeò mihi singulariter chara, ut & duplo injuriarum sumptu bene emptam crediderim. Quàre tantùm abest, ut hostem eũ existimemus, qui suis malefactis, atque offensis illius mihi subministravit materiam, ut hac de causa inter de me optimè meritos recensere illum queam. Et nisì exercendo contra me odio suæ animæ noceret, vellem illud nunquam deponeret, nè unquam hoc carendum fructu mihi esset. At si charitas erga ipsum vetat, nè prædictum odium retineri ab eo cupiam; charitas erga DEUM incitamento est, ut de ejusdem effectibus gaudeam: de occasione nimirum, quæ mihi ideo præbetur, ipsi magìs placendi. Diligam itaque

meum fautorem veriùs, quàm hoſtem, tum ut Domino id præcipienti obediam, tum ut ipſi aliquam gratiæ vicem erpendam pro ſingulari emolumento, quod mihi malevolentiâ ſuâ peperit. Et quia nîl referre illi poſſum utilius, quàm ſi lethifero malè concepti odii veneno illius animum expiem; nullam eum adjuvandi, & omnibus benevolentiæ officiis proſequendi occaſionem prætermittam: hac etiam de cauſa, ut ſic emollitus in gratiam tandem mecum redeat, & poſt reliqua charitatis meæ munera, ipſam quoque pulcherrimum omnium munus charitatem in ea mihi mutuò reſpondens accipiat.

9. Talis itaque eſt ardor, quo ſi Deum rite diligimus, omnes itèm vel inimiciſſimos nobis homines debemus diligere. Sed quoniam teſte Salomone, (*Eccl. 7.*) *Calumnia* (imò teſte experientia, quævis universè gravior injuria) *conturbat ſapientem*, violentarum tempeſtatem in offenſi animo excitans, quæ ad longum ſæpe tempus tumultuari intùs pergit: adeò ut difficile admodum commoto ad hunc modum homini ſit, intrà neceſſariæ patientiæ cancellos ſe tenere, nedum ad liberas quaſvis gratuitæ charitatis exercitationes alacriter progredi, nec

is hiſce animi perturbationibus, quædam duxi opponenda hìc remedia, partim quidem univerſalia, & contra omnes iracundiæ occaſiones auxilio futura; partim verò peculiarium caſuum propria, & juxta horum diverſitatem jam hæc, jam illa adhibenda. Quibus utriſque ſi quis providè utatur, næ illi non magno negotio fas erit, quaſcunque inter injurias, & erga quodvis inimicorum genus charitatem retinere tranquillam, ſuavem, beneficam, & omnibus ſuis numeris uſquequaque abſolutam. Initium ab illis ducamus, quæ natura antecedunt, univerſalibus nempe, & remotis.

10. Duo præcipua horum ſunt: alterum efficacitatis certiſſimæ, ſed non nisì longo labore, & heroica comparandum virtute, paucorúmque, & perfectiſſimorum hominum proprium; alterum minùs quidem efficax, ſed prompto ad manum cuilibet etiam ſpiritualis vitæ tyroni, qui eo uti velit. Primum eſt Euangelicus mortalium quorumvis bonorum contemptus, imò etiam averſatio, quam penitùs animo impreſſerit tum creber uſus meditandi morum corruptelas, & labes procreare ab iis ſolitas, tum perpetua conſuetudo adversùs innatas eorum cupiditates in o-

mni rerum electione, vitæque actu tendendi. Et, quantùm quidem ad hoc genus remedii, satis in præsenti sit illud solummodo indicâsse. Nam de illo infrà, tanquam de re summi ad vitam spiritualem universam momenti, accuratè, fuséque agam : ostendens, quàm necesse sit, ut, qui amare DEUM vult *ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis*, omni pereuntium bonorum amore se exuat, imò illa insuper tanquam perfectæ charitatis impedimenta aversetur : sempérque ipsorum locò, quæ ipsis contraria sunt, eligat : locò nimirum opulentiæ pauperiem, locò deliciarum ærumnas, locò honoris, gloriæque ignominias, & probra. Cujus ità universalis contra quævis objecta naturæ blandientia odii, quisquis firmum, & stabilem diutina exercitatione sibi usum paraverit; nemini esse dubium potest, quin placidum in quibusque offensis animi statum, perfectámque erga omnes, qui se offenderint, charitatem conservaturus facillimè sit : imò etiam longè omnino abfuturus, ut ullam se offensam accepisse, ullúmque inter homines sibi esse adversarium existimet. Nam neque offensam accipit, & adversarium propriè loquendo habet, qui in nulla re, quam diligat, læ-

læditur; tantúmque à terrenis bonis, quæ sola lædere homines possunt, diligendis, ac in pretio habendis ille abest, ut ea potiùs oderit, fugiátque, & quantùm potest, devitet. Philosophiæ genus profectò humanam omnẽ sapientiam excedens, víxque ab homine, illud nunquam in se experto, possibile in aliis credendum: sed à plurimis nihilominus præstantibus Christi discipulis vivendo expressum: quos admirans orbis terrarrum vidit gratulari sibi, dum suis spoliarentur fortunis, hilari vultu contumelias excipere, próque amicis habere, qui vel in deprimenda sua dignitate, vel in vexando suo corpore adjumento sibi essent. Qualem à D. Gregorio accepimus, Stephanum Abbatem fuisse: (*Hom. 15. in Euang.*) *Qui eum sibi amicum credebat, qui sibi molestiæ aliquid irrogâsset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum; hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud, quàm adjutores existimabat.* Quocirca quantò & nos ampliùs in sancto hoc bonorum præsentium odio proficiemus, tantò majorem indies facultatem arridendi injuriis, earúmque authores diligendi assequemur: quemadmodum contrà, quantò impensiùs nostrum honorem,

noſtras utilitates, noſtra commoda, noſtrorúmque conſiliorũ ſucceſſus amabimus, tantò difficilius nobis erit, ubi aliquem in hujuſmodi rebus adverſarium experiemur, imperturbatam, nihilóque minùs ſuavem, quàm priùs fuerat, retinere adversùs eum charitatem.

11. Secundum antidoti genus non parvo ipſum quoque uſui futurum, & nemini cæteroquin volenti non obvium fuerit, *providere vigore mentis* (ùt ſuadet D. Ambroſius) *quæ futura ſunt, & tanquam ante oculos mentis locare, quid poſſit accidere, & quid agere debeat, ſi ità acciderit, definire. Interdum duo, & tria ſimul volvere animo, quæ conjiciat aut conjuncta, aut ſingula accidere poſſe: & aut ſingulis, aut conjunctis diſponere actus, quos intelligat profuturos*: (*L. 1. de Off. c.* 38.) adeò ut in matutina oratione proſpiciamus animo injurias, quæcunque illo die fieri nobis poſſunt, primò leviores, & ordinarias, quáſque ſpectatis ſeu locis, ubi verſabimur, ſeu perſonis, quibuſcum agemus, ſeu negotiis, quæ adminiſtrabimus, veriſimile eſt nos paſſuros, mox alias gradatim, atque alias: offerentes nos Deo ad hilarem ſingularum tolerantiam: orantéſque illum ſimul, ut ſi non omnes, at aliquam

quam saltèm earum partem, putà has nominatim, vel illas, in quibus nîl culpæ alienæ occurrit, ad patientiæ, & charitatis exercitium inferri nobis permittat: ac definientes postremò qualem in singulis, ubi reipsa fors evenirent, corporis, animíque habitum nos sumere, & gerere oporteat: quibus nempe considérationibus mentem armare, quam in speciem vultum componere, quid agere, quid loqui, & similia. Antidoti genus, dixi, non exiguo usui futurum: quamvìs enim aliud sit provocare hostem, dum longè abest, & aliud cominus arma inferentem fortiter sustinere; fatendum tamen cum D. Gregorio est: (*Hom. 35. in Eu.*) *Minùs jacula ferire, quæ prævidentur: & nos tolerabiliùs mundi mala susciperè, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.* Cùm fortitudo ante dimicandi tempus concepta, nonnihil in animo soleat suæ virtutis relinquere, quo is juvetur ad eandem in præsenti etiam dimicatione instaurandam. Quare idem Divus Pontifex huc traducit illud, *procul odorari bellum*, quod inter generosi equi dotes in sacra Jobi historia recensetur, subjiciens: (*L. 31. Mor. c. 16.*) *Bellum odorari est: adversa quæque longè adhuc posita cogitando prænoscere, nè fortasse valeant improvisa superare.*

re. Malum namque, quod consilio prævenitur, decertanti contra se animo ex ratione subjicitur. Quia tantò quisque minùs adversitate vincitur, quantò contra illam præsciendo paratus invenitur. Valeat ad pleniorem dictorum fidem, quod Francisco Lopio domesticæ rei in nostra familia adjutori evenisse traditur. Præerat hic Montellani Collegii Villæ, in cujus secessum magnus ille etiam divini verbi præco Joannes Avila solebat interdum remittendi tempestivè animi gratiâ divertere. Cùm hic itaque percontatus aliquando ex Lopio esset, magnóque amandi DEI studio flagraret, idque ab eo sibi affirmari audiret; atqui scito, mi Frater, subjecit, tunc revera DEUM à te amatum iri, cùm à rustico villæ hujus servo conviciis, & verberibus malè acceptus, illius petulantiam tacitus feres, imò etiam beneficiis remunerari studebis. Defixit in animo salubre documentum pius frater, nec frustrà. Res enim planè ùt fuerat prædicta, quodam tempore accidit, illatámque à procaci ministro injuriam eâ ipsa patientiâ, & charitate excepit, ad quam sese in antecessum paraverat. (*In Vit. Av. L. 3. c. 12.*)

12. Transeundo jam ad remedia, quæ charitati in hac, vel illa speciatim materia au-

auxilio esse possunt. Primò quidem contra impatientiam, & alienationem animi, ex proximorum seu naturalibus, seu moralibus vitiis excitari solitam, utile fuerit, si vel ea intuearis vitia, tanquam tuorum fratrum calamitates, & morbos, magis propriam videlicet misericordiæ, quàm indignationis materiem; vel animo reputes, neminem mortalium non habere aliquid, unde offensionis causas aliis præbeat: & sicut ille, contra quem stomacharis, suis vitiis molestiam tibi parit; sic neque tua tibi, esto illa minùs advertenti deesse, quæ aliis illa advertentibus gravem, molestúmque te reddant: ac proinde, quemadmodum tu minimè velles, ut ii, quibuscum vivis, te propter labes tuas averſarentur, despicerèntque, sed facili potiùs, humanóque animo ferrent; ità æquum esse, ut neque tu eosdem propter sua morum, naturæque menda, contemptui, & fastidio habeas, sed commiseratione potiùs, ac venia prosequaris: optans quidem, eorum boni respectu, odiosis illis qualitatibus expurgatos videre, sed simul quietis tuæ causâ illos tolerans, quales nunc intueris.

13. Secundò, si offensionis materia damnum aliquod, vel incommodum sit, ab alie-

na

na incogitantia, & ſocordia nobis allatum; licebit tum ex amore voluntatis divinæ, tum ex abjecta noſtri æſtimatione illius lenimenta deſumere. Ex amore quidem voluntatis divinæ intuendo, quod accidit, non veluti ex hominis illius negligentia ortum, ſed merè ùt effectum, quem ſupremi rerum omnium Conditoris, & Domini providentia, majoris noſtri boni reſpectu, ab æterno decrevit. Ex abjecta verò noſtri æſtimatione, dicendo intrà nos ipſos: & cujuſnam ego tanti pretii, ac meriti ſum, ut homines nè minima forsin re mihi incommodent, ſummam omnem expromere diligentiam, & accurationem debeant: cùm ſi mea perpendantur ſcelera, neminem par eſſet de me unquam cogitare, niſi deſpiciendi, & abominandi mei causâ? Qui juſtæ humilitatis ſenſus majorem adhuc vim capiet, ſi miram ſimul attendamus lenitatem, qua DEUS noſtram in ſuo famulatu oſcitantiam, tótque indè provenientes officii defectus tolerat. Hoc enim exemplum coget nos erubeſcere, quòd indignè adeò feramus, ſi quid vel tantillum ſedulitatis, & attentionis omiſſum circa nos fuerit. Perinde quaſi ſolertiori erga nos obſervantia, atque cura deberent uti homines, nihilo nobis naturâ in-

inferiores, quàm erga ſupremum univerſitatis Dominum nos terræ filii, infimíque illius ſervuli utamur.

14. Tertiò, ſi contigeret quempiam utilitatis ſuæ causâ noſtri aliquid contra fas invaſiſſe, vel quocunque damnoſo nobis pacto ſua lucra aucupari; ad lenem conſervandam erga ipſum patientiam nihil utilius factu erit, quàm ut liberalis, generoſæque charitatis actibus eam roboremus: conſiderantes, debere nos juxta hujus placita quoties de externis, neque ad vitam neceſſariis bonis agitur, proximorum utilitatem noſtræ anteferre, ideóque quàm plurimum ejuſmodi bonorum poſſumus, ultro nobis ſubtractum iis impertiri. Quam charitatem poſteaquam universè in animo excitaverimus, facilè nobis erit, plùs lætitiæ de hominis rem noſtram uſurpantis lucro, quàm mœroris, de noſtro detrimento concipere. Imò ſi aliquo tangemur mœrore, unica hujus cauſa erit damnum ſpirituale, quod peccando ſibimet ipſe intulit, non verò temporaria utilitas, quam noſtro impendio acquiſivit: nam ex hac potiùs gaudii, & ſolatii materiam ducemus, ad hunc modum diſſerentes nobiſcum: bene emptum mea hac qualicunque jactura arbitror

tror fratris mei quæstum. Quin si ille, quod malis artibus de mea re occupavit, amicis à me verbis petiisset, nè ad punctum quidem temporis distulissem illius petitioni subscribere. Et verò cur non fecit? Idem sanè absque sua culpa sinceriori cum mea voluptate possideret. Sed quomodocunque visum ei fuerit rem acquirere, pergat porrò eam retinere, me omnino annuente: utpote qui majorem ex ea gaudii fructum capio, dum ab ipso habetur, quàm si etiamnum juris mei esset. Hæc ars subrogandi patientiæ liberalitatem, & gratuitum nostrum munus faciendi injustam alterius rapinam, nemo non videt, quàm miræ efficacitatis sit ad leniendam, & omni suo felle expurgandam injuriam. Quod si neque illâ contenti præ amica voluntate iniqui prædonis adhuc largiùs ditandi, condonationi modò dictæ eorum, quæ abstulit, novum ultro adjiciamus munus ex iis, ad quæ avidas manus nequiit extendere; tunc enimverò benignitas extremum sui specimen daret: tantúmque vis offensæ abesset à minuenda fraterni amoris suavitate, ut ad eam potiùs congeminandam valeret. Hujus porrò inauditæ pridem artis magistrum, eundémque exemplum habemus ipsummet DEI Filium

lium Christum JESUM: nam & hortatus sectatores suos est, (*Mat. c. 5.*) ut volenti tunicam tollere, ultro & pallium dimitterent; neque modò nulla omnipotentiæ suæ vi inimicos repulit, qui eum vitâ spoliare intendebant, verùm etiam facultatem iis, atque vires ad impium suum facinus perpetrandum suffecit. *Cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se iniquè.* (*Petr. Ep. 1. c. 2.*) Imitatores nactus tum alios ex suis fidelibus servis, tum Anachoretam illum: qui, ùt in vitis Patrum refertur, cùm scelerati homines ipsius cellam præsentis, videntísque omnino expilâssent, usque adeò de injusta suarum sarcinularũ rapina nihil illis succensuit, ut paulò pòst animadvertens sacculum supereſſe, quem digressi prædones vel neglectum, vel inobservatum reliquerant; illo in manus arrepto, post eos currere instituit, vociferans: sumite, ô filii! hoc etiam residuum, quod imprudentûm manus effugit, nec nulli vobis usui fors erit. (*Rosw. L. 5. & in Prat. Spir. c. 212.*)

15. Quartò, adversùs injurias, quæ non ex lucri, aut commodi studio, sed ex mera nocendi aviditate oriuntur, cujusmodi sunt exempli gratiâ injustæ conjunctarum nobis per-

personarum cædes, & virulentæ nostri nominis obtrectationes proderit, nè fraterna, & suavis erga eum, à quo læsi sumus, charitas minuatur, in DEI Filium è cruce pendentem oculos figere, qui ceu suos olim hostes ex ea commendavit Patri; ità & nostrum in præsens unicuique ex nobis commendet: ea de illo usurpans verba, quæ Agesilaus Spartanorum Rex pro quodam Nicia ad illius vel inimicum, vel judicem fertur scripsisse: (*Plut. in Ages.*) *Niciam, siquidem non peccavit, dimitte: si peccavit, dimitte mihi: summa, dimitte.* Tanquam si dicat: ignosce isti in mei gratiam, qui tibi toties ignovi. Oblivisce illius culpas, quemadmodum oblivioni ego tuas tradidi. Major mea charitas fuit in te beneficiis ornando, quàm illius malevolentia in lædendo. Plus mihi debes gratiæ, quàm illi vindictæ. Si ille non meretur amari, mereor ego certè exaudiri. *Si peccavit, dimitte mihi.* Proderit quoque in mansuetudinis incitamentum ea ipsa nobis vertere, quæ ad iram, & ultionem maximè stimulant, gravitatem nimirum offensæ, & patientiæ difficultatem: cogitando apud nos, hic locum esse, ubi dignosci palàm poterit, vitreáne, an solido ex adamante nostra sit virtus.

tus. Nimis non decorum modò, ſed & dulce eſſe, heroicæ aliquod fortitudinis ſpecimen dare. Nunquam fortè aliàs occaſionem nobis præbitum iri, DEO tantùm placendi, & certis adeò documentis probandi, quàm eximia illius charitate flagremus. Quibus cogitationibus ad Chriſtianam generoſitatem exercitati dicamus: Eja age, quid morarum, & tergiverſationis hoc eſt? Nunquámne extraordinarii aliquid conabimur? Nunquámne audebimus duri quidpiam, & ardui illato fortiter gradu perrumpere? Satis hucuſque verbis, & promiſſis animoſi fuimus; tempus jam eſt, ùt agendo virtutem comprobemus, & magna minantibus dictis haud inferiora opera adjungamus. *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite, eamus.* (*Joa.* 14.) Proderit demum hìc etiam ad communem proximorum charitatem confugere: animadvertendo, eum, à quo injuſtè læſi ſumus, cùm ex noſtris proximis ſit, debere à nobis amari, ſicut amamus nos ipſos, & ſtudendo communem hujuſmodi amorem erga ipſum concipere: tum reputando ipſius contra nos odium multò ipſi plùs nocere, cujus animum lethali veneno ſuo inficit, quàm nobis, quos

non nisi intrinsecùs lædit. Unde mox consequetur, ut eum instar nostri diligentes plus ægritudinis de graviori ipsius malo, hoc est intestina odii lue, quàm de nostro leviori, externa nimirum offensa capiamus: nec curemus mutuis offensis ulcisci, sed illi potiùs opportunis ad placandos animos beneficiis & obsequiis mederi. Et quamvis contingeret, adeò illum pertinacem in malignitate sua esse, ut nullis observantiæ, amorísque artibus emolliri se sinat; non ideo ab amica illius curatione cessabimus: quin eam potiùs, ceu in contumacioribus morbis medicorum mos est, pergemus usque intensiùs urgere, quoddam instituentes fraternæ benignitatis cum hostili malevolentia certamen: obfirmatíque animis ab eo non desistere prius, quàm experti fuerimus, plúsne ille nos odisse, an nos illum possimus diligere. Certe men profectò pulcherrimum: cujus & consilium nobis suggerit Gentium Doctor, in ad Romanos verbis: (c. 12.) *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*; & exemplum Regius Vates, dum testatur & cum hostibus pacis integram se pacem servâsse: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* (Ps. 119.)

16. Po

16. Postremò, si aliquis in nos etiam præsentes malevolentiæ suæ virus promat, contumelioſissimis quibusque verbis nos onerans: imò etiam violentas nobis manus injiciens; haudquaquam in hoc rerum articulo contenti esse debebimus, patienter duntaxat eum ferre, sed progredi ulteriùs ad gratuitas humilitatis, benevolentiæque significationes, sinè quibus difficillimum id temporis, locíque esset, illæsam in animo retinere fraterni amoris dulcedinem. Quamvis igitur nullam adversario justam præbuerimus causam, ità in nos debacchandi; consultissimum tamen factu erit ad illius pedes accidere, submisséq; veniam precari: contestando non potuisse nos, nisi inscios, offensionis ei ansam dedisse: cùm cæteroqui amicam, reverentiæque plenam de ipso æstimationem in animo semper gesserimus, & nunc, quàm cùm maximè geramus, ac gesturi usque simus. Ubi tamen adverto, hos submissionis, obsequiique actus proficiscí debere ex sincero, ac benevolo placandi hostis studio: non verò, ùt nonnunquã fieri observat Cassianus, (*Coll.* 16. *c.* 20. *&* 22.) ex hypocrisi, vel tacita ultionis voluntate, quò scilicet pudore hinc afficiatur adversarius, & conspectior præ nostra mansuetudine illius acerbitas fiat.

17. Si tamen offensa levioris momenti esset, neque extraordinariis id genus remediis curari egens, utpote quæ nihil sit aliud, quàm dicterium medio in sermone salsè, ac mordaciter contra nos jactum; poterimus tunc vel tacitè subridendo rem transmittere, vel quasi non animadversam dissimulare; vel nos item jocosè aliquid dicere in ea nostri corporis vitia, quæ alter perstrinxerit; vel figurata quapiam locutione offensam, autho-rémque illius exarmare: prout feciſſe olim D. Franciscus Salesius traditur, (*In Vit. L. c. 16.*) cum Hierosolymitano Equite, qui ab eo læsum existimans, post iracundiæ acerbitatem impotentibus verbis, & amarulen-querimoniis egestam, sic denique allocu-eum fuerat: atqui saltèm hanc crucem, i-signe mei ordinis, atque pectoris, te vere-æquum erat. Cui mitissimus Præsul placi-vultu, & sermone: quonam pacto, respon-dit, minor justo erga crucem reverentia o-jici potest, cùm librum de illius veneratio-conscripserim? Denique pro personarum ac rerum varietate diversæ erunt agendi ratio-nes, quas servari à nobis expediet, ubi qu-hujusmodi accideret. Sed cavendum sed-lò est, nè quam in ipso cum adversariis co-gre-

greſſu patientiam, & charitatem illæſam retinuimus, poſt dimicationis aleam corrumpamus, incipientes mox per otium tranſactæ gravitatem injuriæ ſoli apud nos tacitis cogitationibus volutare, pérque ſingula ejus adjuncta accuratiùs expendere, unde interior animi ſtatus violentis irarum æſtibus, & vindictæ acribus incentivis perturbari conſuevit: quæque initio non plùs, quàm fæmineæ acûs punctiuncula videbatur, importunè retractando, & ſcalpendo, chironium penè ulcus evadit. Nè itaque id malè eveniat, inſtituemus nos, quoties præteritæ alicujus injuriæ recordatio animum vellicârit, interiorem fraternæ benevolentiæ actum erga illius authorem concipere: optando exempli gratiâ, omnia illi à DEO ſecunda evenire, & locum nobis præberi, ut aliquo eum afficere beneficio poſſimus: ad hæc honorificè de illo coram omnibus loqui, ínque triviis occurrentem benigno ſemper vultu intueri, neque unquam illius congreſſum, & præſentiam vitare, ſed ultro potiùs exquirere.

CAPUT XVI.

Exempla, in quibus prædictæ exercitationes charitatis erga inimicos luculentiùs apparent.

PRimum inter dotes à D. Paulo charitati attributas locum tenet patientia: tranquillus nempe animi ſtatus in excipiendis citra perturbationem offenſis, & moleſtiis, quas nobis inferri ab aliorum ſeu incuria, ſeu malevolentia contingit. *Charitas patiens eſt:* (1. *ad Cor. c. 13.*) Quò igitur ad virtutem tam neceſſariam enixiori ſtudio incumbamus, præter rationes in illius commendationem jam adductas, novum, nec fortaſſe minùs validum nobis calcar adjungent exempla ſequentia.

2. Et quantùm ad ferenda æquo animo incommoda, quæ ex aliorum negligentia proveniunt, memorabile tum per ſe ipſum, tum authoris ſui reſpectu eſt exemplum Philippo II. Hiſpaniarũ Rege editum. Multum ille noctis vigilaverat, de graviſſimis negotiis ad ſummum Pontificem ſcribens, epiſtolámque jam ad calcem perductam aſtan-

mi-

miniſtro complicandam tradiderat. Cùm hic pro theca arenaria, qua recens atramentum ſiccaret, atramentariam illi proximam per errorem arripiens, & ſupra ſcriptum à Rege folium invertens, totum fœdè inquinavit, confudítque. Gravis inconſiderantiæ culpa erat, etſi adversùs tenuioris fortunæ Dominum fuiſſet commiſſa: gravis labor à Rege ſcribendo exhauſtus, quémque ità ſubitò periiſſe ſibi totum videbat, & redordiri de integro cogebatur, præſertim ſerò jam noctis fatigatus, ſomníque indigens. Neque infelix miniſter, re animadverſa aliud ſibi ominabatur, quàm immanem objurgationum procellam, quàm perpetuum ab aula exilium, quàm extremum totius ſpei, fortunæque ſuæ occaſum. Sed tota perturbatio intrà ipſum ſtetit. Rex quippe immoto prorſus vultu, & æquabili vocis ſono, nihil aliud ei dixit, quàm ut novum ſibi folium porrigeret, reſumptóque calamo, exaratam antè epiſtolam denuo lucubrare eſt aggreſſus: dignus eniin-vero, tam magnam orbis terrarum partem habere ſuo dominio ſubjectam, cùm egregiè adeò dominari ſuo animo ſciret. (*Rho. Hiſt. Virt. L. 7, c. 8.*)

3. Longè infra conditionem Philippi erant noſtri duo Sacerdotes, Georgius Colebrantius, & Hieronymus Platus: ſed tantò illuſtrior in ſimili caſu eorum æquanimitas fuit, quantò graviori jactura non paucarum horarum, ſed plurium ſibi annorum laborem alienâ vecordiâ corruptum viderunt: prior nempe enchiridion ſententiarum, ex Græcis, Latiníſque Scriptoribus diutinâ lectione collectum; alter verò plures libros de Chriſtiani officii perfectione magno ſtudio ad umbilicum jam perductos, & prælo paratos. Cùm enim contigiſſet, eruditas illas utriuſque lucubrationes neſcio cujus imprudentiâ diſcerpi; nemo inter rei conſcios fuit, qui minùs ipſis de tam indigno commoveretur eventu, nemo qui ſereno magìs vultu illum tulerit. (*Id. L. 1. c. 10. & L. 6. c. 3.*)

4. Plùs tamen, quàm damna per incogitantiam illata, præſeferunt injuriæ, vehementiúſque afficere animos ſolent, quæ deditâ operâ, ſcientérque inferuntur. Et hujus generis illud fuit, quod duo Monachi tolerâſſe traduntur à religioſo alio viro, qui periclitandæ causâ eorum virtutis ſalutatum eos venerat. Cùm enim hic ſuſceptus ab iis Angeli inſtar fuiſſet, paulò pòſt in eorum hortu-

lum

lum egressus, cœpit consita ibi olera vibrato quaquaversùm tempestatis in morem baculo decutere: adeò immaniter sæviens, ut nè unum quidem intactum reliquerit. Spectabant hæc Christi famuli, sed perinde quasi ad se nihil pertinerent, nullum seu verbo, seu vultu edidêre cõmoti animi indicium. Quinimò post preces rite absolutas inhumanum illum hortuli sui vastatorem ad cibum capiendum officiosè invitârunt. Qui fortiores re ipsa nactus, quàm famâ celebrari audîsset, temperare sibi non potuit, quin amplissimè iis gratularetur tam eximiam virtutem, & admiratione illius plenus discessit. (*Spec. Ex. Dist.* 2. *Ex.* 26.)

5. Crescit porrò, utì instinctus naturalis ad iram, sic difficultas, & pretium Christianæ mansuetudinis in eo refrænando, cùm offensa gravi quopiam insultu dignitatem, aut personam hominis lædit. Quo in genere multa mihi, & prælara imperturbatæ æquanimitatis exempla se offerunt. Offert se Bartholomæus Martinius ex sacra Minimorum familia, experiri aggressus, plúsne ipse per voluntariam humilitatem se deprimere, an deprimi ab aliis per contumeliam posset: & ità quidem, ut victor è certamine abierit:

ceu Cabræ Marchioni licuit agnoscere, cùm impotenti furore succensus, ob tacta ab eo concionante sua vitia, quidquid probrorum ira suggerebat, in os illi eructâsset, subinde iterans: numquid me nôsti? Ab his siquidem ipsis verbis sumptâ respondendi materiâ: itáne, subjecit, ego te ignorem tam conspicuæ nobilitatis Dynastam, & cujus neque inter famulos admitti mereor, utpote rustici è pago Marmegio hominis filius? Quibus, aliisque in eandem sententiam adjectis sinceræ demissionis vocibus, vir verè *mitis, & humilis corde*, superbi conviciatoris animum emollivit, & vecordi à furore in sui reverentiam convertit. (*Rho. Hist. Virt. L. 7. c. 8.*)

6. Offert se Joannes Fernandus D. Francisci Xaverii in Japonia Socius, cui Christianæ fidei mysteria ad populum explicanti, cùm petulans Ethnicus ludibrii causâ in os expuisset, nullum omnino repentinæ illius, publicæque ignominiæ sensum præsetulit, sed deprompto linteolo impuri nebulonis salivam, ùt de sudore fieri solet, placidè abstergens, institutum sermonem eodem, quo priùs oris, atque vocis tenore pertexuit: tantum hac æquanimitate apud spectatores approbationis nactus, ut eorum unus (quem alii deinceps mul-

multi ex eadem urbe subsecuti sunt) ad Christianam Religionem dignè æstimandam, & suscipiendam indè fuerit permotus. (*Turs. in V. S. Fr. L. 3. c. 6. & Hist. Soc. P. I. L. 11. n.* 104.)

7. Offert se D. Elisabeth Hungariæ Regis filia, quæ post Lantgravii Conjugis obitum lutulentam per viam mulierculæ occurrens, suis olim non paucis beneficiis affectæ, ab eáque violenter propulsa, ità ut medium in lutum præceps devolveretur, sedatè ab humo surrexit, vestibus quidem cœno oblitis, sed animo defæcato, & vultu sereno. (*Marul. Dict. & Fact. Mem. L. 5. c. 2.*)

8. Video Bernardum à Quintavalle, ex primoribus Seraphici Patriarchæ Francisci Sociis, Bononiæ inter omnimoda circumfusi undique propter habitûs novitatem petulantis vulgi ludibria, dum ab hoc in unum, ab illo in alterum latus impellitur; ab his arrepto cinguli fune, ab illis apprehenso cucullo trahitur, hi cœno eum respergunt, illi aliarum sordium jactu incessunt, cuncti demum aliis, atque aliis pro arbitratu suo modis certatim homini illudunt; video illum, inquam, de nullo queri, nulli obsistere, nullius vim declinare, sed tacitum, immotum, tran-

tranquillum, ad quoſcunque inſultus ſe offerre, quævis contumeliarum genera exorbere, quódque de cæleſti ſuo Magiſtro prædictum à Jeremia fuerat, (*Thr. 3.*) *opprobriis*, tanquam diu concupito eſurientis animæ pabulo *ſaturari*, atque expleri. (*Spec. Ex. Diſſ. 7. Ex. 15.*)

9. Video Ægidium Conſalvium, graviſſimæ in noſtro Ordine authoritatis virum, & alium Abbatis Pauli Monachum, improviſo validæ manûs colapho ictos, hunc à ſuo Præſide, dum menſis miniſtraret, illum à vecordi homine, dum per urbem incederet, adeò pacatè, diſſimulantérque, & ſinè ulla oris mutatione illatam vim ferre, ut, qui eos non vidiſſet cædi, minimè ſuſpicari poſſet cæſos fuiſſe. (*Rho. ibid. L. 6. c. 3. Caſian. Coll. 19. c. 1.*)

10. Video alios itèm è noſtris hominibus duos, Jacobum nempe Saraviam, & Franciſcum Villanovam eodem injuriæ genere laceſſitos, non minori virtutis robore eam ferre: nisì quòd nequaquam, ùt modò dicti ſilentio tranſmiſerint offenſam, ſed memorabile illius dederint teſtimonium: prior poſt percuſſorem, qui raptim abibat, currendo, ab eóque, ubi aſſecutus eſt, humillimè veniam

am rogando; posterior verò, cujus bis tentata hoc in genere patientia est, procumbendo in genua ante unum è suis percussoribus, & obvertendo alteri maxillam intactam, ut in eam quoque similiter posset sævire. (*Rho. suprà, & Hist. Soc. P. 2. L. 1. n. 130.*)

11. Video Libertinum illum, jure à D. Gregorio laudatum, cui cùm suus Abbas, præcipitis iracundiæ vir, nescio quid occasionis nactus, scabello os contudisset; tacitus, & sinè ulla læsi animi significatione ab eo in cellam suam abiit: rogatúsque à nonnullis postridie, undenam lividam, tumentémque ità faciem præferret, conatus est, quàm solertissimè poterat, Cœnobiarchæ inhumanitatem tegere; scabellum esse in causa respondens, ad quod suis peccatis agentibus, pridianâ vesperâ os illisisset. (*D. Greg. Dial. L. 1. c. 2.*)

12. Video Dominicum Anadonum, è sacro Prædicatorum Ordine, à Cacodæmone, cui mendaci larvam induto, & stipem flagitanti, jusculi patinam benignè obtulerat, eâ ipsâ patina repentè in ipsius faciem contortâ gravissimè ictum. Qui licèt ex percussionis violentia annis cæteroqui gravis humi corruerit, non tamen animo etiam cecidit: imò

nè

nè tantillùm quidem de Christianæ patientiæ gradu dimoveri potuit, sed placidè tolerans duram sibi adeò, inexpectatámque mercedem pro eleemosyna impertita rependi, superbum hostem humili mansuetudine sua profligavit, & larvâ depositâ abire in fugam coëgit. (*Rho. suprà.*)

13. Video & Franciscum à Lotharingia Ducem Guisium, heroëm non Christiana minùs, quàm bellica præcellentem virtute: quemadmodum vel una testimonio esse potest lenitas animi, ab eo demonstrata erga Calvinianum hominem, qui suismet in castris illius capiti insidias struebat. Cùm enim post deprehensa furiosi latronis consilia hic prædicaret, eorum sibi causam novæ Religionis studium fuisse, cujus propagationi nimiùm quantùm suis armis Guisius obstabat; atqui, ait, magnanimus Princeps, ut palàm omnibus constet, exactiúsne à nobis Catholicis, an à vobis, qui ejus instauratores vos venditatis, Christiana lex observetur; ego quamvis possim æquissimo jure morti te addicere, quòd tu illam contra omne jus mihi inferre tentaveris; quia tamen Euangelium jubet, malefacta beneficiis rependere, satiùs mihi duco, quid ibi suadeatur, quàm quid tu mere-

rearis ſpectare. Hiſque dictis pœnam omnem nefario inſidiatori condonavit, & liberum abire, quò vellet, permiſit. (*Rho. L. 7. c. 8.*)

14. Hi tamen, quorum hactenus mentionem fecimus, quantumcunque egregia manſuetudinis adversùs inimicos documenta ediderint, non nisì obiter, unicóque, vel altero tantùm actu illa edidêre. Haud deſunt, quorum patientia, veluti ad longum oppugnari perrexit, ſic diutina reſiſtendi, vincendíque continuatione admirabiliorem, & magìs heroicam ſeſe exhibuit. Paucos quoſdam ſatìs erit exempli causâ delegiſſe, atque in medium protuliſſe; ab inſigni DEI famulo, Alphonſo Rodericio exordium deſumo. Inter tonſores, quibus Balearicum noſtræ Societatis collegium utebatur, juvenis erat non protervi tantùm, ſed & barbari ingenii: cujus in manus, cùm radenda ſibi eſſet barba, incidere Alphonſus ad tolerantiæ experimentum ſolebat, genas ſemper indè referens ſanguineis novaculæ inciſuris hac illac ſignatas. Neque id propterea, quòd juvenis ſuam artem minùs calleret, ſed quia ludi genus arbitrabatur ſic ſævire, vel experiri cupiebat, num ad impatientiæ aliquod ſignum provocare ho-

hominem posset. Et quamvis mitissimus senex, *tanquam agnus coram tondente se*, omnia tacitus ferret, nec unquam nisi blandum, & comem sese illi exhiberet, nulla tamen mansuetudo cicurare sævam indolem poterat. Quin deterior fiebat indies, suam illam inhumanitatem, joci, & laudis causâ apud socios deprædicans, respondénsque, si à quopiam objurgaretur, Alphonsum doloris sensu carere ad novaculæ ictus. Diu insolens ludus processit: improbus siquidem juvenis, quoties ad Collegium unà cum tonsoribus sociis venit, hos commonebat, nè suum sibi seniculum quisquam præriperet. Et licèt eorum quidam pietatis causâ id facere optarent, nihilominus, cùm Alphonsus ad tonsuræ locum accederet, vel circa domesticos alios occupati jam erant; vel ex alio quo casu suam exequi piam mentem haud poterant, sempérque fiebat, ut ipse sub novaculam ordinarii sui tortoris rediret; sed DEUS tandem modum posuit: cúmque jam satis unius patientiam probâsset, vindicatam quoque alterius petulantiam voluit: permittens, ut vulnerato inter rixam brachio ad tonsoriam porrò artem exercendam inutilis fieret. (*In Vit. c. 9.*)

15. Mi-

15. Mira quoque ob diuturnitatem temporis fuit tolerantia, quam in duriori adhuc experimento sartam tectam retinuit juvenis Monachus, nomine Acatius: Rectorem nactus tam effrænis iracundiæ hominem, ut non contentus quotidianis conviciis insontem alumnum onerare, huic verborum inclementiæ atrociora quoque facta conjungeret, nullum intermittens diem, quin illius jam dorsum, jam caput, jam faciem immaniter cæderet. Sub cujus tamen disciplina invictæ patientiæ juvenis ad novem annos (quot nempe habuit mortalis vitæ reliquos) constantissimè perduravit, non minori cum demissione per totum hoc tempus ei serviens, quàm si emptitium illius esset mancipium. (*Clim. Gr. 4.*)

16. Esto demum præ cæteris omnibus, quæ afferri possent hoc in genere exemplis, incredibilis patientia, atque charitas Seraphicæ Virginis Catharinæ Senensis, in diutina sedulitate curandi, fovendíque duas fæminas, gravissimè laborantes; alteram elephantiasi per totum corpus diffusa, alteram horribili carcinomate pectus erodente, quarúmque sordes, ac fœtorem nemo pati citra nauseam valeret: sed super hæc adeò morosas, intra-

ctabiléſque, & averſi præſertim à Catharina animi, ut quantocunque hæc ſtudio, & conatu illarum ſe obſequiis impenderet, nihil tamen ab ingratis, & faſtidioſis, præter jurgia referret: imò etiam poſterior fœdiſſimis illius pudicitiam calumniis apud omnes infamatum iret. Adeò quippe ob indignam hujuſmodi reſponſionem tepefactus minimè eſt in vera Chriſti Sponſa benignitatis priſtinæ ardor, ut præter aſſiduam, atque indefeſſam iis ſerviendi contentionem non dubitaverit aliquando & pus exorbere, à ſordidiſſimo illo carcinomate expreſſum, quæ infamiam omni carcinomate, & pure ſordidiorem ſuo nomini aſperſerat. (*Caſtigl. Hiſt. L. 2. c. 42.*)

17. Quo facinore non aſſequi tantùm, ſed & ſuperare viſa eſt proditum à Caſſiana Alexandrinæ illius fœminæ exemplum: quæ à D. Athanaſio precata, ut aliquam ſibi ex viduis Eccleſiæ aſſignari juberet, ſuis ſumptibus apud ſe alendam; quòd unam accepiſſet eximia ingenii lenitate, optimiſque moribus præditam, paucis pòſt diebus ad ſanctum Antiſtitem rediit, querens, haud ſatis petitioni & voto ſuo eſſe factum. Nempe aliquam nanciſci illius votum erat, quæ nullam, offi-ciosis verbis, gratique animi ſignificatio-

bus humanam mercedem ſervituti ſuæ retribueret. Neque tardum, magníque laboris fuit, hujus illam voti compotem facere. Aliam ſiquidem prioris locò accepit, diverſis prorſus typis excuſam, iracundam, ſuperbam, contumacem, rixoſam, quæque non modò nullas ei gratias pro impenſis officiis referret, verùm etiam in his aliquid ſemper deſiderandum, culpandúmque inveniret: aſſiduis eam querelis inceſſens, quòd ſeſe in ſuam domum non hoſpitaliter, ſed ſerviliter tractandam duxiſſet: imò heram quoque illius agens, & ubi quid facto opus eſſet, pro poteſtate, & imperio quaſi à famula exigens: neque interdum procacitati ſuæ temperans, quin vel infeſtas ipſi manus injiceret. Quibus ſuis intemperiis id aſſecuta eſt, nè pia mulier aliam ſibi ejus locò viduam ab Antiſtite flagitandam haberet: ſed ei pergeret inſervire, tantò quàm priori libentiùs, quantò uberiorem ab ea ſibi ſuppeditari videbat cæleſtium meritorum materiam, propter ſimul conſpirantia tum ſedulæ charitatis, tum invictæ patientiæ exercitia. (*Coll. 18. c. 14.*)

18. Quia verò nonnulli ſuas ferre facilius injurias ſolent, quàm illatas ſeu capitibus ſibi charis, ſeu cœtibus, quorum ipſi pars

sunt, libet in uno, alteróque exemplo rationem ostendere, tranquillæ, immobilisque patientiæ, inter hujusmodi quoque injurias servandæ. Primum sit manſuetudo, à Jacobo Mirone nostro in Lusitania Provinciali exhibita, cùm concioni interesset, quam bonus Ecclesiastes penè totam nostræ Societati criminationibus contexuerat. Quamvis enim multi Auditorum præ indignæ rei stomacho dilaberentur, non modò usque ad finem perstitit dicenti operam dare, verùm etiam descendenti è suggestu obviàm factus, manú ab eo exosculandam sibi dari suppliciter petiit, porrectámque demississimo osculo veneratus est: vincens ità *in bono malum*, & regioso illo humilis tolerantiæ actu luculentius, quàm elaboratissimis quibusque apologis redarguens conjecta in suum Ordinem crimina. (*Hist. Soc. p.* 1. *L.* 12. *n.* 65.)

19. Alterum exemplum Mutius ille Monachus sufficit, quem jam alibi diximus, una cum filiolo suo ferè octenni ad cœnobium veniſſe. Nam, licèt videret (quod ad paternæ experimentum virtutis de industria fiebat) puerum neglectim haberi, parcè rebus necessariis instrui, etiam ubi nîl culpæ meruit, graviter objurgari, quin & pluries colaphis cæ-

num-

nunquam tamen evenit, ut cernens ærumnas, & audiens ploratus chariſſimi pignoris, aut conquereretur de illa inhumanitate, aut inſontis defenſionem ſuſciperet, aut Abbatem de illo mitiùs tractando rogaret: ſed, quaſi ad ſe nihil ultra pertineret, poſteaquam Deo illum conſecrârat, *rigida ſemper, atque immobilia patris viſcera permanſerunt. Non enim reputabat ſuum filium, quem ſecum pariter obtulerat Chriſto: nec curabat de præſentibus ejus injuriis, ſed potiùs exultabat, quòd eas nequaquam infructuosè tolerari cernebat: parùm cogitans de lacrymis ejus, ſed de propria humilitate, ac perfectione ſolicitus.* (*Caſſ. L. 4. c. 27.*)

20. Parùm tamen perfectæ erga inimicos charitati eſt, lædentibus non iraſci, aut mali quidquam velle, ſed tranquillam in quovis injuriarum genere patientiam ſervare. Primæ huic ſuæ proprietati aliam quoque illam ſuperaddat neceſſe eſt, cujus ſecundo loco Apoſtolus meminit, benignitatem nimirum, quaſcunque offenſas remunerari beneficiis ſtudentem. *Charitas patiens eſt, benigna eſt.* (*1. ad Cor. 13.*) Et talem eam utique ſanctus Alexandriæ Patriarcha Joannes Eleemoſynarius exhibuit, tum mendico, qui pro ſtipe à ſe accepta, contumelioſa ei verba red-

diderat; tum ignobili tabernario, qui nepotem ſuum auſus fuerat jurgiis proſcindere. Nam in primo caſu, præterquam quòd nullum edidit commoti animi ſignum; adſtantium quoque iras in protervum oblocutorem repreſſit: ſuam omnem eſſe culpam affirmans, qui minùs largè, quàm par erat, homini ſubveniſſet, cur æque ideo ſibi futurum, ut eam emendaret: utì illico præſtitit, offerens mendico, quidquid ultra numorum egeſtas ſua poſceret. In altero autem, cùm nepotem ſuum cerneret, tantum ex facta ſibi injuria mœroris concepiſſe, ut præ lacrymis, ac ſingultibus impos loquendi eſſet; ad lenicendam nonnihil illius ægritudinem, principio indigniſſimam enimvero rem fuiſſe, de qua quereretur, dixit, séque id de illa ultionis genus ſumpturum, quod toti Alexandriæ admirationis, & ſermonum materiam præberet. Tum hoc quaſi malagmate vulneri adhibito, poſtquam hujus dolorem remiſſum aliquatenus vidit, paternè adoleſcentem commonuit, nepotis ſui gradu, atque titulo non debere illum uti ad inanis ſuperbiæ, ſed ad Chriſtianæ incitamentum virtutis. Accitóque poſtremùm tabernario certum quoddam debitæ ſibi ab eo annuæ pecuniæ condo-

na

navit vectigal: tam de inexpectato illo munere lætum dimittens, quàm ex injuriæ ſuæ conſcientia trepidus venerat: novóque hoc ultionis genere ampliſſimam toti urbi ſuppeditans admirandi, & plaudendi materiem. (*In Vit. & Marul. Dict. & Fact. Mem. L. 3. c. 3.*)

21. Tale quoque D. Ignatius Loyola illius ſpecimen dedit erga contubernalem, à quo, dum Lutetiæ ſtudiis operam daret, pecunia omni ad neceſſarios vitæ uſus comparata interverſus fuerat: adeò, ut alendi ſui causâ ſtipem deinde, non ſinè gravi ſtudiorum incommodo, cogeretur emendicare. Cùm enim nonnullo poſt tempore in Hiſpaniam rediens, Rhotomagi correptus gravi morbo fuiſſet, ínque ſumma ſolatii, auxiliíque inopia æger decumberet, Ignatius re audita, injuriæ memoriam non nisi pro benefaciendi ſtimulo habens, confeſtim Pariſiis eò curſum arripuit; cupiénſque homini miſero & ante ſuum adventum prodeſſe, pro eo Numini obtulit, quidquid laborum pateretur in illo ferè tridui itinere, quod totum nudis pedibus, nullóque uſus ſeu cibo, ſeu potu confecit. Mox appulſus Rhotomagum, quanquam viribus inediâ, & laſſitudine exhauſtis, ægrum conquiſivit, inventum com-

plexus amiciſſimè eſt, affectum, ſemianimémque ſedulo miniſterio recreavit: útque tandem levatus morbo eſt, corrogato ſolerter viatico, & commendatitiis ad amicos Hiſpaniæ literis inſtructum, in navim impoſuit: quidnam, rogo, amplius erga fratrem germanum, vel erga hominem de ſe optimè meritum, & cui vitam deberet, facturus; quàm erga caput infidum, & univerſi commeatûs ſui fraudatorem fecerit? (*Bart. Inſt. L. 2. n. 39 & Maff. L. 3. c. 4.*)

22. Secundùm quæ nihil jam ſupereſt, niſi hanc, de qua loquimur, benignitatem, vel in ipſamet morte, & erga ipſoſmet interfectores ſuos ab uno ex Ignatii ejuſdem filiis expromptam videre. Emmanuel Fernandius is fuit: quem cùm immanes ſicarii verberibus uſque ad mortem contudiſſent, majorem de immortali eorum vita, quàm de ſua jamjam deficiente curam habuit, ut vocibus intermortuis, & toto, qui ſupererat, ſpiritu ad pœnitentiam eos provocans, nè abite, dixerit, filii: ſed quoniam me necando graviorem multò animabus veſtris, quàm meo corpori intuliſtis perniciem; utimini ocyus remedio, quod certum vobis & præſens perpœnitentiæ Sacramentum ego offero, utpo-

te cui legitima adeſt facultas abſolvendi etiam hujus facinoris reos. Sic ille: & poſteaquam Sacerdotali abſolutione unum ex iis expiâſſet, quem tantæ charitatis ardor ad deteſtanda ſua crimina, & eorum veniam rite expoſcendam impulerat; lætiſſimus obiit, quòd animæ vitam ei reddidiſſet, qui corporis ſibi mortem attulerat. (*Rho. Ex. Virt. L. 1. c. 3.*)

CAPUT XVII.

Eſſe aliquem hominis erga ſe amorem rectum, quémque perfectus DEI amor non excludat, imò veriùs præſcribat.

LEx naturæ nihil aliud, quàm ſuprema ratio, & voluntas DEI eſt: qui ſicut hominem condidit, ſic certa quædam jura, tanquam prima totius æquitatis, & rectè vivendi elementa illius animo inſculpſit. Jam verò inter leges naturæ nulla eſt vulgò notior, quàm quæ jubet unumquemque à ſe diligi: adeò ut nemo unquam vel in extrema, incultiſſimáque barbarie repertus ſit, qui eam ignoraverit, aut vel minimam de illius æquitate dubi-

tationem admiserit. Neque solùm hoc illa peculiaris evidentiæ privilegio inter cæteras fruitur, verùm etiam, cùm nulla sit, quæ non à plurimis quotidie violetur; hæc adeò cum uniuscujusque propensionibus congruit, adeóque difficiliùs est illi absolutè refragari, quàm obsequi, ut nedum ab omni retro mundi antiquitate sarta tecta in hunc usque diem illius observatio permanserit; sed, quantumcunque etiam futura producatur æternitas, nullum adventurum sit tempus, quo non æquè integra perseveret. Et *priùs*, teste Cicerone, *poterit à se quisque discedere, quàm appetitum earum rerum, quæ sibi conducant, amittere.* (*L. 5. de Fin.*)

2. Dubitari ergo nequit, quin lex tam antiqua, tam constans, támque unanimi totius generis humani consensu probata, à DEO promanaverit. Neque obstat, quòd nulla in sacrarum Literarum monumentis ejus fiat mentio. Nam primò hoc ipsum argumento est, adeò per se notam illius æquitatem esse, ut nulla confirmari diserta, expressáque sanctione indigeat. *Fuit dandum hominibus præceptum de dilectione DEI, & proximi*, scribit Doctor Angelicus, *quia quantùm ad hoc lex naturalis obscurata erat propter peccatum: non*

verò quantùm ad dilectionem sui ipsius: quia quantùm ad hoc Lex naturalis vigebat. (1. 2. *qu.* 100. *a.* 5. *ad* 1.) Adde cum S. Augustino, quòd amor sui ipsius accipi potest, vel prout tendit in bonum suum, generaliter sumptum; cúmque quà talis necessarius cuilibet sit, supervacuum fuisset eum præcipi; vel prout in certa quædam fertur sua bona, vera scilicet potiùs, quàm falsa; & quatenus talis, sat continetur in præcepto amandi DEUM, qui verum est, atque summum hominis bonum. (*De Doctr. Chr. L.* 1. *c.* 24.) *Modus ergo diligendi præcipiendus est homini, id est, quomodo se diligat, ut prosit sibi. Quin autem se diligat, & prodesse sibi velit, dubitare dementis est.* Postremò negat idem sanctus Doctor nullam in lege scripta mentionem fieri de amore hominis erga se ipsum. Cùm enim ea jubeat, diligi ab unoquoque proximum, *sicut se ipsum*; sat perspicuè declarat, diligendum unicuique esse etiam se ipsum. (*lb. c.* 25.) *Sed, cùm dictum est, diliges proximum tuum sicut te ipsum; simul & tui abs te dilectio non prætermissa est.* Neque itèm nostræ huic doctrinæ adversantur sive illæ Christi Domini voces: (*Luc.* 14.) *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c. adhuc autem & animam suam,*

non

non poteſt meus eſſe diſcipulus; ſive unanimis ſacrorum Doctorum conſenſus, in proprio ſui amore accuſando, tanquam omnium malorum, & humanæ totius cauſa nequitiæ. Reſpondetur ſiquidem, odium ſui à Chriſto commendatum nihil eſſe aliud, nisi illius ſtudium virtuis, quæ à vitæ ſpiritualis magiſtris mortificatio appellatur, maximéque, ſi ſecundùm exteriores tantummodo actus ſpectetur, odii ſimilitudinem præfert: cùm illam exercentes eadem, quanquam ſinè ullo interiore ſui odio, imò ex puro ſui amore, adversùm ſe, & cupiditates ſuas agant, quæ adversùs alium agere ſolent, qui vero, intimóque illius odio incitantur. Atque hunc eſſe illius vocis legitimum ſenſum, manifeſtè colligitur ex præſcripto ibidem, non ſui duntaxat, ſed & ſuorum parentum odio: quos tamen nemo dixerit odio eſſe à nobis habendos, nisi metaphoricè, & ſecundùm modò dictam in exteriorum actuum materiâ ſimilitudinem: quatenus ſcilicet, ſi fortè à divino famulatu nos conentur abducere; debemus, tametſi integrum in animo eorum retinentes amorem, perinde extrinſecùs cum iis agere, nempe illorum conſortium fugere, ſtudiiſque, & voluntatibus refragari, ac ſi eos

ve-

verè, propriéque odissemus. Quod verò ad sacrorum Doctorum severitatem spectat, in proprio sui amore damnando, nihil moror eorum sententiis subscribere, si amor proprius accipiatur, quemadmodum vulgò accipi solet, non pro quocunque sui amore, sed pro illo duntaxat, per quem homo in se ipso, tanquam in suo fine consistit, sui unius causâ, & sinè ullo DEI respectu se amans; cùm amor sui DEUM quasi suam normam, suúmque ultimum finem respiciens, neutiquam proprius, sed divinus sui amor mereatur vocari. Quamobrem D. Thomas non cuivis promiscuè, sed perverso duntaxat erga se amori, quidquid scelerum ab hominibus patratur, adscribendum putavit: *Manifestum*, inquiens, *quod inordinatus amor sui causa est omnis peccati.* (2. 2. *qu.* 77. *a.* 4.) Platonem secutus, qui idem senserat, & tantùm non iisdem verbis affirmârat, dum scripsit: *Sed revera nimius in se ipsum amor omnium peccatorum omnibus semper est causa.* (L. 5. *de Leg.*)

3. Cùm igitur constet, posse hominem diversis duobus modis, recto nempe, & pravo se ipsum amare; superest quantùm ad geminos hosce amores primùm statuere, in quo posita unius bonitas, & alterius pravitas sit; tum

tum post rite explicatam utriusque naturam adhibere cum ipsis eam regiminis diversitatem, quam Plato cum diversis duobus suis Auditoribus, Xenocrate nimirum, & Aristotele necessariam sibi esse dicebat: (*Laërt. in Vit. Arist.*) id est, calcar cum uno, & frænum cum altero. Verùm de secundi vitiosi, & præposteri amoris coërcitione multa mihi erunt in capitibus deinceps secuturis dicenda. Nunc de primo verba facere aggrediens, dico cum D. Thoma: tunc amorem sui esse rectum, cùm se ipsum quis amat *propter DEUM, & in rebus bonis*: (2. 2. *qu.* 44. *a.* 7.) quando nimirum & illa sibi appetit bona, per quæ ad DEUM suum ultimum finem meliùs refertur, & illa ipsa non tam sui, quàm DEI respectu sibi appetit. Quæ ut planiora intellectu fiant, opportunum videtur juxta duas partes, unde homo constat, duos ejusdem erga se ipsum rectos amores, amorem videlicet erga animam, & amorem erga corpus distinguere: ostendendo, tum ab eo impletum perfectè iri suimet diligendi præceptum, cùm utramque partem, qua explicatum modò est, ratione dilexerit: adeò ut ea bona illis quærat, per quæ ad DEUM meliùs se habeant, & ea ipsa non tam illarum, quàm DEI respectu illis quærat.

4. Osten-

4. Oſtendamus id primò circa partem inferiorem, terrenam, cúmque pecudum vulgo communem, quæ eſt corpus. Hoc, ceu notum cuique eſt, cæleſti ſuo Domino inſervit, adjuvando animam, quáſi naturale inſtrumentum ad exercitationem illorum actuum, quos ipſe vel pro divino ſuo cultu, vel pro cæterorum hominum utilitate ab ea exigit: quales ſunt: orationi vacare, ſacras conciones habere, pœnitentium homologeſes excipere, hæreſes confutare, ídque genus cætera religionis, & charitatis officia. Aſt neminem fugit, corpus hominis, ſi imbecillum, & malè valens ſit, non poſſe idoneum inſtrumentum animæ eſſe ad functionem talium actuum, quin contra pro eo, ut auxilio ei ſit, moram, difficultatémque potiùs ei afferat. Quocirca juſtus corporis amor conſiſtet in curando, ut integra valetudo, & idoneæ illi vires ſuppetant ad ſuum id munus præſtandum. Quam illius curam qui negligit, minùs quàm par eſt, illud diliget, neque in hoc rem DEO gratam poterit facere, imò veriùs ei diſplicebit, cùm per hanc incuriam ineptum reddat ſuum corpus ad eos uſus, quorum gratiâ à DEO id ipſum accepit.

5. In

5. In obvio, & vulgari exemplo rei veritas meliùs patebit. Fingamus demandari à Principe famulorum alicui curam equi, quo ad venationem, atque itinera ipse uti consuevit. Haud dubium, quin huic ministerio delectus ad illud rite obeundum, ità gubernare equum debeat, ut ad commodam Principis vectationem quàm aptissimus sit: opportunè nempe illum lavans, distringénsque convenienti pabulo, & tempestiva quiete reficiens, externáque ab injuria, quantùm fieri potest, defendens. Quòd si locò prædictorum avarè illum pascat, iniquis sarcinarum oneribus gravet, assiduo cursu, & labore debilitet, concreto sudore, & pulvere uri, æstu, atque algore confici sinat; adeò ut cùm tempus aderit, operæ ad præcipuum suum finem, atque usum navandæ, languidus, enervis, fatiscens vix gressum moliatur, tardéque, nec nisi ad exiguum viæ spatium ferre Principem queat; æquóne hic animo rem acceptus videtur, satisque existimaturus ab illo equisone suo muneri factum? Minimè procul dubio, inquies, imò graviter adversùs hominem stomachabitur, acribúsque verbis illius increpabit socordiam, utpote qui non tam equum, quàm Dominum in equo ne-

neglexerit. Atqui talis prorsus res nostra est: *Non estis vestri*, (clamat in literis ad Corinthios datis Apostolus) *empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate DEUM in corpore vestro*; (*Ep.* 1. c. 6.) & alibi: *Nemo nostrûm sibi vivit, & nemo sibi moritur, sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.* (*Ad Rom.* 14.) Ità profectò se res habet: corpus, quo constamus, non est res nostra, sed DEI, sui Conditoris, ac Domini, qui illud nobis credidit, tanquam sui juris, ac usûs jumentum, quò à nobis nutritum, curatúmque par oneribus sit, quæ ipse imponenda illi esse pro sua gloria censuerit. Si quis ergo immodica vigiliarum, jejuniorum, aliarúmque id genus afflictationum severitate ità suum corpus enervet, ut præ virium necessariarum inopia nedum nihil adjumenti ad pias charitatis, & religionis exercitationes animæ afferat, verùm etiam instar oneris, atque impedimenti illius alacritatem opprimat, vigorem debilitet, & conatus irritos reddat; quotusquisque dixerit: prædictam tractandi corporis rationem consentaneam æquitati, divino famulatui utilem, dignámque demum esse, quam cælestis Dominus probet? Non di-

cet enimvero S. Basilius, qui Virgines DEO sacras instituens, ità corpus gubernari ab iis jubet, ut inservire animæ usibus queat: diversámque illius tractationem nîl dubitat *irrationabilem prorsus, ac stultam* vocare. (*De vera Virgin.*) Non dicet Cassianus, qui ab immoderata cibi, & somni abstinentia eandem provenire homini ad spiritualis vitæ actus inhabilitatem observat, propter quam crapula, & somnus prolixior damnantur. (*Coll. 2. c. 16.*) *Vetus sententia est*, ille inquit, *nimietates æqualitates sunt. Ad unum enim finem nimietas jejunii, & voracitas pervenit: eodémque dispendio vigiliarum immoderata continuatio Monachum, quo somni gravissimus torpor involvit. Nam per excessum continentiæ debilitatum quemque ad illum statum revocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur.* Non dicet S. Ignatius Loyola, consultissimus spiritualis vitæ magister: qui ad Hispanienses socios scribens: (*Bart. Inst. L. 4. n. 17.*) inter cætera nimiæ austeritatis incommoda hoc etiam quasi unũ è præcipuis enumerat, quòd per eam, *locò crucifigendi homins veteris, crucifigitur novus*: utpote qui ea de causa inhabilis remanet ad exercitationem convenientium suo statui virtutum. Non dicet Angelicus

qui de afflictatione corporis loquens, negat eam posse placere DEO, nisi sit virtus; virtutem verò non esse, si modum excedat: (2. 2. qu. 88. a. 2. ad 3.) *Maceratio proprii corporis non est* DEO *accepta, nisi in quantum est opus virtutis: quod quidem est, in quantum debita cum discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrænetur, & natura non nimis gravetur.* Neque dicet Apostolus, & Euangelista D. Joannes: qui fertur minimè alienum ab Apostolici sui ordinis sanctimonia duxisse, si assuetam cælo, & profundis Apocalypseos mysteriis gravidam mentem tantisper eam perdiculæ colludendo remitteret. Et quoniam nescio quis venator fortè superveniens, ludicram illam tanti viri occupationem admirari, ac fors etiam reprehendere intrà animum suum videbatur; scitè, appositéque hominem monuit, quemadmodum ipse venatorium suum arcum identidem relaxabat; ut re poscente rursum adductus majori cum impetu spicula emitteret; sic hominis quoque animum à perpetua in rebus seriis contentione tempestivo aliquo oblectamenti genere avocari oportere, ut redintegratis per breve illud otium viribus pristinas exercitationes alacriùs resumat. Nam alioquin, *nisi remissione quadam*

dam rigorem intensionis suæ interdum relevet, ut relaxet: irremisso vigore lentescens virtuti spiritus, cùm necessitas poscet, obsecundare non poterit. (*Cass. Coll. 24. c. 21.*)

6. Neque tamen ità hæc à me disputantur, quasi ignorem, posse & multò quidem faciliùs in alteram quoque partem peccari. Nam velut ad justam equi gubernationem spectat, necessariæ erga ipsum indulgentiæ opportunam severitatem miscere, assuefaciendo illum labores tolerare, & fræni imperiis subesse, idque qui negligeret, reddens commissum sibi equum nimia obesitate minùs habilem cursui, & nulla nisi instinctûs sui lege ferri permittens impatientem regiminis perperam suo hero inserviret, majorique sibi curæ esse ipsius pecudem, quàm ipsum ostenderet. Non aliter legitima corporis tractatio requirit, ut hoc ad meliùs serviendum cælesti suo Domino consuefiat exerceri laboribus, pati aspera, voluptatibus non necessariis carere, nec quò genii impetus rapit, sed quo à sessore dirigitur, tendere: quique hoc rigoris temperamento erga illud uti prætermitteret, omnia illi blanda indulgens, & nihil duri ab eo exigens, corpori suo potiùs quàm DEO in corporis cura serviret. Sed pro-

profectò *est modus in rebus*, est certa quæpiam moderatè, prudentérque curandi tum equi, tum corporis ratio: & quemadmodum ille neque molliter adeò est habendus, ut piger, cerebrosus, calcitro, & refractarius evadat; neque adeò inclementer, ut præ macie, ac debilitate ineptus suis ministeriis, atque usibus fiat; ità neque hoc debet seu tam delicatè tractari, ut per contumaciam detrectet; seu tam durè, asperéque, ut per virium imbecillitatem nequeat servire animæ, & DEO. Pabulum ei apponatur, quasi jumento, sed ità, ut gestandas sibi esse sarcinas noverit. His oneretur, sed ità, ut earum gestationi quies succedat in stabulo. *Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus servo.* (*Eccles. 33.*) Nota est bovis fabula: qui oneratus à Domino supra vires, oravit camelum, itineris comitem, ut aliquam sarcinarum suarum partem in se pateretur transferri, denuntians abnuenti fore, ut si nihil indè vellet dorso excipere, totum deinde illud onus cogeretur ipse unus gestare. Nec denuntiatio eventu suo caruit; cùm enim bos consumptis prorsus viribus medio in itinere concidisset exanimis, Dominus detractas ei sarcinas in camelum transtulit, iisque quasi pro aucta-

rio bovis quoque corpus adjecit. Exemplum, inquit Plutarchus, animi nolentis ulla in re corpori obsecundare, qui postmodum obsecundare eidem in omnibus cogitur, subque onere illius pressus gemere, quia nimiis oneribus illud oppresserit. (*De Sanit.*) *Ità animo quoque contingit, ut dum defatigato corpori, & quietem flagitanti nullam remissionem concedere vult; paulò post febre orta, aut vertigine, libris, & disputationibus omissis, cogatur unà ægrotare, ac dolere.* Denique qualis esse debeat uniuscujusque rei usus, nusquam aliunde certiùs dignosci, quàm ex fine illius potest. Finis, cujus gratiâ corpus accepimus, non fuit, sive ut illud vexaremus, sive ut ei blandiremur, sed ut divino famulatui, propriisque hujus ministeriis studeremus quàm maximè idoneum præstare. Qui fomenta illi negat ad hunc finem necessaria, minùs justo illud amat. Qui fovendo illi studet ultra quàm hic finis requirat, plùs justo illud amat. Qui curam huic fini consentaneam illi adhibet, justè illud amat, & ità cum eo agens, non tam ipsi servit, quàm DEO.

7. Sed summa rei est, justam hujusmodi curam non aliâ, quàm divini famulatûs, & obsequii causâ corpori impendere, juxta il-

lam

lam Apoſtoli regulam, (1. *ad Cor. 10.*) *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam DEI facite*: Adeò ut ſumat utique DEI famulus, quod neceſſarium ſibi eſſe uſu comperit, cibi, ſomni, remiſſionis, quietis; ſed omnia hæc in cæleſtis ſui Domini gratiam, quò ſcilicet gnaviùs verſari in operibus ad ipſius gloriam pertinentibus queat, canens cũ Regio Propheta: (*Pſ. 58.*) *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam*: Ità Domine, chara mihi valetudo mea eſt, charæ corporis vires: neque illas cuſtodire, quoad poſſum, ac tueri omittam: ſed ut rem tuam: ſed quia id à me fieri voluntatis tuæ eſt: ſed quia ſervitutem tuam impenſiſſimè amans, nequeo non amare, quidquid ad tibi exactiùs ſerviendum me inſtruit. Ad hunc igitur nobiliſſimum finem tota mentis intentione collimandum nobis hìc eſt, illud etiam, atque etiam cavendo, nè in iis, quæ ad vitam, & valetudinem requiruntur, corpori ſerviamus, oblectandi illud potiùs, quàm obſequendi DEO causâ. Talis ſiquidem circa finem perverſitas, nedum omni ſupernaturalis meriti pretio noſtram agendi rationem exueret; ſed neque legitimum in ea modum nos tenere ſineret. Cùm, quàm facilè evenit, ut qui

ab unius DEI amore ad sustendandam cibo, somno, & aliis hoc genus remediis naturæ imbecillitatem movetur, temperanter, & intrà necessitatis mensuram id faciat; tam contra difficile, nè dicam impossibile est, ut qui iisdem remediis oblectandi corporis causâ utitur, non ea sæpe usurpet, ultra quàm simplex naturæ usus, & divini obsequii rationes requirunt. Unde porrò consequitur, ut plurimi etiam spiritualium virorum, ceu falsò opinantur, nihil à se aliud præter DEI voluntatem, & gloriam in sui corporis cura spectari, cùm tamen multoties in eo hìc, atque illic curando propriam quoque voluptatem respiciant; sic ab hujusmodi errore in alium ipsi finitimum delabantur, appetendi, & quærendi videlicet, tanquam necessaria naturæ subsidia, quæ revera non nisi cupiditatis illecebræ, & mera sunt sensuum blandimenta: errorem profectò tam ordinarium, latéque pervulgatum, & vitari difficilem, ut magnus Hipponensis Præsul, quasi decus rarissimum, & sua excelsius virtute admiretur, eo nunquam seduci; sic DEUM alloquens: *Et quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est. Ego autem non sum, quia peccator homo sum.* (*Conf. L. 10. c. 31.*)

8. Quam-

8. Quamvis verò perobscurum sit, neque ità promptè dignosci queat, num ad corpus hoc, vel illo pacto reficiendum, purus DEI amor, an sensibilis indè existens voluptas nos moveat; non desunt tamen indicia, unde quisquis suam potiùs cupiditatem, quàm DEI voluntattm quærit, de propositi sui pravitate possit certior fieri. Duo ex præcipuis adduco: Primum sit, ità comparatum animo esse, ut in dubiis, quæ subinde occurrunt circa peculiare aliquod commodum, utrum nempe supervacuum, an necessarium naturæ usibus sit, controversiam ferè semper corpori adjudicet, commodum, de quo ambigitur, pro necessario saltèm practicè habens, & quasi tale ipsi indulgens. Hæc enim proclivitas ad sententiam secundùm ipsum ferendam nequit aliunde, quàm ex præpostero voluptatum studio originem ducere. Cùm cæteroqui receptissimum tam in humana, quàm in sanctiori Philosophia placitum sit ad prudentiùs decernendum inter duo contraria, illud in dubiis potiùs debere eligi, ad quod nostri genii appetitus minùs propendet. Unde non modò usitatum, & familiare est sanctis viris, quotiescunque inter duas partes mitiorem unam, severiorémque alteram, par u-

trinque rationis pondus apparet, ad hanc potiùs, quàm ad illam deflectere; verùm Aristoteles quoque, tametsi divinæ lucis expers, apertissimè id docuit. Cùm enim in secundo Ethicorum libro definiisset: virtutem in duorum vitiorum hinc indè circumstantium medio, nempe in justa quadam inter exuperationem, ac defectum mensura consistere; addit ex prædictis duobus vitiis illud ipsi esse magis contrarium, ad quod naturali affectione, & instinctu propensiores sumus: hanc indè practicam regulam eruens, ut scilicet, quando medium virtutis proprium nos latet, periclitamúrque ipsius locò alterum ex duobus extremis eligere, ad declinandum id periculum, & recedendum quàm minimè fieri possit à mediocritate, in qua virtus consistit; vergamus in operando ad extremum potiùs, quod minùs, quàm ad alterum, quod magis ipsi est contrarium, hoc est: potiùs ad illud, erga quod minùs, quàm ad alterum, erga quod magis à natura impellimur. En Philosophi verba: *Ad quæ naturâ magis sumus affecti, ea medio magis esse contraria videntur. Verbi causâ ad voluptatem naturâ magis sumus affecti; idcirco ad intemperantiam sumus, quàm ad modestiam procliviores: ac propterea intemperan-*

tia

tia, quæ est excessus, temperantiæ magis contraria est. Quocirca oportet eum, qui medium conjectare vult, à magis contrario recedere. (*c. 8. & 9.*) Quam doctrinam alibi quoque repetit, eandem ob causam suadens, ut quantùm ad labores, nimium potiùs, quàm minùs, quantùm verò ad victum, minùs eligatur potiùs, quàm nimium. *Laborando quidem excedere, quàm deficere; edendo verò deficere, quàm excedere salubrius est. Id verò evenit, quòd natura non in omnibus æqualiter distat à medio. Laboribus enim minùs, quàm voluptatibus capimur.* (L. 1. *Mor. Eud. c. 6.*)

9. Secundum: finis, ac propositi minùs recti indicium est, immodica erga corporis refectiones, quamvis manifestò necessarias, animi affectio; nimirum aviditas in earum expectatione, atque usu solicitudo, nè aliquo fortè casu deficiant, & tristitia, si quando is defectus contigerit. Palàm quippe est, ad nullum ex prædictis affectibus posse nos à divino amore incitari. Non quidem ad appetenda, & sumenda avidiùs, quæ naturæ usus requirit: cùm è contrario per Apostolum jubeat, id à nobis sinè ulla animi adhæsione, & quasi à minimè facientibus fieri. (1. *ad Cor. c. 7.*) *Reliquum est, ut & , qui habent uxores,*

tan-

tanquam non habentes sint; & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Sed neque ad solicitudinem de iis capiendam, cùm constet hanc à Christo Domino vetitam esse aqud D. Matthæum: (*c.* 6.) *Nolite soliciti esse, dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt.* Neque postremò ad tristitiam, & iram, si quid eorum nobis desit. Cùm certò noverimus, defectum hujusmodi nunquam posse contingere, nisi per voluntatem divinam: in qua amanter nos potiùs acquiescere, quàm de illa mœrere par est. Quapropter extra omnem controversiam remanet, prædictos affectus, utpote qui amori divino adversantur, neutiquam ab eo posse excitari, sed à sensibili tantùm appetitu, & inordinato erga corpus amore produci.

10. Qui ergo certus esse aliquatenus cupit in curando corpore, haudquaquam à se propriam Epicureorum ritu voluptatem, sed unum, prout sanctis viris mos est, DEI placitum, & obsequium spectari, debet primò necessaria illi quidem subsidia præbere, sed demenso parco potiùs, quàm liberali, neque cum

cum diligentia nimis solicita, ut nihil unquam de plena refectione desiderandũ habeat. Ad hanc quippe parsimoniam nequit, nisi à divino amore impelli; cùm è contrario ad exactissimam necessariorum curam timeri semper possit, nè terrena quæpiam, & naturalis affectio illum stimulet. Secundò, prospicere corpori debet cum tranquillitate animi, securus, & sui potens instar hominis, qui satisfacere duntaxat suo muneri quærat; non qui diligentiæ, operæque suæ effectũ sortiri modis omnibus velit: adeò ut neque de illius ministerio, præterquam suis temporibus cogitet; neque ad ei consulendum ullis utatur, nisi honestis, & legitimis artibus; neque anxius, ínque metu sit, respectu casuum, qui è transverso incurrere, & frustrari curas suas possunt; neque aut de optato harum successu immoderatiùs gestiat, aut perturbetur, si eas fors impediri, & carere suo effectu contingat: sed satis habens, quantum in se erat studii, ad tuendas corporis vires prompsisse; contentus sit illo uti, quale, & quomodocunque affectum, bene, aut malè valens, suísque idoneum, vel ineptum ministeriis DEUS esse voluerit. Similiter, ac qui equum alienum non ex ipsius, sed ex mero Domini amore cu-

curandum ſuſcepit, nihil moleſtiæ, ac ſolicitudinis animo capit, ſi Dominus juſto minorem hordei commeatum ad illius alimenta ſibi ſuppeditet, dicens intrà ſe: equus hic haudquaquam mei dominii eſt, neque ad me pertinet, nisì cura eum nutriendi ſecundùm pabuli operam, quàm ab illius hero accipio; ſi huic curæ non eſt, jumentum ſuum præcibi inopia emaciari, ineptumque ſuis uſibus reddi; quidnam hoc meâ intereſt? *Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Tertiò, non contentum eſſe illum decet, quòd manè generatim coram DEO propoſuerit, nihil ſe toto illo die obſequii præſtiturum ſuo corpori, nisì ex mero divinæ ſuæ voluntatis, gloriæque ſtudio: ſed in quavis particulari occaſione deſiderandi, aut indulgendi juſtam aliquam commoditatem ſuo corpori rurſum profiteri idem debet: propter te, ô Domine! inquiens, nimirum ut voluntati tuæ obſequar, útque idoneas ad ſerviendum tibi vires tuear, hoc commodi, hoc cibi, hoc refectionis, & quietis opto, vel cupio. Et quamvìs meus quoque naturalis inſtinctus eodem propendeat, nolo tamen, ut hæc ejus propenſio quidquam momenti ad impellendum me habeat, tua unius voluntate, gloriáque contentus, cujus tantùm

tùm reſpectu utì rem hanc agere inſtituo ; ſic eandem, etſi naturali meo ſenſui ingratiſſima eſſet, nihilo ſeciùs peragerem. Hæc, inquam, profiteri illum neceſſe eſt, quandocunque in aliqua particulari materia inſervire corpori intendit, ſi certus eſſe vult, à Deo uno id agendi cauſam ſe ſumere. Nam illa cæteroqui ſub diei ortum concepta generalis voluntas, nisì totius diei ſpatio expreſſa, & vigens permaneat, præterquam quòd timendum ſit, nè quo deinde actu contrario revocetur, fieri etiam moraliter nequit, ut ad ſingulos reliqui diei actus re ipſa nos impellat: utpote actus, qui ſupernaturali ejus impulſu minimè egent; ſed quamvìs ea nunquam præceſſiſſet, ſatìs tamen, imò etiam procliviùs ex aliis patrarentur naturalibus cauſis. Imò addo, neque ſatìs eſſe, ſi in prima ſinguloum operum aggreſſione prædicta inſtauretur voluntas: cùm ſæpiſſimè eveniat, in agendi progreſſu aliam ipſi deterioris notæ voluntatem furtim ſuccedere, & ſic ea opera, quæ *ſpiritu cœperunt, carne conſummari:* ſed requiri inſuper, ut propoſitum illud, nihil præter DEUM ſpectandi in actionibus, quæ ad curam corporis pertinent, utì illarum ſingulis initio auſpicium dedit, ſic eaſdem uſque ad exi-

exitum prosequatur : neque plures propemodum exempli gratiâ sint boli, quibus inter mensas famem explemus, quàm actus voluntatis, quibus eas singillatim ad gloriam DEI referamus.

11. Hac porrò agendi ratione qui perpetuò utitur, palàm est, quantum abjectissimis quibusque actionibus suis, cujusmodi sunt : cibum, aut somnum capere, aliæque ad corporis refectionem spectantes, supernaturalis pretii addat : utpote qui in earum qualibet scopum sibi propositum habet, nihilo excelsum, & nobilem minùs, quàm præstantissimis quibusque aliis, quales sunt, Eucharistiam sumere, divina contemplari mysteria, sacrosanctâ Hostiâ DEO litare, ethnicósque ad Orthodoxam fidem convertere : sed utraque ex una, atque eadem placendi DEO causa suscipiens, illud utique assequitur, ut, quamvis secundùm materiam plurimum inter has atque illas intercedat discriminis, spectatâ nihilominus formâ æqualis omnium dignitas sit, paríque omnes ratione ad Christianarum virtutum, supremam nempe Theologicam charitatem pertineant. Ac proinde vesci est DEUM amare, in lectulo quiescere amare DEUM, calefieri per hyemem amare DEUM,

UM, faciem, & manus abluere, amare DEUM, capillos pectere, vel tondere, amare DEUM: neque in ſumma exterior vita quidquam promiſcui, & plebeji actûs habet, quod proprium, & formale divini amoris exercitium non ſit: ſanctuario veteri ſimilis, cujus non modò candelabrum, & lychnos, ſed & ipſa inſtrumenta, quibus emungerentur, & vaſa ubi reponerentur eorum ſordes, aurea eſſe DEUS voluit: *Emunctoria quoque, & ubi, quæ emuncta ſunt, extinguantur, fiant de auro puriſſimo.* (*Exod. c. 25. & 37.*)

12. Roget fortè aliquis, num neceſſaria hæc ſubſidia, quæ à ſpiritualibus viris ſuo corpori exhibentur, ſatiùs ſit promptè ipſi, libentérque exhibere, uti quando iiſdem alienæ egeſtati ſuccurrimus; an invito, & repugnanti animo, ſicut quando morbis cogentibus medicas potiones haurimus. Primam enim inſiſtentes viam timeri haud immeritò poteſt, nè illorum capiamur illecebris, ſenſuúmque potiùs oblectationem, quàm divinam in iis gloriam quæramus. Ex altera verò parte, ægro animo corpus foventes, odio potiùs viderentur, quàm amore illud proſequi: quemadmodum odiſſe veriùs, quàm amare hominem famelicum videretur, qui cibum ei quidem

dem præberet, sed merè coactus, ingratiſ-
que, & moleſtè illum refici ferens. Priuſ-
quam quæſtioni reſpondeam, duo in corpo-
ris cura conſiderari poſſe adverto: alterum
quaſi proximum finem omnium, quæ corpo-
ris gratiâ fiunt: qualitates nimirum, unde il-
lud ad operandum pro DEI gloria habilius
evadit, cujuſmodi ſunt bona valetudo, ido-
neæ laboribus vires, & ſenſuum integritas:
alterum, quaſi inſtrumentum huic fini deſer-
viens, illa nempe cibi, & ſomni adminicula,
quæ ad prædictarum illius facultatum produ-
ctionem, & conſervationem faciunt, eíque
ſubminiſtrari indies pergunt. His ergo ani-
madverſis, dico: nihil rationis apparere,
quin debeamus, quemadmodum cuivis alte-
ri hominum, itá nobis etiam optare, quæ ad
primum genus ſpectant, corporis bona, la-
tariſque, & grates DEO agere, quoties nobis
contingunt. Nam & conſentaneum ratio-
eſt, ut corpus noſtrum amemus, neque ame-
re illud aliter poſſumus, quàm vera illi bona
volendo: qualia nemini eſſe dubium pote-
quin ſint facultates prædictæ: utpote quæ
nihil detrimenti illi pariunt, & illud aptius
DEO ſerviendum, hoc eſt, ad ſuum ultimum
finem efficiunt.

13. C

13. Circa verò posteriora corpois bona, quæ velut mera priorum instrumenta appetuntur; fateor quidem, posse virum spiritualem nedum sinè ulla vitii, aut imperfectionis nota, verùm etiam cum merito, & laude virtutis de illis gaudere: ità ut adveniente occasione relevandi corpus à fame, siti, lassitudine, æstu, frigore, & similibus incommodis, hæc illi levamenta, & remedia libenter concedat: sive quatenus ea considerat, quasi pios paternæ DEI providentiæ erga nostram imbecillitatem effectus, quos ideo cum læta, & amanti gratiarum actione à nobis excipi deceat; sive quatenus intuetur se ipsum, tanquam possessionem DEI propriam, & consequenter, quæcunque justa fomenta sibi adhibeat, quasi obsequia ipsi præstita, juxta morem, atque exemplum D. Gertrudis, quæ *sive dormiret, sive manducaret, sive aliud quid commodi suo impenderet corpori, non aliter, quàm si Domino id feciſſet, exultabat. Nam Dominum in se, & rursus se in illo intuebatur. Ideo in se quoque illi, & sibi propter illum servire, ac benefacere gestiebat: quo impleret* Dominicum illud: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Se enim minimam existimabat omnium creaturarum. Ideo, quidquid sibi impendit, minimo, qui ad*

Dominum pertineret, arbitrabatur se impendisse. (*L. 1. Insin. c.* 12.) Sed quamvis verissima hæc sint, addo tamen, tutius communiter, & respectu illorum, qui nondum confirmati sunt, in rerum sensibilium contemptu, & dominio terrenorum affectuum, salubrius etiam consilium videri, si, qui ejusmodi sunt, ac penitùs extinguendum in se ipsis præposteri corporis amorem, illiúsque fraudes cavendas, in omnibus, vel ferè omnibus necessariis refectionibus corporis omnem ipsi uni sensum delectationis relinquant, neque de voluptate, quam indè ipsum naturaliter percipit, interiori, proprióque appetitûs rationalis actu lætentur: quin potiùs ægre illam ferant, & quantùm possunt, indè mentem avertere, tanquam ab exosæ rei specie contendant: blanda illa quidem fomenta, quando sic naturæ necessitas exigit, corpori re ipsa impendentes, sed inviti tamen, intimóque cum dolore, & piæ cujusdam quasi impatientiæ sensu, quòd vitam sinè iis ducere non liceat: imitantes illius, qui dicebat: *Suspiro, antequam comedam.* (*Job. c.* 3.)

14. Atque hujus meæ sententiæ adstipulatores habeo tum Magnum Leonem, qui [illegible] præsentis vitæ cursu vetat nos affectu adhæ[illegible]

rere illis bonis, quibus uti re ipsa compellimur. (*Serm. 5. de Jej. Sept. Mens.*) *Peregrinantibus nobis, quidquid de prosperitatibus mundi occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis*; tum D. Augustinum, qui eâdem metaphorâ utens exigit, ut mortale quodvis bonum sit nobis (*Tr. 40. in Eu. Matt.*) *Instrumentum peregrinationis, quo utamur ad necessitatem, non irritamentum cupiditatis, quo fruamur ad delectationem*; tum gentium Doctorem Paulum, qui in illis, quæ suprà recitavimus, ad Corinthios verbis, nullum DEI famulis rerum corpori blandientium sensum, nisi merè exteriorem, & quodammodo mortuum, ac sentiendi nescium permittit: jubens nempe, ut, *qui gaudent, tanquam non gaudentes sint, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Neque hujusmodi erga suum corpus severitas argumentum est hominis, qui omni amore illius careat. Nam & naturali lumine omnibus patet, quoties certæ alicujus voluptatis abdicatio voluptatem aliam parit multò majorem; plùs ab homine se ipsum amari, si eam voluptatem alterius majoris gratiâ repudiet; quàm si præsenti illius gustu fruatur; & certissimis divinæ fidei oraculis constat, unumquemque nostrûm, si ex DEI

amore ſupervacanea oblectamenta ſuo corpori neget, neque ipſa neceſſaria, nisi parcè, invitúſque, & coactus eidem impertiat; remuneratũ â DEO in futura vita iri delectationibus ipſiuſmet corporis, ſi earum ſupernaturalis excellentia, & ſempiterna permanſio attendatur, terrena quævis ſenſuum lenocinia immenſo intervallo exceſſuris. Ex quo utroque principio planiſſimè ſequitur, plus ab eo amari ſuum corpus, qui præſentis illius voluptates negligit, quàm ab eo, qui ſe illidem totum immergit: cùm prior exiguæ, ac breviſſimæ dulcedinis guſtu ipſum fraudans, uberrimam ei acquirat, æternúmque guſtandam dulcedinem; alter verò nîl penſi habens hac ipſum fraudare, dum illam tantò inferiorem ipſius aviditati indulgeat. Conſequens à Chriſto Domino luculenter expreſſum illis verbis: (*Joa. 12.*) *Qui amat animam ſuam* (mortalem nempe corporis vitam) *perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Super quæ verba juſtè exclamat D. Auguſtinus, (*Tr. 51. in Joa.*) *Magna, & mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor, ut pereat; odium nè pereat. Si malè amaveris, tunc odiſti: si bene oderis, tunc amâſti. Felices, qui oderunt ſe*

ſtodiendo, nè perdant amando. Summa igitur diſputationis totius ſit, rectum corporis amorem conſiſtere in gaudendo, haud quaquam de illis ejus bonis, ex quorum cupiditate plus damni, quàm emolumenti ipſi provenit, qualia ſunt delectationes ſenſuum; ſed iis potiùs, unde nihil detrimenti ipſum capit, cujuſmodi ſunt commoda valetudo, per quam in præſenti ævo ad divini famulatûs opera eſt aptius; & gloria cæleſtis, quam in futura æternitate pro præſentibus divini famulatûs laboribus referet. Hæc enim ſinceræ utilitatis bona debet unuſquiſque, non modò, quantûm in ſe eſt, laborare, nè deſint ſuo corpori; ſed ex animo etiam gaudere, cùm affatim contigiſſe illi viderit. Quam benevolentem illius curam & DEUS haberi ab omnibus vult, & Paulus Apoſtolus repræſentatam agnoſcit in amore Chriſti erga Eccleſiam: *Nemo unquam*, dicens, *carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam.* (*Ad Epheſ.* 5.)

15. Idem porrò, quod de amore corporis diximus, ſervata proportione dici de amore animæ poteſt, quæ altera noſtri pars eſt, quantò nobilior, tantò etiam dignior amari. Certum quippe eſt, ipſam quoque propter

DEUM esse amandam: ità nempe, ut primò ex propriis ipsius bonis non nisi ea amentur, & quærantur, quibus ipsa vel habilior ad serviendum DEO fit; vel supernaturaliter à Deo exornatur: qualia sunt exempli gratiâ hinc dotes ingenii, eloquentiæ, ac doctrinæ; indè habitus virtutum, perspicua rerum cælestium cognitio, vividus charitatis fervor, tranquillitas animi, gratia sanctificans, & beata DEI visio: secundò autem, ut hæc ipsa ejus bona quærantur, atque amentur non ideo duntaxat, quia ipsam perficiunt; sed potiùs & præcipuè, quia secundùm voluntatem, atque gloriam Dei est, illam sic perfici, talémque illius perfectionem à nobis amari.

16. Neque hoc pacto animam propriam, & spiritualia illius bona diligere, DEI magis, quàm ejusmet causâ, videri cuiquam debet justi erga ipsum amoris defectus, & extraordinaria quædam in DEO amando subtilitas. Si enim in commendationem Domitiani, tyranni veriùs, quàm Cæsaris, licuit Poëtæ canere: (*Mart. Epig.* 53. *L.* 8.) *Diligeris populo, non propter præmia, Cæsar: Propter te populus præmia, Cæsar, amat*: & si tantum in Coriolano testatur Plutarchus Veturiæ parentis suæ amorem fuisse, ut suas militares adoreas non tam

tam haberet charas, quia sibi apud cives gloriam, sed quia matri afferrent lætitiam: *Cæteris quidem finis virtutis erat gloria; huic verò gloriæ finis materna lætitia. Id nempe ingenti tum honori, tum felicitati ducebat, ut matri suas audire laudes, & se spectare coronatum contingeret.* (*Plut. in V. Cor.*) quo pacto ulli nimium videatur à nobis DEI famulis pro fine primario totius nostræ virtutis, perfectionis, & felicitatis, non tam nostrum bonum, quàm cælestis Domini voluntatem, & gloriam haberi? Hic certè, si D. Bernardo credendum putamus, scopus est, atque ultimus finis, ad quem omnis amor, & omnia beatorum cæli civium gaudia collimant. (*De Dilig. Deo.*) *Delectabit sanè*, in ea puri, perfectique amoris regia, *non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quàm quòd ejus in nobis, & de nobis voluntas adimpleta videbitur.* Idémque adhuc expressiùs testatur sanctus Genevensis Antistes, Franciscus Salesius: *Angeli, & reliqui Cælites nihil amant ex ullo alio fine, quàm ex amore bonitatis divinæ, & placendi DEO causâ. Flagrantissimè amant se invicem: amant nos quoque, amant virtutes: sed totum id merè, ut DEO placeant. Sectantur, & exercent virtutes, non quatenus pulchræ sunt, & amabiles, sed quatenus Deo*

gratæ. Amant felicitatem ſuam, nequaquam, prout felicitas ſua eſt, ſed prout placet DEO. *Amant quoque amorem ſuum erga* DEUM, *non quia in ipſis eſt, ſed quia in* DEUM *tendit: non quia ſibi ſuavis, ſed quia acceptus* DEO *eſt: non quia à ſe concipitur, & poſſidetur, ſed quia* DEUS *illum donat, eóque delectatur.* (*Theot. p. 1. L. 5. c. 13.*) Ità egregius ille amoris divini præceptor: qui in ſubſequenti etiam capite, Lectores provocans ad ſpiritualia ſua bona ſic diligenda, cùm peculiaris exempli gratiâ propoſuiſſet actum ſtrenuè in bello pugnandi, ad quem variis à virtutibus, putà fortitudine, magnanimitate, obſequio erga ſuum principem, publicíque boni ſtudio incitari homines poſſunt, ſubdit: *Deſcendendo itaque ad praxim, ego pugnæ aleam hiſce omnibus de cauſis ſubibo: ſed ut illæ omnes ad eminentiorem divini amoris gradum conſurgant; dicam intrà me: O æterne* DEUS! *qui chariſſimus amorum meorum omnium amor es, ſi fortitudo, ſi obſequium erga principem, ſi amor patriæ, & magnanimitas grata tibi objecta non eſſent; nequaquam ego ab illis impelli, prout nunc impellor, me ſinerem. Sed quoniam placent tibi hæ virtutes; oblatam eas exercendi occaſionem amplector, nolens cæteroqui earum inſtinctum ſequi, nisì quia eas tu amas, &*

vis.

vis. Cernis, dilecte mi Theotime, per hanc voluntatis elevationem, omnes rectè agendi causas odore, & suavitate amoris afflari: neque enim eas sequimur, tanquam causas merè honestas, sed tanquam à DEO amatas, & volitas. Redigamus ergo omnes virtutes sub imperium, & ditionem charitatis. Amemus singulas, magisque eas, quæ cæteris præstant, non quia præstantiores suâpte naturâ sunt, sed quia chariores DEO. Ità sanctus DEI amor omnium quasi anima, & vita erit virtutum, eásque universas amantes, amabiles, & supra quàm amabiles reddet.

17. Hucusque sanctus Præsul. Post cujus doctrinam nihil mihi jam supereſt, nisì ut tractationem hanc concludens definiam, qui pro eo, ut amet, quærátque dicta illa paulò antè sincera, & præcipua animæ bona, amat, quærítque alia, præterquam quòd inferioris bonitatis, supernaturali etiam illius perfectioni, ac beatitati contraria, utpote quæ suo usu, affectúque perfectam illius cum DEO conjunctionem præpediunt; ab eo inordinatè amari animam, quia minùs, quàm amanda esset. Ab eo, qui præstantissima quidem animæ bona amat, & quærit; sed ità, ut sinè ullo neque expresso, neque implicito, & virtuali ordine ad DEUM ipsam pro unico, ulti-

timóque fine volendi habeat; inordinatè itidem eam amari, quia ultra, quàm amanda esset. Ab eo demum, qui & vera vult ipsius bona, & pro fine primario ea volendi placitum, atque obsequium DEI habet, ordinatè ipsam amari, quia secundùm convenientem rebus creatis mensuram. Quamvìs ità illam amare propter DEUM, & minùs DEO sit, teste D. Augustino, plùs illam quodammodo, hoc est cum majori illius emolumento amare, quàm si in ea una, tanquam in suo fine, atque centro ejus amor subsisteret. *Sed cùm DEUS magìs diligitur, quàm animus, ut homo malit ejus esse, quàm suus; tunc animo verè, summéque consulitur.* (*Aug. in Lib. 83. qu. 36.*)

CAPUT XVIII.

Quinam nostri amor sit pravus, & perfecto DEI amori contrarius: déque duplici arte, ad eum in nobis extinguendum idonea.

Vidimus tunc rectum, & ex divini amoris norma esse hominis amorem erga se ipsum, quando is suum corpus, suámque animam

mam reſpectu DEI amat: quando ſcilicet impulſus voluntate ſerviendi, & gratificandi DEO, ea utriuſque vult, & quærit bona, à quibus ad prædictum ſuum finem obtinendum juvatur: cujuſmodi ſunt, & in corpore vires ad bene operandum idoneæ; & in anima quidquid hanc divino aptiorem famulatui, magíſque acceptam DEO reddit. Reliquum porrò eſt videre, quando ſui ipſius amor ſit pravus, & divino repugnans. Talémque eſſe ſtatuo, quando aliquis ſuum corpus, ſuámque animam eorum potiùs, quàm DEI reſpectu amat: quando nempe innato eorum appetitui obſecundans ea utriuſque perſequitur bona, quæ quantùm iis arrident, tantò minùs idonea divino famulatui reddunt: cujuſmodi quantùm ad corpus, ſunt: rerum copia, & ſenſuũ oblectamenta; quantùm verò ad animam, voluptates, quibus ea fruitur, ſive dum propriæ voluntati morem gerit, ſive dum novis cognitionibus curioſitatem ſciendi explet, ſive cùm libera ſuis cogitationibus ad diſcurrendũ quaquaversùs fræna permittit, ſive cùm de rebus ſuis magnificè ſentit, eáſque ab aliis pariter magni fieri, & vulgò celebrari audit.

2. Et

2. Et verò inordinatum, ac perversum esse hunc amorem, nemo prudens rerum aestimator ibit inficias: cùm, quisquis eum fovet, amet se, & quantùm ad bona volita, minùs justo; & quantùm ad rationem ea volendi, plùs justo. Minùs justo, quantùm ad bona volita: quia locò quærendi nobiliora, præcipua, & à mali contagione sincera, contentus est inferioribus, & unde plus damni, quàm utilitatis percipit. Plùs justo autem, quantùm ad rationem ea volendi: quia in se ipso eorum finem constituit, quod privilegii genus est, humanam conditionem excedens, soliúsque DEI proprium. Sed neque dubitari potest, quin idem, quantùm perversus in se ipso est, tantùm etiam perfecto DEI amori adversetur: tum quia pluribus, & diversis affectibus animam occupans non permittit, ut tota, & totis suis viribus amando DEO vacet: tum quia, ùt suprà jam vidimus, ad divini amoris perfectionem requiritur, ut, si quid extra DEUM amatur, in DEI gratiam ametur, vel quatenus ad ei serviendum nos adjuvat, quæ ratio est amandi recensita in superiori capite nostri corporis, nostræque animæ bona; vel quatenus ipse amari illud jubet, quo nomine amorem nostrum universi ho-

homines exigunt. Atqui opes terrenæ, ſenſuum oblectationes, & alia paulò antè commemorata ejuſdem generis bona, neque ad meliùs DEO ſerviendum nos adjuvant, neque DEUS ex iis quidquam à nobis amari unquam juſſit: imò pluries, diſertéque ad bonorum ejuſmodi vel uſum, quoad fieri poſſit, derelinquendum, nedum cupiditatem à corde excludendam cohortatus nos eſt. Quonam igitur pacto, qui illa amat, poteſt dici propter DEUM, & non veriùs contra id, quod magis placitum DEO eſt, illa amare? Aut quo pacto, ſi nequaquam propter DEUM, ſed veriùs contra id, quod DEO magis placet, illa amat; fieri poteſt, quin talis illius amor perfecto erga DEUM amori adverſetur?

3. Dicet fotè aliquis, tunc revera adverſari, cùm modum excedit, ſive in amandi ardore, eò quòd vehementiùs juſto prædicta bona appetat; ſive in objecti amati amplitudine, eò quòd ex iis juſto plura, & qualiacunque demum ſint, ſinè ullo vetitorum à permiſſis diſcrimine appetat: at non etiam, quando intrà juſtæ moderationis fines ſe continet, ità ut neque alia eorum, nisi quibus frui licet; neque hæc ipſa majori, quàm par eſt, contentio-

tione appetit. Sed enimvero, quisquis ità dissérit, parum memor videtur, nos non permanere ampliùs in primævæ integritatis statu, cùm affectus sensibiles non excitabantur, aut durabant in anima, nisi quos, & quales, & quamdiu præscriberet ratio: verùm in alio longè inferiori statu versari: ubi scilicet ratio potest illis quidem obsistere, nè suo se impetu transversùm abripiant, non verò etiam impedire, nè unquam, licèt se invita, excitentur, ac durent. Hoc itaque revocato illi in memoriam, respondeo, quam ipse in bonis terræ appetendis moderationem animi prædicat, ex neutra suarum partium esse homini, ab originis suæ innocentia, & felicitate dejecto possibilem. Ordiendo quippe à prima ejus parte; quinam, rogo, in hac tam effræni appetitûs perduellis licentia fieri posse sperabimus, ut quispiam præsentis vitæ bona, quibus nihil fragilius, bona ex alieno arbitratu pendentia, & sexcentis assiduè casibus subjecta, bona, quàm incerti, & laboriosi paratûs, tam illico amitti facilia: illáque amans non propter DEUM, & cum subjectione ad illius voluntatem, sed propter se ipsa, & tanquam amoris sui finem; nullo tamen in iis amandis perturbetur anxietatis, timoris,

ris, & solicitudinis motu: sed eundem æqualis vultûs, animíque habitum servet, sive ubi certus est, se illa adepturum, sive ubi causæ adsunt timendi, nè iisdem frustretur: & sive cùm securè illis fruitur, sive cùm repentini casûs injuriâ eadem sibi videt periisse? Citiùs crediderim, posse ignem in crassa, & humenti materia sinè ullo fumi vapore succendi, quàm amorem circa bona caduca, & evanida sinè ullo inquietudinis sensu occupari. Sanctissimos hominum, quíque omni studio contendunt, cor penitùs purum à quovis rerum pereuntiũ affectu servare, & nihil prorsus velle, nisi ex divini amoris impulsu, vix contingit in qualibet vel honoris, vel alterius præsentis boni jactura usquequaque immotam, & ab omni perturbatione animi tranquillitatem retinere. Et retenturus eam credetur profanus mundi, ac sui amator, quíque tanto in pretio hominum gloriam, corporis voluptates, & alia id genus bona habet, ut sinè iis nè DEUS quidem, summum licèt, immensissimúmque bonum, illius cordi explendo sit satis?

4. Quid porrò de altera parte dicemus, moderatione videlicet terrenorum affectuum circa sui objecti amplitudinem? ità ut ni-

hil ex eo, nisi omnino innocuum, & licitum appetant. Minúsne illa credi impossibilis potest? nihilo equidem minùs: naturalis quippe nostri appetitûs propensio ad voluptates, honoréque, & alia præsentium bonorum tendit, quantùm in se est, sinè ullo veriti, aut permissi discrimine (hujus enim observatio nequaquam appetitûs, sed rationis propria est) in ea omnia, ubicunque, & in quacunque materia sibi appareant: usque adeò nullâ eorum copiâ explebilis; ut quanto amplior hæc est, tantò avidiùs aliam, aliámque anhelet, assiduis, & solicitis vocibus clamans: *Affer, affer.* Quisnam igitur tantum sibi de se ipso, & virtute sua polliceri audeat, ut fovens in se ipso instinctus ad nominis gloriam, vel sensuum illecebras, instinctu adeò cæcos, adeò concitatos, adeò inexplebiles, speret nihilominus nunquam se abreptum, imò neque stimulatum iri ad transgrediendam vel latum tantummodo unguem liciti, honestique mensuram? Næ ejusdem temeritatis hoc foret, ac per ruinosum praeduli montis declive cursum arripere, cum animo, & spe inhibendi, quantumcunque accitatos, & præcipites gressus, si fortè hiatus fovea, vel abruptior locus occurreret. Sa-

pienter Cicero (*Qu. Tusc. L. 4.*) *Quì modum*, ait, *vitio quærit, similiter facit, ut si posse putet eum, qui se è Leucade præcipitaverit, sustinere se, cùm velit.* Ampullosa isthæc promissa à vano quopiam liberi nostri arbitrii adulatore in umbratili disputatione jactari fors possint: quæ tamen experientia palàm demonstrat, ab humanæ vitæ usu quàm longissimè abesse. Solius DEI est commoto tempestatibus mari terminos definire cum imperiosa illa epigraphe: *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* (*Job. 38.*)

5. Quod ut manifestiùs pateat, quæro ex eo, cui nondum persuasum esset, utrinam faciliùs sit à vetitis voluptatibus cupiendis se continere: illíne, qui eas tantummodo, an verò alteri, qui licitas etiam cupiditates, quantùm potest, devitat. Respondebit procul dubio: huic factu proclivius id esse: tum quia nullas cupiens, longiùs à desiderandis vetitis distat, quàm licitas cupiens; quæ mediæ sunt inter nullas, & vetitas, & à quibus ad harum cupiditatem unico gressu transitus patet: tum quia bona licita, utpote omni ex parte appeti digna, majorem voluntatis ad se alliciendæ vim habent, quàm vetita, quæ ex una tantùm parte præferunt, quòd appeti possint; ex al-

tera verò non nisì odium, & abominationem inerentur. Quapropter, cui sat virtutis, animíque est ad illorum superandas, quamvis validiores illecebras, facilius erit horum lenociniis resistere, quàm cui illa virtus, & ille animus majori par certamini deest. Jam verò experientia nobis liquidò ostendit, illos quoque, qui omnem bonorum præsentium, etiamsi licitorum appetitum, quantùm possunt, declinant; nonunquam tamen vitio infirmitatis humanæ ad vetita appetenda transcurrere. Quantò itaque id faciliùs, & crebriùs eventurum dicemus, nihil studii ponentibus, ut à licitorum cupiditate se abstineant? ignorat profectò, quanta humanæ naturæ imbecillitas, quámque lubricus, & proclivis in rerum terrenarum quæsitu à concessis ad inconcessa transitus sit, qui illa ubique aucupans, extra omnem in posteriora prolabendi aleam se positum censet. Consulat D. Gregorium, celebre sapientiæ moralis oraculum, discétque ab eo: (L. 5. Mor. c. 6.) *Illum solum in illicitis non cadere, qui se aliquando etiam à licitis cautè restringit.* Imò vel ethnicos Sapientes consulat: & mentiar, nisì nomine omnium Plutarchus in eandem sententiam respondebit: *neque ab absurdis, & damnosis*

voluptatibus temperare animum posse, qui non antea sæpenumero licitam earum fruitionem contempserit; neque turpia lucra facilè respuere illi esse, qui non eminus studium lucri, & habendi cupiditatem ex animo exciderit. (*De Gen. Socr.*)

6. Atque hæc dicta ex abundanti sint: nam cæteroqui, etiamsi daremus, eum, qui terrena appetit bona, nunquam ea appeturum, neque justo vehementiùs, neque nisi in materia, unde omnis culpa abest; quotus tamen quisque non videt, hunc ipsum illius affectum, esto moderatum, atque innoxium, nec penitùs repugnantem amori divino, fore nihilominus solidæ hujus perfectioni contrarium? Rationes certè, quas initio attuli, utpote universales, nec ad vitiosos tantummodo affectus contractæ pergunt, & sub conditione modò posita suam vim obtinere. Pergit prima: cùm terrenus quivis amor, tametsi omnino insons, in diversum à DEO objectum feratur, animámque aliorsum à DEO avocet: quod manifestò idem est, atque eandem impedire, nè perfectè, & ex toto corde suo illum amet. Pergit itèm secunda: etenim, cùm DEI Filius, utì aliquid universè melius, sibíque magìs gratum suaserit, ut præsentis vitæ bonis, voluptatibus, divitiis, honoribus, eti-

am quando eorum usus, affectúsque expers culpæ est, remitteremus nuntium; cui sufficit eorum usui, & affectui nuntium remittere, quando solùm is affinis culpæ est; non eligit utique in omnibus, quod DEO magis placet, nec proinde, quantùm posset, & par esset, eum amat. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, (1. *ad Cor. c. 6.*) ajebat D. Paulus, rite indicans: non quidquid licet, esse etiam perfectius.

7. Sed quorsum diutiùs in re adeò manifesta immoramur? Ad eam ultimò terminandam, & extra omne dubium ponendam, satis sit dixisse, hunc erga res terrenas affectum, illum esse proprium sui amorem, quo nihil vehementiùs à vitæ Christianæ magistris incusari, & reprehendi audimus: hunc illam cupiditatem, quàm justissimè Apostolus (*1. Tim. 6.*) *Radicem omnium malorum* vocavit, cùm nullum revera sit pravum facinus, nullum æternæ salutis impedimentum, nullum pestis, & exitii spiritualis genus, quod indè non pullulet: hunc denique illum hostem, quo nullum capitaliorem, & infestum magis experitur amor divinus: imò qui unus assiduè bellũ ei infert, cladésq; nunquã desinit, atque extremã perniciem moliri. Quare & ipse pi-

nihil eo odit gravius, nihil insectatur vehementius, omnes contra illum suas vires, artes, & conatus depromens, & certus non ante bello absistere, quàm eum cum suis omnibus copiis ad internecionem deleverit.

8. Quæ cùm ità sint, æquum profectò est, ut quisquis in divini amoris castris meret stipendia, idem & ipse odium, eosdémque animos contra hunc implacabilem illius adversarium concipiat: nullam cum eo, non dicam pacis, sed nec induciarum mentionem admittens, sed infestis usque armis illi instans, & nihil studii, laborisque intentatum relinquens, ad eum penitùs suo è corde excindendum. Et multæ sunt artes, quæ ad intestinum hoc bellum adjumento esse possint; sed duas mihi attulisse sat fuerit, præcipuæ inter alias efficaciæ, omniúmque instar, si sedulò usurpentur, futuras: theoreticam unam, quæ intellectûs armis proprium sui amorem oppugnat, eáque est perexigua, imò nulla æstimatio terrenarum rerum, quas fucosa boni specie seductus appetit. Practicam alteram, quæ ad eundem profligandum voluntatis operâ utitur, eáque est acerrimum studium, semper, & in omni vitæ actu contra illius propensiones tendendi. Philosophica est prior, cre-

brísque etiam ethnicorum Sapientum celebrata sermonibus. Euangelica altera, à Verbo divino in terras primùm delata, neque nisi Christianorum propria. Illa proprium sui amorem remotè solummodo, & consequenter aggreditur, tollendo nimirum à terrenis ejus objectis veri, & solidi boni speciem, qua sublata necesse est eorum quoque appetitionem deficere. Hæc cominus, & collato pede eum in semet ipso adoritur, tot quodammodo ei vulnera infligens, quot actus illius placitis adversantes instaurat. Ibi divina potiùs, quàm violenta, & acris pugna est, utpote quæ non nisi in quieta veri speculatione consistit. Hìc vehementi luctamine, & toto virium nisu opus est: quippe ubi validissimi aggrediendi, & profligandi sunt naturæ perduellis instinctus. Explicemus utramque aliquantò distinctiùs, ut facilior deinde, & fructuosior probè intellectarum sit opus.



CA-

CAPUT XIX.

Explicatur propositarum artium prior, vilis nempe, imò nulla æstimatio bonorum præsentium, ad quorum desiderium à perverso nostri amore incitamur.

PRima itaque ars ad perversum nostri amorem extinguendum apposita erit, omnem ab animo ejicere illorum æstimationem bonorum, quæ ipse pro desideriorum suorum objecto, & pabulo habet: observando ad sincerum humanæ rationis, nedum fidei lumen, quàm exigua, inanis, deficiens, & majori odiosarum qualitatum amaritudine infecta eorum jucunditas sit, quámque in malorum sint potiùs, quàm bonorum numero habenda. Quæ ars, utì nihil in iis, unde appeti mereantur, relinquit; ità sola ad omne eorum desiderium abolendum sufficeret, si hæc in nobis ex unica oriretur mentis hallucinatione in iis concipiendis, tanquam valde appeti dignis; non verò ex perversa itidem voluntatis propensione ad quærendum id, quod quæsitu esse indignum fatetur; adeò ut

nîl dubitet palàm conteſtari : *Video meliora, probóque, deteriora ſequor.* Sed enimvero, quamvìs bruta hæc ad malum cognitum proclivitas noſtram artem impediat, nè effectum ſuum certè, & ubique aſſequatur; non tamen ei obſtat, quin plerumque, & magna ſaltèm ex parte illius compos evadat. Quantumcunque enim vitiata per primi parentis culpam voluntas hominis ſit; vix tamen unquam accidit, ut *deteriora ſequatur*, cùm evidenti in lumine, & certo cum judicio *videt meliora, probátque.* Sed hac ſolùm de cauſa in ejuſmodi perverſitatem prolabitur, quia neque meridiana cum perſpicuitate melius à deteriori diſcernit; neque illud ſubluſtre veri jubaracriori mentis intentione reddere ſibi clarius laborat: quin contra (quod incontinentium eſſe proprium Ariſtoteles notat) ab eo ipſo deditâ operâ obtutum avertit: quò nimirum, per voluntariam id genus caliginem poſſit liberiùs deteriora complecti. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* (*Pſ.* 35.)

2. Proderit itaque ad examen interdum vocare, & ſuis rite momentis perpendere, quidnam demum ſint hæc præſentis vitæ bona, ad quæ naturalis appetitus tanto nos impetu, atque pondere inclinat, & quorum ef-

fræ-

frænis cupido tam ferali universum latè orbem scelerum, malorúmque omnis generis eluvione obruit. Ut à divitiis, quæ principem inter illa obtinent locum, imò quoddam quasi summarium eorum omnium sunt, initium petatur; dicat mihi, age, qui eas inprimis miratur, atque appetit, quinam proprius, & peculiaris earum fructus sit? Num se possidentem victu, vestitu, cubili, domicilio, & aliis id genus vitæ humanæ subsidiis instruere? Neutiquam certè: cùm palàm sit, ad hæc omnia vel mediocres fortunas sufficere; neque simplicibus naturæ desideriis jucundiùs satisfieri ab eo, qui plus opum possidet: imò, ùt rite Xenophon probat, (*In Hierone.*) ordinarii, & vulgaris censûs homines divitibus hac in parte antecellere. Nam, sive attendatur vestitus; & commodiùs, expeditiúsque illo tegitur, cui sufficit idoneum ad propulsandas quomodocunque temporum injurias gestare, quàm qui ad divitiarum ostentationem phaleris exornatus incedit, visu quidem magnificis, sed æquè usu molestis, & ferenti onerosis: sive æstimetur victus; & hoc parabili, ac simplici, longè suaviùs naturam explet, qui pauperum instar frugali mensæ assuetus, nunquam sinè integra,

&

& recenti fame ad eam redit; quàm exuperanti suarum epularum copiâ fruatur, qui ventre semper saturo, & palato propter quotidianæ consuetudinis quasi callum ad delicias percipiendas obtuso moris penè potiùs, quàm naturalis indigentiæ causâ iis accumbit: sive demum somni ratio habeatur; & nemo non videt, quantò hunc itèm in qualicunque lectulo & celeriùs inchoët, & quietiùs continuet, qui laboribus, & ministeriis pauperum propriis necessarium fesso corpori reddidit; quàm delicatas inter plumas, & serica aulæa, qui diem totum per inertiam vix somno dissimilem luxù marcidus, nec ulla re alia, nisi otii sui tædio fatigatus transegit. Si ergo, quantùm ad usus, & oblectamenta naturæ, nihil habet fors divitum, quo inopum conditioni antecellat; ubinam tandem illius pretium consistet? Dicam compendio: In hoc totum consistit, ut plus homo possideat, quàm usui sibi sit ad commodè, hilaritérque vivendum. Et testem hujus pronuntiati mei habeo Scopam illum Plutarchi, (*De Cupid. Div.*) qui, rogatus à nescio quo, vas argenteum, tanquam ipsi plurima alia ejusdem generis habenti minimè necessarium; quid? roganti respondit: itáne ignoras, si nihil præter necessa-

cessaria possiderem, desiturum me divitem esse: útque sim talis, vel iis opus habere, quæ supervacua cæteroqui ad vitæ usus homini sunt? Verissimum sanè responsum, & unde ipsi quoque promptum erat colligere, quàm frivola, & nullius pretii opulentia sua esset: dum fassus est: non aliò eam revocari, quàm ad supervacua, & quorum unicus possidenti fructus sit, quòd ea possidere vulgò jactetur.

3. Verùm fac præter pompam, atque externum splendorem, aliquid etiam solidæ utilitatis afferrent divitiæ; facilè tamen huic præponderarent tum curæ, quas rei tam caducæ, tótque insidiis expositæ conservatio requirit; tum mœrores, queis Domini animum toties sauciari necesse est, quoties jam unam, jam alteram earum partem pro inevitabili humanorum casuum varietate sibi videt deficere: curæ enimvero, & mœrores adeò experienti molesti; ut & Ethnicorum complures nullis earum fructibus noxiam hanc appendicem compensari sat posse arbitrati sint, & subductis utrinque rationibus tranquillam demum paupertatem inquietæ opulentiæ prætulerint. Qualem inter cæteros Anacreontem Poëtam accepimus: (*Stob. Serm.* 77.) qui cùm à Polycrate Sami Domino auri ta-

talentum pro carminibus ſuis accepiſſet, & continuò, tanquam uni ſibi nominatim dictum, expertus eſſet illud: *Acquiſiſti aurum, perdidiſti ſomnum*, (*Tr.* 10. *in Ep. Joa.*) quod de ſimilibus hominibus universè dein ſcriptũ à D. Auguſtino eſt. Plures ſiquidem noctes ſomni expertes traduxit, ſolicita cogitatione ſecum diſquirens, ubinam recens aurum collocare, & impendere utiliùs poſſet. Donec ab experientia edoctus, quàm carò ſibi ſuum lucrum conſtaret, iratúſque tam importuno muneri, faceſſere è domo ſua illud juſſit, Polycrati quamprimùm reſtituens, cum hoc epiphonemate: *Odi munus, quod vigilare cogit.*

4. Non magno igitur conatu, & labore opus eſt, ut prudens quilibet rerum æſtimator rite obſervatis, & ſedulo examine apud ſemet ipsũ perpenſis fructibus, quos divitiæ corpori afferunt, indè curis, & angoribus, queis animum aſſiduè perturbant, illis tam exiguis, hiſce tam moleſtis, & gravibus, eas ſibi contemnendas, miniméque amandas exiſtimet. At non æquè promptum factu multis videbitur, ſenſuum quoque voluptates ità contemnere, ut bona, quibus natura vix aliud quidquam vel ſuavius experîtur, vel concupiſcit ardentiùs: adeò ut opinio, ſummum ho-

hominis bonum in ipsis constituens, plus quacunque alia approbationis, & sectatorum invenerit. Sed plurimum tamen ad minuendam corporearum voluptatum æstimationem, atque amabilitatem valet, quòd, quæ ex illis maximè oblectant, extra legitimi connubii cancellos, illicitæ sunt, sordidæ, infames, erubescendæ, & nimiùm quantùm homini indecores, quem rationis penè usu, & innata arbitrii libertate exutum brutis quàm simillimum reddunt. Adde, quòd nihil est earundem vel moderatione difficilius, vel intemperantia perniciosius, & miserum magis. Nihil primâ difficilius: deguſtatæ enim, prout verissimè animadversum à Philosopho est, aviditatem sui non extinguunt, sed acriùs inflammant: (L. 3. *Eth. c.* 12.) *Insatiabilis rerum jucundarum appetitus dum expletur, crescit.* Neque earum aviditas qualiscunque est, sed furiosa, præceps, vesana, & tantùm non violenter secum abripiens voluntatem hominis, qui sæpe obsecutus ei fuerit. Præsertim quòd hic, cùm exuperanti illarum dulcedini assueverit, parum sentit, & pro insipido habet quodcunque aliud delectationis genus, neque inducere animum potest, ut sinè consueto, unicéque jucundo sibi pastu vivat, sed

omne

omne tempus, quo illum non guſtat, triſte ipſi, ingratúmque, ac penè intolerandum videtur. Quòd verò intemperanti earundem uſu nihil pernicioſius ſit, & miſerum magis, manifeſtè demonſtrat infeliciſſima tum vivendi, tum moriendi ratio eorum, qui ſe illis totos addixerint: vivendi quidem ratio belluæ convenientior, quàm homini, omnis dignitatis, honorificæque apud homines æſtimationis expers, ſpiritualium rationalis appetitûs voluptatum penitùs neſcia, turbulentis animi motibus diu, noctúque agitata, crebris cruciatibus, & morbis infeſta, cujúſque infelicitas nequeat ab homine, qui eam experitur, non identidem animadverti; vel animadvertenti non acrem doloris ſenſum, & triſte ſui tædium afferre. Moriendi autem ratio ferè ſemper præmatura, non rarò violenta, & plerumque non aliud, quàm feralis ab interitu temporario ad ſempiternum tranſitus. Quocirca deducturus ab errore ad ſaniorem mentem eos, qui voluptates prædictas non nisi ſecundùm illecebroſam earum ſpeciem intuentur, magníque ideo boni, & inprimis expetendi locò habent; unum ex iis aliquem, quicunque demum ille ſit, hoc dilemmate urgendum ſuſcipio: vel habes in ani-

animo, hujuſmodi voluptates non nisì parcè, ac temperanter deguſtare, quantùm nempe valetudinis ratio, bonæ exiſtimationis cura, & nonnulla æternæ incolumitatis ſpes ferat; tuúſque ille guſtus, intrà pauca momenta evaneſcens, non modò te minimè explebit, ſed novam potiùs in tuo naturali appetitu excitabit cupiditatem, eodem pleniùs deinceps, atque effuſiùs fruendi; cui tamen cupiditati prædicti tres valetudinis, famæ, & ſalutis ſempiternæ reſpectus te indulgere non ſinent: atque hoc pacto delectatio tua quidem erit breviſſima, cruciatus verò ſitis ex ea ortæ perpetuus. Vel contrà mens tibi eſt, nullum prorſus effrænatis ſenſuum libidinibus modum ſtatuere, ſed intrà lutulentam earum colluviem collotenus te immergere, aſſiduéque, quantùm poſſis, in iis volutare; & quid aliud hoc fuerit, nisì immundæ ſuis potiùs, quàm hominis vitam agere; totius orbis probrum, & fabulam fieri; valetudinem, quæ omnis voluptatis fundamentum eſt, prorſus peſſumdare, æternæque ſalutis negotium in extremam propemodum deſperationem adducere? Nè interim Rivalium æmulationes, furias, atque odia, ſolitáſque ex his conſequi inſidias, rixas, & cæ-

des commemorem, quarum in præsenti discrimine necesse tibi erit continenter versari. Unde ad extremum colligas licet, num oblectamenta hujusmodi terrenæ beatitudinis genus sint, pellicere ad sui amorem idoneum; an potiùs tetra quædam orci species, absterrendi, fugandíque vim habens, qui sincero se obtutu perlustrant.

5. Si porrò à vetitis hisce, & tactûs propriis voluptatibus, in quas præcipuè tanquam in pabulum sibi ex omnibus maximè arridens appetitus sensibilis fertur, ad alias, quæ visu, auditu, olfactu, gustúque percipiuntur, libeat mentis aciem reflectere; hæ præterquam quòd remissiorem oblectandi vim habent, conveniunt ipsæ quoque cum prioribus in morbosa illa conditione irritandæ potiùs, quàm explendæ cupidinis. Atque utinam non nisi in propria sui ipsarum, quæ insons plerumque est, materia eam irritarent. Sed progrediuntur ulteriùs ad excitandam vetitarum quoque voluptatum sitim: usque adeò mediocri sua dulcedine, ad sapidiorem illarum jucunditatem anhelandam provocantes, ut prodigii instar foret, si quispiam, concessis voluptatibus avidè, & quantum potest, genium suum explens, ab omni

se tamen inconcessarum usu abstineret. Resumpta igitur, qua paulò antè usus sum, argumentandi ratione, sic iterum insto. Vel certum tibi est nullas voluptates gustare, nisi quibus incolumi divinâ amicitiâ frui licet; vel nullam hujus rationem ducere, dum quovis earum genere ad plenum te ingurgites. Si posterius, jam tibi luculenter ostendi, quam ea vivendi conditio exhorrescenda potiùs cuilibet sit ob gravissimas, quibus scatet, miserias, quàm ulli appetenda mortiferæ jucunditatis suæ causâ. Sin verò primum, nec multùm frueris, nec diu, cùm mediocris, & intrà breve tempus deficiens sit earum voluptatum dulcedo. At contra perpetuis, violentísque oppugnationibus à vetitarum voluptatum appetitu infestabere: oppugnationibus nimiùm quàm molestis homini, spiritualia bona, & mala dignè æstimanti: ratione tum formidolosissimi discriminis, quod illi imminet, nè in feralem divinæ inimicitiæ, æternæque mortis reatum intestino ab hoste præceps agatur; tum assidui, intensíque conatûs, quo indiget, ut illius aggressiones repellat, séque à lapsu tam immani contineat. Quapropter continuus & resistendi labor, & succumbendi timor molestiam tibi pa-

pariet, longè omnes prædictorum ſenſuum delectationes, quà pondere, & vi, quà temporis tractu excedentem. Neque omnibus rite perpenſis quidquam ultra obſtabit, quin colligas, voluptates corporis quacunque inſpiciantur, *plus aloës, quàm mellis habere*: indignas propterea, ut vir prudens vel earum affluentiam ulli invideat, vel magni aliquid boni à ſe repudiari arbitretur, dum virtutis, ſapientiæque ſtudio valere illas jubet: cùm revera nihil aliud relinquat, niſi illam *vanitatem, & afflictionem animi*, quam Salomon teſtatur ſe nactum, poſteaquam profundæ inſtar charybdis tantum ex iis deglutiſſet, quantum inexpletæ voracitati ſuggerere tota florentiſſimi regni opulentia potuerat: prout ejus verba declarant: *Quis ità devorabit, & deliciis affluet, ùt ego?* (*Eccl.* 2.)

6. Nobiliores voluptatibus ſenſuum, nec humano minùs appetitui jucundæ ſunt, quæ ex gloriæ ſplendore, ex nominis celebritate, & plaudentis famæ aura proveniunt: ùt videre eſt in tam multis, quibus hæc merces nihil non laboris leve, nihil non incommodi ſuave, nihil non periculi contemnendum facit: quantumcunque tamen ſingularis, & incantamento ſimilis efficacitas ſit, qua honori

dul-

dulcedo rapere, & occupare animos cernitur; nihil illâ est, si rationis in trutina perpendatur, vanius, nihil incertius, nihil majori inquietudinum, & molestiarum amaritie dilutum. Vanissimam primò appellavi, tum quia ex falsa imaginatione oritur, qua nobis fingimus, omnium hominum mentes in nos esse conversas, nostrísque in rebus admirandis, & celebrandis assiduè occupari: cùm revera pauciſſimi in mundo sint, qui compertos nos habeant, paucioréſque, qui de rebus nostris aut magnificè sentiant, aut nisi rariſſimè, obitérque cogitent, aut loquantur; tum quia, etsi omnium mentes, & linguæ in nulla unquam re alia, præterquam in nostri æstimatione, nostrísque laudibus occuparentur; illa tamen æstimatio, illæque laudes nihil denique aliud sunt, nisi bonum nobis extraneum; nec magis idoneum ad minimam utilitatem seu animo afferendam, seu corpori, quàm idoneæ ad pascendos convivas cereæ, sericæve epulæ forent, queis nonnunquam suas cœnas instruxisse Heliogabalus fertur. (*Lamprid.*) Adeò ut nostram lætitiam, & felicitatem in ejusmodi bono constituere non minoris amentiæ sit, quàm si eam in umbra aliqua constitutam vellemus, aut somnio.

7. Adde, quòd præter futilitatem modò dictam, nihil est hoc eodem bono, ac proinde etiam voluptate, quæ indè hauritur, quantùm ad durationem incertius, imò etiam ad conversionem in contrarium proclivius. Cùm enim omnis nostra gloria multitudinis judicio, & favore nitatur; quotusquisque non videt, quàm nullius stabilitatis, & pronum in ruinam sit hoc illius fundamentum, quámque ex facili possit contingere, ut illi ipsi, qui nunc nos mirantur, & secundis in cælũ plausibus ferunt, repentè, cúmque id minimè expectamus, seu malignis adversùm nos invidorum sermonibus creduli, seu quòd offensos se à nobis in re aliqua existiment, seu quavis alia de causa diversum erga nos animum induant, aliis nos deinceps oculis spectent, alios de nostris rebus sermones instituant, transeuntes ab honore ad contemptum, & ab amico laudandi studio ad iniquam obtrectandi libidinem? Et ecce tibi nostram illam gloriam adeò sublimem, ac splendidam, quæque Babylonici instar colossi videbatur fronte cælum contingere, quia super fragili base insistebat, temporis momento labefactatam, fractaque pulvere, & luto submersam. Ut proinde, qui felicitatem suam in æstimatione, & fa-

fama hominum ponunt, videantur iis ſimiles, qui, teſte Plinio, divitiarum ſuarum decus in cryſtallinis vaſis ponebant, facillimis ſubitò in fruſta comminui, ſuúmque poſſeſſorem ex opulento inopem reddere. *Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria, habere, quod poßit ſtatim totum perire.* (*Præf. L. 5.*)

8. Unde porrò tertium prædictæ voluptatis vitium ſubſequitur, adjunctarum nempe, & vix non eam penitùs majori ſuo pondere obruentium, moleſtiarum permiſtio. Quid enim? Nónne ejuſmodi ſunt timores, quos inter gloriæ amatori ſemper vivere neceſſe eſt, ut in præſenti, & aſſiduo verſetur illius amittendæ, aut ſaltèm minuendæ diſcrimine? An non ejuſmodi quoque ſunt amariſſimi invidiæ ſtimuli, quibus jam hujus præconia audiens, jam illius incrementa aſpiciens, fodicari ſibi animum ſentit, coactus timere, & tanquam adverſarios intueri præſtantiſſimos quoſque hominum in terris viventium, nimirum eos omnes, qui eminentiori virtute, atque gloria officere ſuis luminibus poſſunt? An non talis denique eſt duriſſima alienis judiciis, atque arbitriis ſubjectio, cujus ferre jugum compellimur: nunquam audens ingenui, & liberi hominis ritu palàm

se prodere, sed meticulosa dissimulatione interiores animi motus celans, inque omni externo vitæ actu cautissimè se ipsum circumspiciens, nè fors aliquid minùs considerate dicat, aut faciat, suæ famæ minùs respondens; & unde, qui adsunt, illius despiciendi occasionem possint sumere: nec minori studio laborans omnibus obsecundare, omnes revereri, ad omnium mores, propensiones, atque ingenia se totum componere, quò vicissim sibi omnium voluntatem, favorémque conciliet? Profectò, etsi honor bonum esset, non quale illud ratio demonstrat, imaginarium, & futile, sed solidis, certísque, & eximiis fructibus scatens; adeò tamen tristis, atque onerosa hæc est agnatarum ei solicitudinum, & indignitatum appendix; ut nemo, quem aliquis sensus libertatis, & quietis suæ tangit, deberet tam carò emptum velle. Et hæc quidem valent, ubi etiam de vero honore agitur, & legitimo, qui homini ob interiores suas dotes defertur, éque justa illius meritorum, virtutúmque, & rerum gestarum æstimatione oritur. Nam, quod ad honorem spectat merè externum, qui personis potentibus non aliâ, nisi fortunæ causâ exhibetur, inque pervulgatis tantummodo reve-

rea-

rentiæ significationibus totus consistit, sinè ullo interim erga illas observantiæ sensu, imò etiam persæpe cum vili earundem æstimatione, & contemptu; nemo non videt, quàm nullius pretii sit, quámque nullam oblectandi, & capiendi vim habeat, nisi mentes fatuas, veri inanes, & stolidæ fumo superbiæ obcæcatas.

9. Examinandum jam subit, numquid saltèm principalis fortunæ, & dominationis potestas mereatur, insigni quapiam sua dote hominum ad se studia, & desideria pellicere? Et videtur profectò mereri; cùm nimis quàm volupe homini sit, nullius imperio subesse, imò & plures populos suo imperio subjectos habere: adeò ut non plenam solummodo libertatem obtineat, faciendi quæcunque voluerit; sed pari etiam vi polleat, cogendi alios ad facienda, quæcunque imperaverit: nemine interim existente, qui suæ voluntati obluctetur, illiúsque executionem præpediat. Jucundissimum esse quidem id fateor, neque idcirco negaverim, optabilem, quàm quæ maximè fortunam principum fore, si hoc tam felici privilegio gauderet. Sed quem, rogo, unum inter populorum rectores, & terrarum Dominos ulla mundi ætas vidit,

tanta opum vi ſubnixum, adeóque omnipotentis arbitrii, ut ejus placita nullum obicem unquam offenderent, ſed plano omnia, & æquabili curſu ad propoſitum ſibi finem pervenirent? Itáne non advertimus, hujuſcemodi decus humana conditione altius, uniuſque proprium DEI eſſe, *cujus voluntati nemo poteſt reſiſtere*? Cedo igitur mihi ex terrenis principibus maximum. Quantacunque is nitatur potentiâ, cùm mortalis tamen ſit, multa ejus conſilia, vel ex inſtrumentorum defectu, vel ex miniſtrorum inertia, vel ex improviſa fortuitorum caſuum vi in irritum cadent: multa quoque illius rationibus, & votis adverſa, eo fruſtrà obnitente contingent. quos inter eventus humanis ſanè in rebus creberrimos, qui voluntati propriæ vehementiùs ſtudet, *quódque vult, nimis vult*; fieri non poteſt, quin perturbetur animo, iráque efferveſcat, & potiorem ævi partem inquietus, atque æger traducat. Præſertim quòd ſucceſſuum votis arridentium voluptas neutiquam eſſe tam ſenſibilis ſolet, quàm adverſorum mœror: utì exemplo eſſe poteſt Antiochus Rex Syriæ in ſacra Machabæorum hiſtoria, qui, quòd ſiniſtro eventu multatæ deſtinationes quædam ſuæ eſſent; (L. 1. c. 6.)

De-

Decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei, sicut cogitabat, & arbitratus est se mori. Ad quæ omnia demum accedit, quòd ut aliquis arbitratu suo vivat, haudquaquam satìs illi est, imperii potestatem obtinere in reliquos homines, nè horum quispiam voluntatis suæ effectionem impediat; sed necesse adhuc habet, intestinis affectionibus suis dominari, nè indomita earum vi operari cogatur contra id, quod cæteroquin utilius sibi esse intelligit, & ùt tale rationali appetitu suo vellet. Quo interiori dominatu non omnes potiuntur, qui è solio dant populis jura, servi non rarò suarum libidinum, neque valentes tyrannicæ earum potestati resistere, quin multa violenter, & contra superiorem voluntatem suam actitent.

10. Nec secùs de mentis, atque intellectûs oblectationibus ratiocinandum videtur. Quamvìs enim multum hæc voluptatis percipiat ex libero cogitationum per promiscua quæque objecta discursu, éque curiosa ignotarum quarumvis rerum indagine; illa tamen, quantacunque sit, voluptas majoribus ei constat dispendiis. Nam, quod ad curiositatem omnia investigandi, noscendíque attinet; vel hæc circa universalia quidem, sed supervacanea

nea veri arcana versatur; & quidquid temporis, studiique in iis ponit, necessariorum, magisque utilium inquisitioni subtrahat necesse est; vel peculiares aliorum hominum eventus, atque facta pro pabulo habet; & communis usus luculenter demonstrat, quanta suspicionum, odiorum, irarum, idque genus noxiorum affectuum seges ex inutilibus iis notitiis progerminet. Quantùm verò ad effrænatam cogitationum libertatem, præsertim ubi illæ futura præsagiunt, vel purè possibilia, & nunquam futura per ludicram, somnisque simillimam imaginationem tanquam præsentia sibi exhibent; præterquam quòd ea mentis occupatio, mera boni otii jactura, puerilis levitas, & vana sui ludificatio est, etiam plures affectus perversos, putà inanis gloriæ, vel concupiscentiæ, aut ambitionis excitare, ac fovere consuevit; aliud itèm nec exigui sanè ponderis damnum animo parit: nimirum: quòd permittens aliquis suas cogitandi, & imaginandi facultates, quacunque sibi libeat, vagari, difficillimum experitur, easdem licentiæ illi assuetas, ubi usus sic poscat, refrænare, & ab objectis suæ quieti contrariis abducere. Quò fit, ut ejusmodi homines, si fortè injuriâ, vel calamitate aliqua afflic-

affecti fuerint; cernantur plurium horarum ſpatio, imò etiam ſolidos nonnunquam dies in odioſa illius mali imagine defixi hærere; nec poſſe, quantumcunque conentur, illius ab aſpectu mentis oculos aliorſum convertere; ſed velint, nolint, eam ubique præſentem habere, & amariſſimum indè perturbationum, irarum, ac mœrorum fel ſugere: luentes hoc pacto cum majoris triſtitiæ, & inquietudinis fœnore dulcedinem illius libertatis, cui ſeſe inconſultè dediderunt.

11. Quiſquis ergo inhærentia hæc pertenui bonorum mortalium jucunditati mala ſolerti, & repetito pluries examine apud ſemet ipſum perpenderit; næ non magno is negotio ad omnem eorum æſtimationem, cupiditatémque exuendam induci ſe ſinet: parum, imò nihil inter illorum affluentiam, atque inopiam diſcriminis ponens, neque magno virtutis conatu indigere ſe putans, ut iiſdem, quandocunque ſinceri alterius, & ſolidi boni ratio poſtulaverit, nuntium remittat.

)(o)(

C A-

CAPUT XX.

Exponitur altera ars, profligando terrenorum bonorum amori utilis: perpetuus nempe usus ubique contra ipsum tendendi, per abdicationem omnium, quæ ipse appetit, & consectationem omnium, quæ ipsi aversatur.

QUantamcunque considerationes modò dictæ vim habeant, purgandi animum à præsentium bonorum cupiditate, nulla earum tamen necessaria homini est, qui DEUM ex toto corde amat. Nempe hic, juxta D. Teresiæ sententiam, (*In Vita c. 5.*) probro sibi verteret, inducere animum ad terrena bona abdicanda, eorum vilitatis respectu: perinde quasi amor divinus ad eorum abdicationem, etsi maxima, & maximi pretii essent, sibi persuadendam, non abunde unus sufficeret. Quapropter neque admodum curæ habet attendere, cujusmodi suopte ingenio magna, an exigua, longi, an brevis ævi, sincera, an qualitatibus odiosis infecta illa sint: sed horum omnium consideratione ablegata

pro

pro validiſſimo, unicóque ab iis abhorrendi incitamento habet; quòd, quantò plùs anima illorum amore, & deſiderio occupatur, tantò minùs DEUM diligit: imò quòd eorum cupiditas, ubi admiſſa in animam fuerit, non ſolùm impedimento eſt, nè amor divinus plenum ibi dominatum obtineat, verùm etiam eum indè omnino exturbare contendit: aſſiduè nimirum nos ſtimulans ad quærenda ſua bona, etiam quando illa quæri divina lex prohibet: adeò ut nullum patretur crimen, neque unquam DEUS offendatur, nisì ejus ſuaſu, impulsúque. Quibus animadverſis, nequit ſanè, qui ad perfectum DEI amorem toto corde, & tota mente collimat, ferre in ſe ipſo affectionem adeò ſuis votis, ſtudiiſque contrariam: ſed implacabili eam odio proſequitur, ſexcentíſque à tartareis ſpiritibus occupari ſuum corpus, quàm ab ea inſideri animum mallet: nec proinde ſatìs habet, aliquatenus eam moderari, ſed, quantùm in ſe eſt, ad nihilum redigere, & funditus abolere contendit: *Non ſolùm miſeriarum ramos amputando, ſed & omnes radicum fibras evellendo*, prout de hac materia ſenſit, ſcripſitque ethnicus Sapiens. (*Cic. L. 3. Tuſcul.*)

2. Jam

2. Jam verò, ad hunc finem consequendum, mirum quantum conducit posterior ex commemoratis suprà artibus: ejusmodi scilicet praxis, atque ratio vivendi, ut præsentis ævi bona non modò non quæramus, cùm divinæ illa legi adversantur; sed neque, quando ab hac permittuntur: neque solùm parcamus ea quærere; sed omni nos insuper eorum usu, & possessione exuamus: imò ad ulteriora etiam progredientes, præter hujusmodi eorum repudiationem, & fugam, quæ penitùs contraria illis sunt, ubique eligamus; locò divitiarum v. g. pauperiem, locò voluptatum, quæ dura, & molesta sunt corpori, locò honoris, gloriæque ignominias, atque ità de cæteris. Ars, ùt dixi, mirè efficax ad omnimodam extirpationem terrenorum affectuum, neque hominibus cognita, priusquam Verbum divinum in terras delaberetur, sed mox ab eodem, nostram carnem, atque speciem induto, disertissimè in sacris Euangeliis proposita. Libétne in aliqua particulari materia ipsismet illius verbis inculcatam audire? *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus. Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* (*Matt.* 19. *Luc.* 14.) En consilium de

prx-

præhabenda paupertate divitiis. *Væ vobis, qui saturati estis. Væ, qui ridetis nunc. Contendite intrare per angustam portam. Qui vult venire post me, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* (*Luc. 6. 13. & 9.*) En commendatam fugam rerum mollium, durarúmque appetentiam. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor. Væ cùm benedixerint vobis homines. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate.* (*Luc.* 6. & 22.) En documenta, honorem fugiendi, & sui contemptum amandi.

3. Nisi quòd pro singulari, & eximia hujusce artis efficacitate, parùm fuit cælesti Magistro, suomet illam ore promulgâsse inter homines; sed ipse quoque illius normam, & prototypon iisdem in se exhibere voluit: ùt fidem faciunt gravissima omnis generis mala, contumeliæ, insectationes, opprobria, labores, ærumnæ, cruciatus, sponte ab eo, tum totis triginta tribus pauperrimæ, & humillimæ vitæ suæ annis, tum in acerbissimo, ignominiosissimóque suo obitu exhausta: quæ ut pati ultro vellet, nullam videtur ha-

buisse validiorem causam, quàm studium incitandi exemplo suo homines ad illam & fugam bonorum, & electionem malorum præsentium, ad quam eos medicinæ, & salutis suæ causâ hortabatur: perinde quasi eorum unicuique dicens: Quid vultu trepido mussas, *durus est hic sermo: & quis poterit eum audire?* Nè illum, quantumcunque tibi salubris, & necessarius sit, audiendum puta, nisi à me priùs, quantumcunque durus sit, re ipsa impletum videris. Nihil tibi præscribo, quod periclitaturus non sim. *Prior vado per ea, quæ sustineri non posse prætendis. Si præcipientem sequi non potes, sequere antecedentem.* (Lact. L. 4. c. 24.) Nam cæteroqui, si nostra duntaxat redemptio attendatur, quidnam, rogo, ad quantamcunque hujus plenitudinem necesse erat illum, seu post novem menses in materni uteri carcere exactos debilem infantulum nasci; seu ad trigesimũ usque ætatis suæ annum servilibus tabernæ lignariæ ministerii manus impendere; seu demum infami patibulo affixum durissimos inter cruciatus mortem obire? Numquid non potuisset vir adultus, cum que pompa, & majestate DEI Filio consentanea, in terris primò apparere, & postquam unum hìc, alterúmve annum, divinis ab-

gu-

niverſo humano genere honoribus cultus, in ſumma bonorum omnium affluentia duxiſſet, unius lacrymulæ effuſione, quæ non minoris, quàm totus ſanguis ſuus pretii erat, mundum univerſum, imò & ſexcentos, ſi tot forent, mundos redimere? Potuiſſet haud dubiè; ſed quia intelligebat, parùm utilem hominibus fore veterum abſolutionem criminum, nisi caveretur, nè iiſdem ſeſe denuo illigarent; rursúſque intuebatur nullam certiorem id præcavendi rationem eſſe, quàm ſi extingueretur in eorum animis amor bonorum præſentium, unica nempe omnium criminum cauſa; neque alio efficaciori modo hunc extingui poſſe, quàm per actus ipſi omnino contrarios, reſpuendo ſcilicet bona, quibus inhiat, & conſectando mala, quæ averſatur; ac demum prævidebat, minùs ægre amplexuros homines hujuſmodi actuum praxim, ſi eam à ſe aſpicerent non ſolùm commendatam, verùm etiam re ipſa ſuſceptam; quàm ſi viderent, ſe bonis affluere, quorum ipſis fugam ſuadebat, & immunem omnino malorum eſſe, ad quæ eligenda nos hortabatur: cùm hæc, inquam, omnia probè cognita haberet, præ ardentiſſimo noſtræ ſalutis ſtudio viam nos redimendi iniit, non

quæ sibi esset commodior, sed quæ nobis utilior: omnium hoc pacto vitiorum, criminúmque nostrorum remedium in sola ejus imitatione constituens: adeò ut, juxta D. Augustinum, peccare nemo posset, qui exemplum illius sequi vellet. *Satellites voluptatum divitias perniciosè appetebant. Pauper esse voluit. Honoribus, & imperiis inhiabant. Rex fieri noluit. Contumelias superbissimè horrebant. Omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias esse intolerabiles arbitrabantur. Quæ major injuria, quàm justum, innocentémque damnari? Dolores corporis execrabantur. Flagellatus, atque cruciatus est. Mori timebant. Morte multatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant. Crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes, non rectè vivimus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes, à studio deviabamus veritatis, perpetuo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum aut appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur ea, quæ ille sustinuit.* (S. *Vera Rel. c. 16.*)

4. Reliquum est, ut demonstremus, quantò alia quavis arte efficacior, imò & prorsus necessaria, ad bonorum præsentium amorem nostro in corde extinguendum, hæc sit consuetudo, semper locò illorum, quæ illis con-

us-

traria sunt, eligendi. Et quantùm ad efficacitatem, tam perspicua, & patens illa est, ut probari vix egeat: cùm per se appareat, abolendo cuivis affectui nihil æquè conducere, ac si nunquam, quò propensiones illius tendunt, imò semper in oppositam his partem eatur: quod circa terrenorum amorem bonorum facit, qui in omni vitæ actu, & quidquid charum ipsi est, fugit, & quidquid exosum, sectatur. Necessitas verò satis patebit ex argumentorum solutione, quæ contra illam in aciem produci ab amoris proprii patronis, & fautoribus solent.

5. Et primò quidem longissimè à vero abest, (ità illi disputant) hominem, qui præsentis vitæ bonis utitur, necessariò ab iis capi, & suo amore irretiri. Nimiùm quàm manifestè evincunt contrarium exempla tum Reginæ Esther, puræ adeò, integræque ab omni amore erga regalis fortunæ suæ phaleras; ut testata DEO sit: (*c.* 14.) *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud, quasi pannum menstruatæ*: tum Magni Basilii, de quo revelatum divinitus cuidam Eremitæ est: (*Marul. L.* 5. *Dict. & Fact. Mem. c.* 1.) plus delecta-

tionis ipsum percipere ex blandiendo suæ fo-
li, quàm sanctum illum Præsulem ex toto
Pontificiæ dignitatis splendore: tum denique
omnium communiter DEI famulorum; qui,
licèt à naturæ necessitate cogantur cibo fa-
mem, potu sitim, aliisque remediis alia cor-
poris desideria levare; possunt tamen, ac de-
bent, ceu dictum suprà est, hujuscemodi
mortalis vitæ solatiis uti, citra ullam animi
adhæsionem, & *tanquam iis non utantur*. Si
ergo præsentis vitæ bona habere, & tamen
non amare fas est; quonam pacto verè quis-
quam dixerit, necesse esse, ut ea, qui amare
nolit, vitet, ac fugiat? Demus tamen (argu-
mentari pergunt) necessariam idcirco esse e-
orum abdicationem, ac fugam: cur tandem
una hæc non sufficiat, sed necesse insuper sit,
semper, atque ubilibet consectari ærumnas,
labores, incommoda, contumelias, & quid-
quid malorum iisdem opponitur? Næ hoc
æquè absurdum videtur, ac si diceretur no-
bis, interficiendi hostis causâ, parum esse,
quòd omnem alimenti copiam ei subtraxeri-
mus, nisi eundem præterea ferro, igni, quo-
vis armorum genere adoriri pergamus. Cùm
planissimè constet, quemadmodum nullum
animal, si omni nutrimento careat, poterit vi-

vitam producere, sed hac una de causa, & citra quoscunque alios insultus occumbit; ità nullum quoque affectum, si omni omnino famis suæ pabulo, atque explemento fraudetur, posse in anima vivum permanere, sed licèt nulla alia vis adhibeatur, ex sola inedia sua mori. Denique (tertium est illorum pro sua causa argumentum) amor cujuscunque objecti, quemadmodum non alii innititur, quàm conceptæ animo illius bonitati; ità fieri nequit, ut sinè hoc fundamento vel oriatur, vel duret. Quare ad purgandum cor omni amore erga objecta terrena, nulla re alia opus homini est, nisi ut corrigat species de illorum bonitate intrà suam mentem conceptas, sincero in lumine agnoscens, quàm inanis, & nihili locò habenda præ cælestibus, æternisque bonis ea sit. Quam cognitionem posteaquam suo penitùs animo impresserit; veluti res terrenæ non jam ampliùs, ùt priùs, sub illecebrosa boni specie sese illi objicient; sic necesse non habebit iis nuntium remittere, & locò delectabilium injucundas, atque exosas sectari: sed absque ullis hujusmodi artibus per solam cognitionis diversitatem omnis illico earum amor, & cupiditas in ipsius corde evanescet.

6. Ità sanè illi: Ad quæ argumenta prima, & universalis responsio est: altè insitum, defixúmque in humanæ naturæ penetralibus voluptatis, honoris, aliorúmque bonorum præsentium amorem esse, ut nullo sive actuum contrariorum, sive attentæ meditationis conatu extirpari funditus queat. Alioquin, si nullæ illius fibræ intùs restarent, undenam demũ essent, tot ejus subiti motus, qui identidem & in perfectissimis viris invita, & præventa ratione oriuntur? Minimè, minimè, inquit S. Cyrillus, *fieri non potest, ut insitam carni concupiscentiam eradicemus.* (*Contr. Antrop.*) Cujus sententiæ subscribit Gregorius Nissenus, addens: hominem, qui in mortali corpore vacuus esse à terrenis quibusque affectibus velit, perinde facere, ut si à piscibus volatum exigeret. (*De Beat. in 2. Beat.*) *Fieri non potest, ut in vita materiali affectuum penitùs expers vita exigatur. Nam id perinde est, ac si quis aquatilia ad aëriam vitam traducat.* Unde colligitur, & luculentiùs infrà explicabitur, cùm nullæ amoris erga bona terrena extinguendi artes sufficiant; nullam utique curam esse, quæ studenti hunc quàm maximè in se ipso abolere, possit supervacua videri.

7. Hoc

7. Hoc itaque constituto, quasi communi omnium fundamento, quæ singulis eorum argumentis respondurus jam sum, quorsum mihi ultra jactitant, posse bona præsentia sinè ullo erga ipsa amoris affectu possideri, atque usurpari? Si de affectu penitùs deliberato loquuntur, non abnuo: sin autem de quovis vel furtim suboriente, considerandum iis ipsis relinquo, quanam demum ratione prædicta bona possidens, atque usurpans sinè ullo hujusmodi affectu exacturus vitam sit, quando & ii, qui omnem eorundem possessionem, atque usũ reliquêre; nequeunt tamen ab illo esse penitùs liberi. *Cùm enim* (argumentatur in meam rem D. Hieronymus) *ab iis remoti sæpe capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus; quantò magis, si circumdati retibus voluptatum, esse nos liberos arbitremur? Sensus enim illud cogitat, quod videt, audit, gustat, odoratur, attrectat, & ad ejus rei trahitur appetitum, cujus capitur voluptate.* (*L. 2. contra Jovin.*) At superiora exempla contrarium evincendi vim habent. Nego hanc eis vim inesse: tum quia nihil indè eruitur, nisi juxta distinctionem à me modò allatam; tum quia omnia sunt personarum, quæ usæ sunt præsentis vitæ bonis, non ultro

à se electis, sed sibi violenter obtrusis, neque volentes, & libentes, sed coactæ, invitæque: adeò ut, si minùs re ipsa, at saltèm, quod unum poterant, animo, & voluntate ab illis refugerint. Neque legitima, & probabilis hæc colligendi ratio est, qui coactus terrenis utitur bonis, nullo eorum amore implicatur; ergo idem continget etiam sponte, liberéque illa usurpanti. Sed quisquis hujusmodi enthymema audierit, illius consequens tanquam falsum rejiciet: subdens, manifestum esse inter unum, atque alterum ex ibi comparatis discrimen: cùm prior nihil, quantùm in ipso est, indulgeat affectui naturali erga bona, quibus coactus, nolénsque utitur: quemadmodum ipsi indulget posterior, ultro, & sinè ulla necessitate illum sinens inter ea objecta sibi grata versari. Quin imò novum hinc desumi argumentum ad confirmandam propositionem meam potest. Nam quid, rogo, erat causæ, cur sancti viri cibum, somnum, & alia hujus vitæ subsidia, naturali appetitui jucunda, invito, & reluctanti animo caperent? non aliud profectò, nisi quia indè aut experiebantur oriri, aut timebant, nè orirentur in se motus perfecto DEI amori adversantes. Si ergo hoc illi

illi aut experti, aut veriti sunt in eorum etiam bonorum usu, quibus cæteroqui non nisi per vim, & mera necessitate compulsi utebantur; quantò id procliviùs eventurum, & justiùs timendum dicemus, ubi omnino spontaneus, extráque omnem vim eorundem bonorum sit usus?

8. Similis est ad secundum item argumentum responsio: quod satis quidem probaret, ad omnimodam terrenorum affectuum extirpationem necessarium non esse, ut, quæ contraria, & ingrata illis sunt, ubique eligantur; quando ad eos penitùs extinguendos æquè sufficeret, omnia iis, unde pascuntur, & explentur, negare; ac externo hosti interficiendo sat est, omne illi alimentum subtrahere. At longè hìc secùs contingit; adeóque sola illa, qua adversarii contenti sunt, rerum delectabilium negatio ad ejusmodi effectum non sufficit, ut, quamvis illa etiam adhibeatur, quam ego esse insuper necessariam contendo, displicentium electio; neutiquam tamen ambæ simul junctæ sat idoneam, & prædicto fini usquequaque obtinendo parem vim habeant. Quantumcunque enim laboremus, assequendi illius gratiâ, & nihil inferiori nostræ parti annuentes eorũ,

quæ

quæ appetit, & nihil non eligentes eorum, quæ odit; semper nihilominus in ea remanet naturalis erga delectationes sibi negatas propensio: & hac remanente, aliquos identidem cogimur, prout ipsimet D. Paulo eveniebat, inordinatos illius motus sentire: impotes omnino, sive prohibendi, nè contra nostram voluntatem insurgant; sive eos confestim pro imperio sedandi, sive aliud demum obtinendi, quàm ut rariores, & minùs validi sint. *Credite mihi* (D. Bernardi oratio est) *& putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parùm ergo est semel putâsse: sæpe putandum est; imò, si fieri possit, semper: quia semper, quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis. Quantumcunque in hoc corpore manens profeceris erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis, nolis, intrà fines tuos habitat Jebusæus. Subjugari potest, sed non exterminari.* Qui producto etiam ipse ad suæ confirmationem doctrinæ D. Pauli exemplo subjungit: *Aut te ergo, si audes, præfer Apostolo; aut fatere cum illo, te quoque vitiis non carere.* (*Serm. 58. in cant.*)

9. Resumendo itaque, & explicando uberiùs doctrinam, fundamenti instar, & ge-

ne-

neralis cujuſdam ad contraria quæcunque argumenta reſponſi, initio propoſitam, ratiocinari ſic pergo. Manifeſtiſſimum cuilibet rite conſideranti eſt, ubi quis effectus vel omnibus illius propriis inſtrumentis adhibitis obtineri ſecundùm totam ſuam plenitudinem nequit; minùs plenè obtentum iri, ſi non omnia inſtrumenta illi producendo adhibita fuerint: nullúmque ex his eſſe, quod ad pleniorem aliquam ejuſmodi effectûs menſuram neceſſarium non ſit. Quemadmodum exempli gratiâ, cùm nemo hominum, etſi omne ſuum tempus, atque ſtudium in diſcendo ponat, univerſam mente complecti rerum ſciendarum immenſitatem poſſit; manifeſtè apparet, minùs ex ea comprehenſurum, ſi minus in diſcendo temporis, ſtudiíque poſuerit: neque idcirco ullam eſſe hujus partem, qua ad ulteriorẽ ſcientiæ proventũ opus non habeat. Æquè igitur patet, cùm neque nos omnibus licèt artibus adhibitis non valeamus omnem omnino præſentium bonorum amorem noſtro in corde abolere; minùs perfectè aſſecuturos hunc finem, ſi prætermittamus quibuſcunque illum artibus quærere: ac nullam proinde ex omni harum numero eſſe, quæ ad innatum erga præſentis vitæ bona amo-

morem, quantùm maximè fieri potest, abolendum, necessaria homini non sit. At si de earum qualibet id fateri cogimur, quotusquisque non videt, de ea esse inprimis fatendum, quæ maximè omnium repugnat affectui erga bona præsentia, cujusmodi est studium à nobis propositum, non modò hæc repudiandi, verùm etiam, quæ omnino iis contraria sunt, eligendi? Vidit certè id D. Gregorius, affirmans: spiritualium curationem morborum non debere illi esse dissimilem, qua in curandis corporum vitiis utitur ars Galeni, & Hippocratis: secundùm cujus leges nimietas noxia contraria nimietate curatur, neque morbis ex immodico frigore, aut exuperanti calore ortis opponuntur remedia, si dictæ qualitates æquali utrinque ponderis temperamento inter se misceantur, sed ubi, quæ in morbido corpore excedit alteram, ab eadem pari modo excedatur. (Hom. 32. *in Eu.*) *Sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur; ità Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.* Imò & Aristoteles solo naturæ lumine id vidit: prout testimonio est productus suprà à no-

nobis ex eó locus: ubi ſcilicet docet, ambigenti de virtutis medio, quò tutior ſit ab erroris periculo, ad illud eſſe inclinandum è duobus extremis, ad quod minùs naturalis inſtinctus propendet: declarans id exemplo virgæ naturâ diſtortæ: ad cujus corrigendam pravitatem non ſufficit, eam in rectum ſtatum manu addicere: (indè enim vix dimiſſa ad nativum curvamen rediret) ſed neceſſe eſt pluries, pluriéſque in latus ſuæ propenſioni contrarium violenter inflectere, & ibi diu detinere. Simili enim pacto, cùm noſter appetitus flexu incurvo terram versùs propendeat; quò hujuſmodi perverſitatem dediſcat, neutiquam ſatìs eſt, ſi conemur à ſua illum declinatione ad medium rationis reducere, imperando ipſi duntaxat, nè plùs juſto ima hæc, & fluxa amet bona: ſed neceſſe habemus ad extremum contrarium, nempe ad mala, quæ refugit, aſſidua vi eum detorquere: donec ſic addiſcat (quod tamen præſentis ævi tempore nunquam perfectè eveniet) rectus, ac medii tenax conſiſtere.

10. Quod poſtremò ad terrenorum contemptum bonorum pertinet, dico: ut hæc ſatìs eſſent omni eorũ amori in nobis extinguendo, tribus neceſſariò opus fore. Primum,

mum, ut bona prædicta mente concipiamus, qualia in Orthodoxæ fidei lumine apparent, tanquam scilicet plùs incomparabiliter fugienda, ratione spiritualium bonorum, quibus afficere se amantes solent; quàm appetenda, tenuissimi, & temporarii proventûs causâ, quem possessoribus suis possunt afferre. Secundum, ut hæc tristis adeò eorum conditio nihilo minùs perspicua, & manifesta nobis appareat, quàm ea solent, quæ ipsismet corporis oculis, & meridiana in luce intuemur. Tertium, ut eadem quasi imago æri, aut marmori insculpta continenter, nostræ menti inhæreat, & præsens ubique oculis pergat cum omni claritate, ac penè evidentia obversari. At quis, rogo, unus mortaliũ hujusmodi cognitionem sibi ausit promittere? Cùm vix aliquando & in arcanæ contemplationis otio, & tota mente à fallacibus sensuum simulacris ad profundam veri investigationem seducta, præsentium bonorum vilitatem penitùs, intiméque nobis detur perspicere: nedum ùt qualis ibi concepta est eorum species, talis semper deinde, inque omni externarum occupationum, & sensibilium objectorum varietate perduret, nullum unquam locum relinquens splendidiori al-

alteri eorundem imagini, quæ subinde intrà mentem furtim surrepat, & ad ea concupiscenda illecebreso boni aspectu nos provocet. Præterquam quòd ad confirmandas, & altiùs menti imprimendas veritates practicas nihil magis conducit, quàm secundùm eas operari. Ac proinde, ut aliquis meliùs intelligat, & certiùs sibi persuadeat supernaturale hoc verum, pro minimis scilicet esse habenda præsentis vitæ omnia seu bona, seu mala; nihil majori adjumento illi erit, quàm si ex prædictæ veritatis instinctu pergat, quandocunque occasio se dederit, hæc eligere, & illa abdicare. Fieri namque non poterit, quin, quoties ità operabitur, tacitum in animo assensum, approbationémque instauret universalis illius veri, à quo ad ità operandum impellitur. Quemadmodum è contrario, si in aliqua juxta illud operandi occasione impulsum illius sequi omittat, palàm faciet, ejusdem veri cognitionem, cùm invalida sit ad eum movendum, à contraria aliqua persuasione, vel specie debilitatam in suo animo esse. Certè, quoties homo supernaturali de causa aliquod ex præsentis vitæ seu bonis repudiat, seu malis tolerandum suscipit, novum toties æternæ in cælo gloriæ sibi meritum

tum comparat. Quonam igitur pacto, ubi quis perſuaſiſſimum habet, & meridiana luce clariùs agnoſcit, præ ſempiternis cæli gaudiis caduca omnia terræ bona, atque mala inſtar nihili eſſe, inducere ullo tempore animum poterit, ut horum reſpectu cæleſte illud lucrum, quod tanto æſtimationis intervallo ipſis præfert, adipiſci negligat? Aut ſi aliquando ità ſe gerat, quidnam, rogo, indè colligi poterit, nisi nõ omnimoda cum perſpicuitate ſaltèm eo tempore prædictã veritatem compertam ei eſſe: neque tam nihili, quàm aut ſibi ipſe perſuadet, aut perſuadere aliis nititur, præſentis vitæ bona, & mala ab eo pendã.

11. Nemini igitur ſupereſſe dubium poteſt, quin mirè efficax, imò & prorſus neceſſarium ad perfectam extirpationem amoris erga bona præſentia hoc exercitium ſit ſemper, atque omnimodè contra ipſius propenſiones tendendi. Quòd ſi nôſſe optas quo animadverſionum, rationúmque, & conſequentiarum ordine à divino amore proveniat? en tibi illius brevem analyſim. Principio, cùm anima fervens deſiderium, certúmque, & efficax decretum conceperit, quàm perfectiſſimè Deum ob infinitam pulchritudinem ſuam diligendi advertit, non ab-

ud impedimento sibi esse, nè id exequatur, quàm amorem præsentium. Quamobrem statim progreditur ad aliud decretum excludendi, quantùm fieri potest, à se ipsa hunc amorem suis votis adversum. Hinc reputans secum, quænam artes magìs idoneæ ad excludendum eum sint, neque aliam validiorem inveniens, quàm studium, semper contra propensiones illius operandi, quanta cum efficacitate illum finem consequi decreverat; tam efficaciter hoc illius instrumento uti apud se statuit. Ubi demum observat, non alias propensiones illius esse, nisì ut, quantùm potest, fruatur bonis, & vacet malis præsentibus; decernit, contrarium omnino vivendi iter insistere, fugiendo, quoad fas est, illa bona, & opposita illis mala amplectendo. Si ergo à tali anima quæras, cur bonis se abdicet, naturali genio tam dulcibus, & mala eligat adeò eidem invisa? Respondebit: quia volo operari contra instinctus amoris terreni. Et si rursus interroges, quidnam causæ habeat, cur ità operari adversùs eum velit? reponet: quia illum exscindere in me funditus cupio, neque hac certiorem id præstandi rationem invenio. Et si pergas quærere, undenam moveatur ad omnimodam illius extir-

pationem quærendam? subjiciet: quia unus ille mihi obstat, nè DEUM meum, prout cæteroqui deliberatum mihi est, quàm perfectissimè, & ex toto corde amem. Quòd si ad extremum perconteris, quare ità penitus, atque ex toto DEUM amare in animo habeat? Ah! exclamabit: hoccine dignum interrogatu est? Volo illum super omnia toto corde, éque intimis visceribus, ac medullis amare, quia est *totus desiderabilis*, meus ultimus finis, infinitum perfectionis, & amabilitatis pelagus, summa omnis boni, atque pulchri, totius meta, & centrum amoris.

12. Nec profectò aliunde, quàm ex hâc ce rationibus honestatis suæ originem dicunt, aut aliud, quàm partes sancti hujus ega bona terrena, & eorum amorem odii sunt tres illæ adeò in vita spirituali commendat virtutes, nimirum paupertas voluntaria, mortificatio, & humilitas: quippe quæ in hoc tantùm consistunt, unicúmque id officium habent, ut singulæ peculiare aliquod bonorum præsentium genus, prima divitias, secunda corporis, animíque voluptates, tertia propriam claram sui æstimationem, quantùm possint devitent, quæque illi contraria sunt, omni studio aucupentur. Quapropter post ta-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

utile, & tanti moment exercitium ità generatim propositum, pergam in capitibus, quæ sequuntur, illud idem distinctiùs, & secundùm unamquamque ex prædictis ejus materiis, partibúsque explicare. Hìc non aliud mihi reliquum est, nisì te, pie Lector, etiam, atque etiam hortari, ut, si divinæ charitatis perfectionem curæ habes, ad illud toto pectore incumbas: certissimè tibi persuadens, quantò exactiùs id feceris, tantò magìs diminutum in te iri rerum terrenarum amorem, juxtáque hujus diminutionem fore amoris divini incrementa. *Tantùm proficies, quantùm tibi ipsi vim inuleris*, (*De Imit. Chr. L. 1. c. 25.*) certissimum est Thomæ à Kempis oraculum. Et D. Franciscus Xaverius nihil frequentiùs habebat in ore, & suis inculcabat magìs, quàm breve illud, sed plenum succi, ponderísque apophthegma: *Vince te ipsum*, tuos scilicet ad inferiora hæc, & caduca naturales instinctus. Unde etiam fit, ut, quamvìs modò dictæ virtutes, quibus terrenum amorem oppugnamus, déque illo, & nobismet victoriam referimus, à charitate divina, forma nempe, & substantia Christianæ perfectionis distinguantur; videamus tamen, sanctos viros non minorem exercendis iis curam, quàm ipsi-

met divinæ charitati, & formali perfectioni acquirendæ impendisse. Si enim formalis perfectio non sunt, at instrumenta sunt saltèm, quorum ope hæc acquiri certissimè potest: & sinè quibus, qui eam solis meditationibus, piisque affectibus se assecuturum speraret, responsum mereretur audire, à Xenocrate juveni datum, qui Musicæ, Geometriæ, & Astrologiæ penitùs rudis, Philosophiæ mysteriis ab eo initiari poscebat. (*Laërt. L. 4.*) *Abi: nam ansis Philosophiæ cares:* tantóque ipsè justiùs mereretur id audire, quantò ad Christianam perfectionem magìs necessaria harum virtutum, quàm ad Philosophiam illa disciplinarum trias est. *Abi: nam ansis perfectionis cares.*

CAPUT XXI.

Quantùm DEI amor ab amore opum terrenarum dissideat, & quo pacto hominem ad has repudiandas impellat.

VOluntariam terrenarum opum [illegible] gestatem, meliorem, universè loquendo, & magìs DEO [illegible] tam earundem possessione [illegible] ex-

extra controverſiam eſt, poſt tam ſingularia æſtimationis, amoríſque argumenta, quæ extra illam Filius DEI edidit, tum perpetuum ſibi eligendo totius mortalis vitæ ſuæ ſociam: cùm omne hominum genus ad eam exhortando: & ità quidem, ut negaret, quemquam poſſe alioquin ſuæ inter ſcholæ alumnos cenſeri: (*Luc. 14.*) *Qui non renuntiat omnibus, quæ poßidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quare, etamſi nulla aliunde appareret ratio, propter quam, quiſquis perfectè DEUM amare in animo habet, univerſis ſe exuere externis facultatibus debeat; ſatìs ſupérque una hæc eſſet, quòd, qui eas poſſidet, Chriſti Domini exempla imitari, & conſiliis obſequi omittit: neque idcirco, qui proprius eum perfectè amantium mos eſt, in omni re eligit, quod ei magìs arridet, ſed neque intimus, & naturalis voluntariæ paupertatis cum perfecto amore DEI nexus non apertè ſatìs ſe prodit. Nam quis ignorat, & quantùm divini amoris integritati repugnet opum terrenarum amor; & quantò remotior ab hoc ſit, qui ultro illis nuntium remittit, quàm qui earum poſſeſſionem retinet? *Hæc fugiendarum cauſa præcipua divitiarum eſt*, (monet nos D. Bernardus) *quòd aut vix, aut nunquam*

sinè amore valent possideri. Limosa siquidem, & glutinosa nimis non modò exterior, verùm etiam interior substantia nostra videtur: & facilè in humanum omnibus, quæ frequentat, inhæret. (*Serm. in illud: Ecce nos rel.*) Imò, quis non videt, quantùm amplæ rei dominatus, etsi omnis illius amor procul esset, per se ipsum & suâpte naturâ perfectioni ad intimam animæ cum DEO conjunctionem necessariæ adversetur? Adversatur primò, inquit D. Augustinus, ratione fastûs, quo inflari animus divitis solet, dum plurimos suo auxilio indigere, eorúmque obsequiis se coli, & in peculiari æstimatione, atque pretio esse apud populum cernit. (*Serm. 5. de Verb. Dom.*) *Nihil est, quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne lignum habet vermem suum. Vermis divitiarum superbia est*; cùm pauper è contrario à fortuna sua, in vulgi oculis vili, & despecta, non alias sibi quàm modestas cogitationes suggeri sentiat. Adversatur præterea ratione facultatis, quam se obtinentibus præbet, suas omnes cupiditates explendi, molliter se curandi, nullóque non genere deliciarum fruendi. Qui præterea inter tot luxuriæ apparatus, & voluptatum lenocinia assiduè versantes, difficilius mun-

mum experiuntur, vel communis temperantiæ leges ſervare, nedum extraordinarios voluntariæ mortificationis rigores adjicere, juxta illud Poëtæ: (*Mart. Epigr. 5. L. 11.*) *Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores: & cùm tot Cræſos viceris, eſſe Numam.* Adverſatur denique immani mole, atque turba curarum de reditibus providè adminiſtrandis, de agris, ac vineis colendis, de præcavendis detrimentis, & occaſionibus lucri tempeſtivè arripiendis, de neceſſariis ſumptibus, de ambiguo litium eventu, & ſexcentis aliis hujuſmodi tricis, quæ neque ſeparari à conditione multa poſſidentium queunt; neque credi ſat poteſt, quantùm ſuis intemperiis à quieta, intimáque cum DEO conjunctione mentem avertant; verum comprobantes, quod D. Hieronymus ſcripſit: *Quamdiu verſamur in ſæculi rebus, & anima noſtra poſſeſſionum, & redituum procuratione devincta eſt, de DEO libere cogitare non poſſumus.* (*Ep. 34.*)

2. Quamobrem noxiis hiſce obſervatis divitiarum effectibus nulla eſt ratio admirandi, quod & varii ethnici Scriptores, Philoſophi, Hiſtorici, Poëtæ conſenſerint, ad eas uno ore damnandas, quaſi vitiorum fomitem, bonorúmque morum perniciem: veluti, ut

è plurimis unum, alterúmque nominatim recenseam, Horatius, & Plato: quorum prior illas *summi materiem mali* appellat; alter verò nihilo eas minùs in diversum à virtute ferri ait, quàm duo pondera in trutina ex adverso suspensa contrarios habeant invicem motus. (*L. 8. de Rep.*) *Virtus ità à divitiis discrepat, quasi utraque in lance stateræ sint posita, semperque in contrariam partem declinent.* Imò etiam eorundem Ethnicorum nonnulli, non contenti verbis eas insectari, quò liberiùs virtutis, sapientiæque studiis se impenderent; valere easdem jusserunt: sive abdicantes à majoribus sibi relictas, instar Cratetis Thebani, qui coactum è venditis possessionibus suis pretium ultro in mare projecit, dicens: *Abite pessum malæ cupiditates. Ego vos mergam, nè ipse mergar à vobis.* (*D. Hier. L. 2. Adv. Jovin. & Ep. 34. ad Jul.*) sive respuentes à Regibus amicis oblatas, quemadmodum à Phocione factum accepimus: cui cùm Alexander Macedo centum talenta dono misisset, interrogavit regiæ gazæ latores, cur Alexander sibi potiùs, quàm ulli alteri ex Athenienſibus tantum argenti mittendum putâsset: auditoque causam esse, quia ipsum eximiæ virtutis hominem esse arbitraretur, subjecit: si ergo qui-

quatenus talem me amat, & hoc dignum munere existimat; suum age munus sibi habeat, nè illud ego accipiens talis esse, suóque amore, & munere dignus esse desinam. *Sinite igitur, qualem Alexander me judicat, talem esse.* (*Plut. in V. Phoc.*) Illustre enimvero in nostram rem documentum: si enim, cùm veteres ii Philosophi pro meta suorum studiorum virtutem haberent, nostrâ & faciliùs parabilem, & minùs expeti dignam, quia merè humanam; existimârunt tamen, nec se illam posse inter divitiarum impedimenta obtinere, & debere harum omnium sumptu mercari; quidnam, rogo, sentiendum, faciendúmque erit nobis, qui ad perfectionem collimamus, tantò & difficilorem paratu, & digniorem quæsitu, quantò est supernaturalis perfectio amoris divini? Quantò, inquam, nos conveniet & magìs vereri, nè per facultates terrenas ab illa assequenda prohibeamur, & promptiores esse ad eas omnes pro cælesti hac margarita expendendas. *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione; quasi nihil despiciet eam.* (*Cant.* 8.)

3. His ergo ità se habentibus, cum duplici hominum genere sermo esse hìc mihi potest. Primò cum iis, qui externa possident bo-

bona: nihílque aliud his ſuggerendum habeo, quàm ut ea, ſi perfectè amare DEUM cupiunt, quoad fieri poteſt, dimittant. Secundò cum illis, qui Chriſti conſilium ſecuti omni jam ſeſe facultatum ſuarum dominio, & poſſeſſione exuerunt: híſque modum deſignabo, Euangelicæ paupertatis, quam amplexi ſunt, ſecundùm omnem perfectionem ſervandæ. Repetito itaque à primis diſputationis exordio, quæro ab eis, quonam pacto perfectos DEI amatores profiteri ſe poſſint, ſi, cùm in arbitrio, & poteſtate ſua ſit, terrenis opibus pro majori ejus gloria nuntium remittere, malunt tamen iis frui. Nam qui ſe DEO, & ſanctiſſimo ejus amori totum devovit, authore, & teſte D. Baſilio, (*In Reg. fuſ. Diſp. qu. 8.*) *De nulla omnino vitæ hujus re curare ampliùs poteſt:* tantúmque abeſt ab occupanda in rebus vitæ ſupervacaneis mente, ut ægre, invitóque animo, nec nisi coactus de ipſiſmet neceſſariis cogitet. Atqui divitiarum poſſeſſio neque prorſus neceſſaria humanæ vitæ eſt; & altera ex parte magnopere animam præpedit, nè DEO penitùs vacet: tum quatenus ad rerum terrenarum cogitationes, & curas eam avocat; tum quatenus ſomitem præbet amori erga bona poſſeſſa: quibus

bus difficillimum est uti, & potiri, nec interim ullo affectu adhærere: ùt nostra, communisque experientia palàm demonstrat, probè animadversa à Justino, & Juvenale, secundùm quos: *Pecuniæ ibi cupiditas est, ubi usus. Et minùs hanc optat, qui non habet.* (*Hist. L. 2. Sat. 14.*) Qui ergo, cùm possit ultronea opum abdicatione hæc sui erga DEUM amoris impedimenta amoliri, illas tamen retinet, luculenter ostendit, magìs se amare suas opes, quàm solicitum esse de DEO perfectissimè amando. *In universum,* (colligit citatus paulò antè D. Basilius) *cui nè de ipsis quidem necessariis ad tuendam vitam præsidiis solicito esse concessum est, veluti de victu, atque vestitu; quænam, rogo, huic ratio permittit, ut pravis divitiarum causâ susceptis solicitudinibus, veluti spinis, quæ jactam ab animarum nostrarum agricola sementem fœtus edere non sinunt, suffocatus teneatur?* (*suprà.*) Præterea manifestè apparet, fieri non posse, ut DEUM quàm perfectissimè amet, qui sciens alterum ex duobus ei magìs placere; hoc tamen relicto, alterum eligit, quo minùs delectari illum novit. Jam verò, cùm DEUS disertè adeò voluntariam paupertatem nobis commendaverit, proponendo eam veluti conditionem cuilibet, qui

vult

vult esse perfectus, necessariam, testandó-que, neminem sinè illa suum esse discipulum posse, & beatos illius sectatores vocando; apertissimè hinc, & extra omne dubium declaravit, magìs eam sibi, quàm divitiarum retentionem placere. Quomodo igitur, qui retinere, quàm abdicare facultates suas mavult, dici potest aut non negligere, quod Deo est gratius; aut hoc negligens, eum tamen perfectissimè amare. Postremò, si quis ex Lectoribus adhuc supereſt, qui summam divinæ charitatis perfectionem affectare se prædicet, neque animum tamen ad facultates suas deferendas inducit; juvat hominem seorsum accipere, & sic cum eo disceptare. Vel tu amas isthæc bona, quæ possides, vel nullo eorum amore afficeris. Si hoc secundum affirmas, quidni ergo illis ultro te abdicas? Cùm neque in hujusmodi abdicatione quidquam tibi ità composito occurrere difficultatis queat, juxta illud D. Augustini effatum: (*De Doctr. Chr.* L. 3. *c.* 18.) *Non est in carendo difficultas, nisì cum in habendo cupiditas*; pérque illam cæteroqui multa, & minimè levia perfectionis tuæ impedimenta vitares, majorem DEO adhærendi facilitatem acquireres, & congruentiorem illius consiliis, atque exem-

exemplis vitam ageres? Certè hæc tanti pretii emolumenta lentum, atque immotum negligere, quamvis nulla ex adverso se objiciat difficultas, neque ullus aliunde amor diversus retineat, socordiam præsefert, ab omni non modò ratione, verùm etiam rationis specie abhorrentem, quæque nullo possit prætextu excusari. Sin autem respondeas, aliquo tuarum facultatum amore te affici, atque hinc detineri, nè illas repudies; tunc dico: tantò magis necessarium tibi esse illarum repudium, si perfectè amare DEUM quæris; quantò magis perfecto DEI amori adversatur earum cum hoc cordis affectu possessio. Quocirca fatendum tibi est, vel nullam adesse causam, quæ incitare te possit ad eas retinendas, vel eam unam adesse, quæ omni alia validiùs te deberet impellere ad eas dimittendas.

4. Non tamen ità protinus divitiarum amatores dant manus. Plùs nimio illis durum videtur, repentina suæ conditionis catastrophe, à summa rerum copia ad extremam penuriam transire. Quemadmodum, teste Ecclesiastico, amarissima est mortis recordatio *homini pacem habenti in substantiis suis*; (c. 41.) sic haud dissimilem ipsi experiuntur amaritiem, audientes ad voluntariam paupertatem

se

se urgeri, nempe ad quamdam mortis speciem, quæ nihilo minùs, quàm naturalis, & communis, imò illâ tristiùs, quia etiamnum viventes fortunis omnibus spoliat. Conantur proinde aliquem prætextum nanciſci, sub cujus umbra, & tutamine citra notam, minùs quàm par sit, DEUM diligendi, possint tranquillè suis possessionibus frui. Audiamus, quæso, rationes, quas proferunt, visuri, num aliquam eorum causæ tuendæ vim habeant, vel potiùs (quando propter adductarum jam à nobis ex adverso evidentiam nullam habere, nisi imaginariam possunt) hanc ipsam, qua imperitos decipiunt, veri imaginem iis detracturi. Prima est, quia, si externarum rerum abdicatio perfecto DEI amori obtinendo necessaria esset, à nemine hic posset sinè illa obtineri. Quod cæteroqui falsum esse liquidò apparet: cùm perfectè DEUM amare, quisquis vult, possit: multíque nihilominus, putà omnes patresfamilias, non possint, etiamsi vellent, suis bonis se exuere. Et demonstrari adhuc clariùs videtur consequentis illius falsitas exemplis multorum, quos annalium monumenta testantur, & post Euangelii promulgationem affluentem opibus, neque tamen idcirco minùs sanctam, per-

perfectámque vitam duxisse. Secunda ratio consistit in facultate alienas calamitates levandi, quæ à divitiis suppeditatur, & unà cum iisdem amittitur. Quomodo enim perfectæ erga DEUM charitatis impedimentum credi possit, quod necessarium est charitati erga proximos exercendæ instrumentum? Neque refert, quòd eædem terrenis suis curis possidentium animos à quieta contemplatione DEI avocent. Si enim hoc satis causæ esset ad eas relinquendas, quævis item Christianæ misericordiæ opera, ad proximorum seu corpora, seu animos juvandos spectantia derelinqui oporteret: cùm neque ex iis ullum non aliquam ejusmodi avocationem conjunctam habeat. Tertia ratio ex necessitate ducitur, quam paupertas voluntaria sectatoribus suis imponit, quotidianum sibi victum vel opificio aliquo, vel saltèm mendicitate parandi: qui modus uterque vitandus potiùs, quàm eligendus est. Nam prior non omnium viribus comensuratus est, & insitas quoque à natura eas mentis distractiones, & animi solicitudines habet, quarum causâ divitiarum fuga suadetur. Mendicatio autem vix in iis toleratur, quos fortuna ad egestatem damnavit: nedum tolerari in iis possit, qui eam si-

bi ſponte adoptârunt. Cùm conſilium mirè inſolens, & à ratione abſonum videatur, hominem, cui ſatis erat rei, unde citra ullius incommodum, & moleſtiam ſe ſuſtentaret, illius ultro exhæredem ſe facere, ut alienis deinde ſumptibus victitet.

5. Accedendo itaque ad prædictarum rationum confutationem, quidnam, age, prima inquit? Non omnibus licet facultates proprias ex toto derelinquere. Ergo earum derelictio ad perfectum DEI amorem neceſſaria non eſt. At enimvero, ſi iſthæc conſecutio valeret, idem de hac quoque altera eſſet dicendum: Non omnibus facultas ſuppetit, reſtituendi alienam rem furto ablatam; ergo furtivæ rei reſtitutio ad divinam Legem implendam neceſſaria non eſt. Quemadmodum igitur adverſarii hìc reſponderent, neminem eſſe, qui furto ablata reſtituere Dominis nequeat, vel exteriori actu, vel ſaltèm voluntatis affectu: ejúſque reſtitutionem eſſe omnibus alterutro ex prædictis duobus modis neceſſariam: actu nempe illis, quibus præſto eſt ejus facultas; aliis verò, qui haberent, voluntatis affectu; ſimili ratione poſſum & ipſe eorum argumento reſpondere: neminem eſſe, cui integrum non ſit vel re ipſâ,

sa, vel saltèm voto suis se facultatibus propter DEUM abdicare: omnibúsque ad majorem divinæ charitatis perfectionem alterutro ex memoratis duobus modis necessarium id esse: necessarium quidem actu, & re ipsa iis, quibus legitimi impedimenti nîl obest; iis verò, quos justa impedit ratio, voluntate, & affectu. Quibus ità explanatis, nullam quoque ultra vim retinet objectum ab iisdem exemplum sanctorum virorum, qui etiã in legis Euangelicæ statu luculenta patrimonia, & opimos census possederint. Nam secundùm distinctionem alibi à nobis in re simili allatam; vel tales DEI famuli ex mera necessitate sui statûs amplas illas opes retinuerunt, optantes alioquin, juxa Christi consilium missas facere: neque illi tunc sanè omiserunt DEUM amare, quantùm perfectissimè poterant, nempe ex animo velle, quod ei magìs placeret. Unde etiam credendi sunt, esto inter majora perfectionis impedimenta versarentur, DEO tamen piam eorum voluntatem remunerante, nihil indè damni accepisse, verùm in mediis rerum terrenarum illecebris nihilo minùs continentes, *pauperes spiritu*, & divina charitate flagrantes vixisse; ac si ab iis penitùs liberi, suísque exuti

fortunis, in religioso quopiam cœnobio Evangelicam profiterentur inopiam. Vel eorum nonnulli, quamvis nihil prohiberet, divitiis nuntium remittere; earum tamen possessionem sibi retinendam duxerunt, inque hoc eventu, (qui tamen non ità facilè occurret) possum dicere, nihilque dubitans dixerim: hujusmodi homines, si sanctè inter divitias vixerunt, sanctiùs tamen victuros fuisse, si reliquis suis virtutibus hanc quoque adjecissent, sequendi videlicet per omnimodam divitiarum abdicationem consilium, atque exemplum, quod iis hoc in genere DEI Filius reliquerat. Quia, ut summatim rem colligam, extra omnem controversiam est, minùs perfectè, quàm posset, DEUM abeo amari, qui sciens gratius aliquid ipsi esse, ad intimam cum ipso conjunctionem utilius, negligit tamen id velle. Quamobrem nemini esse dubium potest, quin cùm opum terrenarum repudiatio ad animam cum Deo penitùs conjungendam utilior, Deóque acceptior sit, quàm earundem voluntaria possessio; minùs DEUM amet, quàm possit, quámque ad summam divinæ charitatis perfectionem requiritur; qui, licèt integrum sibi sit eas repudiare, Deóque ità gratiorem

rem facere; mavult tamen iisdem quanquam minùs ipsi placiturus potiri.

6. At enim hujusmodi bonorum possessio, quamvìs animam ab intima cum DEO consuetudine aliquantulùm distrahat, difficiliorémque ab humanis quibusque affectibus puritatem ei reddat; utilissimum est nihilominus, imò etiam necessarium nostræ erga proximos charitatis instrumentum: à cujus tam præcipuæ virtutis exercitatione haudquaquam rationi, divinæque voluntati consentaneum videtur, ut cujuslibet spiritualis nostri impedimenti, & discriminis metus nos avocet. Possem secundæ huic rationi respondere, incumbendum quidem nobis esse omni studio ad proximorum utilitatem, sed eo tamen pacto, ut temporariis eorum subsidiis potiorem habeamus nostrum spiritualem profectum, & proinde, si ex spontanea succurrendi aliorum corporibus cura non leve aliquod nostræ animæ incommodum provenit, malimus hanc indemnem servare, quàm illorum tutelam, & procurationem suscipere: *nè aliis*, ùt scribit D. Paulus, *sit remissio, nobis autem tribulatio.* (2. *ad Cor. c.* 8.) Neque ad id confirmandum deesset sive Apostolorum exemplum, qui ut liberiùs spirituali-

bus miniſteriis vacarent, communium elee-
moſynarum adminiſtrationem à ſe relega-
runt, profitentes in diſcipulorum cœtu: (Act.
6.) *Non eſt æquum, nos relinquere verbum* DEI,
*& miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, fratres,
viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, quos con-
ſtituamus ſuper hoc opus. Nos autem orationi, &
verbi miniſterio inſtantes erimus*: ſive Chriſti
Domini authoritas: qui officioſæ ſolicitudi-
ni, quam Martha exhibebat illius corpus pa-
ſcendo, ſanctam aviditatem præhabuit, qua
Maria Magdalena ſuum ab eo ſpiritum pa
appetebat: ſolicitam hoſpitam admonens,
laudabilem utique externam illius circa plu-
rima ſedulitatem eſſe; at laudabiliorem my-
ſticam ſuæ ſororis in uno neceſſario quietem.
(*Luc. 10.*) *Martha, Martha ſolicita es, & tur-
baris erga plurima. Porrò unum eſt neceſſarium.
Maria optimam partem elegit.* Ità, inquam,
reſpondere adverſariis poſſem. Sed quid o
pus hanc reſponſionis viam ingredi? Perni
de quaſi, qui facultatibus propriis ſe exui
minorem egenis ſubveniendi facultatem ha
beret, quàm qui retinere illas pergit. Nihi
à verò remotius, imò, quamdiu eas aliqu
retinet, nunquam iis poterit aliorum egen
ti ſuccurrere: cùm palàm ſit, huic à no
tra

tunc solùm succurri, quando nostris nos rebus in aliorum gratiam, & subsidium exuimus. Quod nemo sanè uberiùs facit, quàm qui juxta divini Verbi consilia, *vendit omnia, quæ habet, & dat pauperibus.* En itaque, quicunque hìc mecum disputas, num ego voluntariam tibi paupertatem suadens, ab egentibus adjuvandis te avocem. Nempe non aliud tibi suadeo, nisì ut quàm largissimè, hoc est: toto tuo censu illos adjuves. Perge jam te excusare charitatis obtentu, quanquam si illa te inhibeat, nè pauper fieri velis, quò scilicet dives succurrere pauperibus possis. Imò tantùm illa indè abest, ut si nihil aliunde incitamenti ad paupertatem eligendam haberes, vel una te incitare ad eam charitas posset: cùm omnino te pauperem faciens universis tuis facultatibus, aliquid verò de tuo retinens non nisì earum parte alienam sublevare egestatem queas. Apage, apage has cordis angustias, laxa, quantùm potes, Christianæ charitatis viscera. Parùm munificus erga DEUM, & proximum est, qui ponderat, qui metitur, qui dividit. Non partem, non aliquid, non tantum solummodo, aut tantum: at summum, totum, universum, quidquid potes, largire. Præclarè D. Thomas: *Abre-*

nuntiatio propriarum divitiarum comparatur ad eleemosynarum largitionem, sicut universale ad particulare, & holocaustum ad sacrificium. Unde Gregorius dicit super Ezechielem, quòd illi, qui res possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid DEO immolant, & aliquid sibi reservant. Qui verò sibi nihil reservant, offerunt holocaustum, quod est majus sacrificio. (2. 2. *qu.* 186. *a.* 3. *ad* 6.)

7. Quantùm denique ad necessitatem vel operis faciendi, vel mendicandi, duplex mihi in promptu est responsio. Dico igitur primò: laborem operum, si moderatè exerceatur, haud posse neque nimis gravem etiam exiguarum virium homini accidere; neque animam, quæ impensè DEUM diligat, ab amica cum eo conjunctione distrahere. Præsertim quòd, ubi etiam illius pretium impar per se esset opportuno victui parando, nulla ideo se offert inquietæ solicitudinis causa, superstite ad defectum hunc supplendum altero mendicationis præsidio: adeò ut partim una, partim altera hujusmodi artium suppeditare victum possit, si minùs affluentem, & qualis esse divitum solet; at saltèm sufficiturũ desideriis naturæ, & consentaneũ homini, qui ex divini amoris impulsu, præter

Eunc

Euangelicam paupertatem, illam quoque profitetur auſteritatem vivendi, de qua proximo capite agemus. Neque verò contra mendicitatem dicta ullius ponderis ſunt. Quamvis enim & ipſe ultro fatear, importunitatis non ferendæ ſpecimen fore, ſi quotidianum ſibi victum ab aliena miſericordia imploraret; qui vel affatim pecuniæ ad eum comparandum domi haberet; vel idoneis ad operandum viribus præditus, aliorum impenſis ſuſtentari, quàm labore ſuo mallet; nego tamen hoc nomine condemnari illos poſſe, qui, cùm facultates ſuas, juxta Euangelii conſilium, in egenos diviſerint, nec habent, unde vitam tolerent; neque ex ignavia, ſed partim ex imbecillitate virium, partim ex ſtudio divinis rebus vacandi, ſatiùs putant à piis illud viris precariò exquirere, quàm improba totius diei fatigatione mercari. Nam ſi diebus feſtis, & divino cultui dicatis non vitium inertiæ, ſed religionis officium eſt à ſervili labore manus abſtinere, quò alia ſacro illi tempori congruentiora exercitia obeantur; neque in hominibus, qui ſe totos DEO conſecrârunt, deſidiæ arguendum, ſed pietati aſſignandum videtur, ſi à mechanicis id genus operibus vacent, ut aliis interea præſtantio-

ribus, magísque propriis ſtatûs ſui miniſte-
riis fungantur. Præſertim quòd ſtipem ab
aliis corrogando, nihil propterea injuriæ,
aut damni illis afferunt : cùm neque eos ad
quidquam præter ſuam voluntatem largien-
dum cogant; neque aliud faciant, quàm eos-
dem invitent ad inſtituendum cum DEO lon-
gè quæſtuoſiſſimum fœnus, utpote in quo ni-
hil datur, quod centies multiplicatum ad dan-
tem non redeat. Hæc igitur prima eſt re-
ſponſio, ſatis per ſe valida ad ſatisfaciendum
cuivis, qui eam juſta lance perpendat. Si quis
tamen non omnino acquieſcit, etiamnum ad
excuſationem ſui muſſitans : *Fodere non valeo,*
mendicare erubeſco; nè propterea minùs æqua
erga paupertatem animo ſit, ſed noverit (quæ
altera reſponſio eſt) ad neutrum horum ab
illa ſe cogi. Habet quippe in promptu tot
amicos, neque illos quidem ulla ſibi fraude
conciliandos, qui eum ſuis ultro fortunis pro-
vatum, *recipiant in domos ſuas*; quot religioſæ
ſunt cœtus, ad pauperes voluntarios alendos
in Eccleſia inſtituti. Age, in eorum aliquem
adſcribi ſe curet; ibíque, licèt nihil ſui poſſi-
dens, ſed Iro quovis pauperior, ſecuram ni-
hilominus, & nulla ex rebus neceſſariis carea-
tem, citra omnem harum ſibi parandarum
ſo-

solicitudinem, vel DEO tantùm & sibi, vel sempiternæ etiam proximorum saluti vacans, vitam traducet. Institutione enimverò vivendi, sive illius singularis utilitas, seu celerrima per orbem latè universũ propagatio, seu immota tot jam sæculis permansio attendatur, supra modum mirabili, & cujus nemo esse author primarius præter DEI Filium potuerit: utpote quæ cum perfectissima paupertate certam, & prorsus gratuitam rerum omnium corpori necessariarum facultatem conjungens, suave, nedum leve humanæ imbecillitati reddidit perfectionis Euangelicæ jugum.

8. Demonstrata hunc in modum divitibus sua terrenis possessionibus se abdicandi necessitate, si perfectè DEUM amare desiderant; supereſt, ut cum iis porrò agam, qui prædictum Servatoris nostri consilium executi jam sunt: neque contenti omnimodam paupertatem elegisse, quò illam & minori cum solicitudine, & uberiori cum fructu profiterentur, suave ipsi secundùm rationem modò indicatam religiosæ onus obedientiæ adjecerunt, irrevocabili utriusque sacramento ad aras solenniter dicto. Hi ergo monendi mihi sunt, licèt paupertatis Euangeli-

cæ

cæ ſtatus ſingulari admodum dignitate excellat, illiúſque præſidiis queant ipſi ad eximiam ſanctitatem pertingere; hujus tamen aſſecutionem non eſſe promiſcuum omnium decus, qui eo in ſtatu verſantur, ſed illorum duntaxat, qui juratam ibi paupertatem ex animo diligunt, quatenus ab ea Chriſto ſimiliores redduntur: neque ideo ſatìs habent eam colere, quoad ſola voti religio præſcribit; ſed ſtudent præterea quàm penitiſſimè illi adhærere, & quæcunque illius ſcita perfectum ad unguem ſervare. Nam alioqui, ſi religioſus vir, poſteaquam perpetuo voti nexu, ceu legitimo quodam ſpiritualis connubii fœdere Euangelicæ nuditati ſe adſtrinxit, incipiat recentem ſuam ſponſam horrere, cum ea invitus verſari, illius amplexus, hoſtilia quaſi vincula declinare, útque extra metaphoras loquar, curet, quàm minimùm poteſt egere, ac ritu pauperis vivere: omnia ſollicitè aucupans commoda, quibus fruebatur, priuſquam patrimonio ſe exueret, imò plura ſæpe, & majora, quàm quæ extra cœnobium ſuo ære victitanti ſuppeditaret relicti patrimonii tenuitas: neque rebus quotidiani ſui usûs minori cupiditate adhæreat, quàm ſi proprio dominii jure eas poſſideret; quippe nam,

nam, rogo, hujusmodi hominem credat iis potiturum privilegiis, quæ veræ paupertatis sunt propria, eóque perfectionis Christianæ evasurum, quò suos illa consuevit sectatores perducere? Certè hæc rerum supervacuarum cupiditas, & iis, quæ ad ordinarios usus pertinent, animi adhæsio, ùt effectus, propter quos inprimis damnosa est, deseríque à servis DEI solet divitiarum possessio; non minus, & fors etiam plus noxæ illi afferent, quàm multis divitibus suarum opum dominium: quíque hoc pacto intrà cœnobium se gerit, apertè indicat, quando facultatibus suis nuntium remisit, nequaquam se id feciſſe ex vero, & efficaci desiderio removendi à se omnia, quæ perfectam obturbare possent suæ animæ conjunctionem cum DEO; vel pristinam illam voluntatem progressu temporis evanuisse, & se illius nunc pœnitere: adeò ut si fors Christi Vicarius nuncupati voti obligatione illum solveret, in singularis beneficii loco id haberet, nullâque interpositâ morâ, quam olim dimiserat, suarum rerum possessionem resumeret. Erit itaque operæ pretium, si certa quædam proponamus capita ab iis rite observanda, qui pauperes esse in cœnobiis volunt, non solo nomine, verùm etiam

am

am re ipsa, neque intrà meros promiscuæ obligationis limites, sed juxta omnem amplitudinem, sive ut loquar meliùs, adstrictionem perfectissimæ illius paupertatis, quæ hominem à bonorum pereuntium cupiditate avellit, ut cum DEO penitùs jungat, & terrenis facultatibus spoliat, ut cælestis regni possessorem efficiat: tam magnificè à Christo Domino in Euangeliis commendata, ut non tantùm beatitudinis titulo eam decorârit, sed & inter octo beatitudines primam posuerit. *Ordine enim* (ceu observat D. Ambrosius) *prima est, & parens quædam generatióque virtutum. Quia, qui contempserit sæcularia, ipse meretur sempiterna, nec potest quisquam meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate prohibitus emergendi non habet facultatem.* (L. 5. *in Luc.* c. 6.)

9. Primum igitur caput est, ut religiosæ paupertatis sectator omnem opulentiæ speciem & in aliis fastidiat, exosámque habeat: neque vel spectare unquam, nedum admirari dignetur potentium luxuriam, magnificos currus, splendidas vestium phaleras, longas pedisequorum turmas, sumptuosa zodium ornamenta, abacos, tabulas, peristromata, aliósque hujusmodi apparatus, ad pom-

pam

pam duntaxat, & ſuperbam divitiarum oſtentationem compoſitos: aut, ſi videre aliquando talia contingat, Chriſtiano ea ſupercilio deſpiciat, irrideátque, non ſecùs ac puerorum crepundia: imò etiam abominetur, tanquam res non modò ſupervacuas, ſed & animis noxias, ratione cupiditatum, quas irritant, & faſtûs, quem nutriunt: juxta memoratum ſupra exemplum Reginæ Eſther, non ſinè horrore, atque nauſea intuentis, *quaſi pannum menſtruatæ*, ſuperbum diadema, quo cogebatur frontem redimire *in diebus oſtentationis ſuæ.*

10. Secundum, ut impensè amet, excelſiſſimáque in æſtimatione habeat, quaſi Angelicum vivendi genus, perfectam terrenarum rerum nuditatem: optans, ſi fieri poſſet, vivere inſtar puri ſpiritûs, abſque tecti, cubilis, ſedilium, & cætera ſupellectilis indigentia, atque copia, nec, ubicunque ſit, & quocunque pergat, aliud quid habere, nisì ſe ipſum, & DEUM. Ità ut admittat ſanè, ac penes ſe habeat nonnullas ex hujuſmodi rebus, quas naturæ neceſſitas, & communis vitæ uſus requirit, ſed tolerantis potiùs, quàm amantis ritu, invitus, gravitérque ferens, tanquam neceſſaria quidem, ſed permoleſta humama-

manæ conditionis noſtræ onera, atque impedimenta. Qualis mens, & animus Seraphici Patris Franciſci erat, ſoliti paupertatem amicis, ſplendidiſque nominibus, Sponſam, Dominam, Reginam vocare. Qui etiam, cùm aliquando emendicati quædam panis fruſta, iis ſe refecturus, juxta fontẽ ſtatuiſſet; præ nimia de illo tam vili, & exiguo apparatu lætitia, ad Maſſeum ſocium converſus, ah Frater, dicit, neutiquam certè digni nos ſumus hoc tanti pretii theſauro. Mox, ubi aliquoties, & elatiori ſemper voce eadem hæc verba iterâſſet; proximum ſacellum orandi causâ ingreſſus, tantum ibi amorem paupertatis concepit, ut attonito, flammeoque vultu ad ſocium rediens, nihil effari aliud poſſet, præter hæc verba: ah, ah, ah, Maſſee frater, accede intrà meas ulnas. Quod cùm ille feciſſet, rurſus, ah, ah, ah, exclamavit, tanto cum impetu, ut Maſſeum ori ſui ſpiritu non ſecùs ac violento quodam turbine ſublimem à terra abripuerit, & ad aliquot indè paſſus projecerit: ſubdens poſtremò, eja Frater chariſſime! eamus hinc Romam, ſupplicatum beatis Apoſtolorum Principibus, Petro, & Paulo, ut æſtimare pro ſuo merito, & rite poſſidere nos doceant ſanctiſ-

ſima,

simæ, ac beatissimæ paupertatis thesaurum, divinum sanè thesaurum, adeò ut minimè digni simus, qui in terrenis illum, sordidísque nostris vasis habeamus.

11. Tertium, ut congruenter ad hunc animi habitum procul à se, & cubiculo suo facessere jubeat, quidquid ultra usus necessarios redundat, adeò ut, si sella unica sufficit, nè habere geminas, aut plures velit, & sic de quovis alio supellectilis genere: multóque adhuc severiùs indè proscribat, quidquid non modò necessarios, sed communes itèm familiæ suæ usus prætergreditur: secùs ac quibusdam mos est, quorum cubicula tabernas nundinales dixeris. Nempe ibi congesta videre est hõrologia machinalia, tubos opticos, ferramentorum omnis generis thecas, multiformes tabaci pyxidulas, exquisiti artificii lucernas, varias bellariorum, & medicaminum species, & alia id genus utensilia, seu veriùs loquendo, profanæ irritamenta luxuriæ. Omnia quidem cum Præsidis venia, sed nihil juxta Christi consilium, juxtáque professionem verè, & ex animo pauperum, qui quàm minimùm habere terrenarum rerum volunt, quo capaciores sint bonorum cælestium, dicentes Domino unà cum Apostolorum Prin-

cipe: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* (*Matt.* 19.)

12. Quartum, ut ipsammet necessarii, & promiscui usûs supellectilem contentus sit habere, qualem in cubiculo reperit, qualêque ex domesticis sibi officinis præbetur: non verò à consanguineis exquirat, vel pecuniâ suâ emat: quemadmodum nonnulli factitant, totum penè cubiculi apparatum proprium habentes, suo scilicet, vel cognatorum sumptu comparatum, proprios pileos, propria sudaria, forfices proprias, libros proprios, & quid tandem non proprium? Quæ deinde, unà cum supervacuis aliis paulò antè recensitis utensilibus, quoties mutanda sedes est, aliò, alióque transvehentes sarcinas componunt, de quibus dici possit: *Tota domus rhedâ componitur unâ.* (*Juv. Sat.* 3.) Proh quantùm dissimiles Ægypti veteribus Monachis, inter quos, teste Cassiano, *nè verbo quidem audebat quis dicere aliquid suum, magnúmque erat crimen, ex ore Monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, próque hoc dignâ pœnitentiâ satisfaciebat, si quis aliquo per subreptionem, vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugisset.* Quod ut prædictus author retulit, tantam illam vel

loquendo severitatem cum vigente apud alios operandi licentia componens, temperare justæ indignationi non potuit, quin subjungeret: *Ad hæc nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes peculiares circumferimus claves, & quibus non solùm cistellæ, vel sportæ, sed nè arcæ quidem vel armaria ad ea, quæ congerimus vel quæ de sæculo reservavimus, condenda sufficiunt.* (L 4. c. 13. & 15.)

13. Quintum, ut necessarii mensuram intrà fines quàm maximè arctos contrahat: haudquaquam pro tali accipiendo, quod ad plenam duntaxat operandi, vivendíque commoditatem requiritur, vel quo opus sibi esse, non nisi in extraordinariis, & fors nunquam eventuris casibus potest, vel quo rarissimè, putà quater, aut quinquies toto anno indiget. Sed ea solummodo in necessariis numeret, quibus quotidie, vel admodum crebrò uti cogitur, & carere sinè gravi incommodo nequit. Cætera verò, sinè quibus vivere, & operari, tametsi aliquantulò minùs commodè potest, quæque ad extraordinarios, & rarissimos tantùm usus requiruntur, &, quando utendi tempus venerit, perquam facilè ab aliis domesticis commodato accipi queunt, pro supervacaneis habeat, útque ta-

lia è ſuo cubiculo amoliatur: neque idcirco (ut uno, alteróve exemplo rem declarem) ſive urnam, & catinum ad manus, faciémque abluendam, ſeu plures libros, quàm quibus plerumque utitur, curet penes ſe habere, cùm poſſit, quandocunque opus fuerit, communi bibliotheca adita, & expoſiti omnibus mâluvii uſu eum defectum ſupplere. Denique gaudeat cellam habere, ubi degit, quantùm maximè fieri poteſt, expeditam, nudam, & vacuam iis omnibus, quæ non prorſus neceſſaria illi ſunt, quamvis ad majus illius cómodum facerent, ſtudens eſſe, juxta mentem, ac ſententiam D. Hieronymi, (*In Ezech. c.* & 16.) ſimilis rotæ, quæ vix nec nisi unico in puncto humum attingit, & erubeſcens, ſi aliqua re utatur, qua alter quiſpiam careat, poſsétque ipſe etiam carere: quemadmodum erubuiſſe Diogenes fertur de ligneo poculo, quo ad bibendum utebatur, ubi puerum aſpexit fontis publici aquam potare, non alio cratere, quàm ex ſuiſmet manibus, ad crateris ſpeciem inflexis. (*Ap. D. Hier. L. 2. contra Jovin*)

14. Sextum, ut eandem parſimoniam & ſeveritatem obſervet, circa ipſummet rerum alioqui neceſſariarum uſum, metiendo hunc

hunc quoque non majoris commodi, sed solius necessitatis decempedâ: adeò ut v. g. si noctu orationi, vel literario alicui studio vacare in tenebris potest, nè lucernam per id tempus accendat, similitérque in alia quavis materia. Hac enim parcitate uti in rebus absumendis solent, qui revera pauperes sunt, qualem ipse profitetur se esse.

15. Septimum, ut ad meliùs præcavendam omnem terrenarum rerum cupiditatem, ea ipsa, quibus uti cogitur, velit esse, quoad ejus fieri potest, vilia, exigui pretii, nullius ad speciem nitoris, nec ullo alio, quàm solius usûs nomine appeti digna: cubiculum scilicet humile, exiguum, rude, inornatum: pluteum, sedilia, loculamenta carie semirosa, & vetustatis squalore obsita: petasum, calceos, tunicam, pallium, stragula, cæterámque vestimentorũ supellectilem detritam, & pluries resartam: libros simpliciter compactos, longóque usu decolores: sancta quadam ambitione contendens id assequi, ut nemo illo sit ex domesticis omnibus, seu copia, seu qualitas utensilium attendatur, pauperior. Quò etiam pertinet, in cibis itidem, ac medicamentis semper eligere, quæ minoris pretii, hoc est magis propria egenorum sunt:

nihil pensi habendo, quod minùs indè opis, & commodi corpus percipiat: uti neque pensi id habent, quos fortuna, & nascendi conditio esse inopes cogit: probè scilicet gnari, æquum esse, ut quilibet facultatum suarum modo metiatur sui corporis cultum, neque omnia divitum commoda affectet, cui in re angusta viventi haud parum videri debet, si quacunque demum ratione suis usibus consulat.

15. Octavum, ut omnem ab animo victûs, vestitûs, & id genus necessariarum corpori rerum solicitudinem abigat, neutiquam ægre ferens, & mussitans, si interdum ei quid hujusmodi minùs largè ipsi præbeatur, quàm usus naturalis desideret: imò de hoc ipso in sinu suo gaudens, & gratias DEO referens, quod per necessariorum penuriam instar pauperis tractet. Qualis revera esse minimè posset, si nihil eorum, quibus natura indiget, sibi unquam deesset. *Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus*, (Hor. Epist. L. 1.) quemadmodum Poëta cecinit: & quemadmodum Salomon sensit, cùm precatus DEO est, quasi statum inter paupertatem, & opulentiam medium, ambobúsque ab hujusmodi extremis distinctum, nè quid sib ad

ctum congruentem deesset. (*Prov. 30.*) *Mendicitatem, & divitias nè dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.* Sed quoniam in nonullis horum capitum paupertas afflictationem quoque corporis adjunctam sibi habet, & ad illam, ubi etiam talis est, libenter observandam, præter incitamenta illius propria, multùm conferunt, imò & necessaria sunt alia, quæ à mortificationis studio suggeruntur; non parùm firmamenti rebus hactenus dictis adjicient, quæ capite subsequenti dicere aggrediemur.

CAPUT XXII.

Incitari ab amore DEI animam, ut, quæcunque corpori amica sunt, fugiat, & quæcunque invisa consectetur.

SI divitiarum amor, & possessio, ùt vidimus, perfecto DEI amori adversatur; multò id magis de corporearum voluptatum usu, & amore est dicendum. Magis de amore: quia primò naturalis voluptatum appetitus longè est, quàm divitiarum, vehemen-

tior, magísque incitatus, & sensibilis. Unde etiam plùs hac obscurare in anima sibi obsequente rationis jubar solet, eámque in objectum suum rapere, atque ibi totam defigere. Secundò: quia ad peccandum plùs impellit voluptatum, quàm opum externarum cupiditas: tum quatenus juxta modò dicta vehementior, violentiórque est, quamdam maniæ, ac phrenesis imaginem exhibens, víxque in homine sibi dedito arbitrii libertatem relinquens: tum quatenus inter objecta, ad quæ divitiarum cupiditas fertur, nullum est secundùm materiam, & naturam suam vetitam, quales plurimæ ex voluptatibus corporis sunt: tum postremò quatenus alienam rem injustè occupare, aut aliud improbum facinus ex amore habendi committere non semper in promptu cuique hominum est, imò rara sese præbet sic peccandi occasio, & tunc quoque supplicii, aut infamiæ timor cupiditatem coërcet. At neminem contra repereris, cui assiduè facultas non suppetat, vetita quapiam corporis voluptate genium explendi, ídque impunè, atque occultè, sinè ullo infamiæ, nedum pœnæ ab hominibus metu.

2. Atque hinc palàm arguitur, de usu quoque idem esse dicendum: voluptatum nem-

nempe experientiam, & gustum plùs itidem, quàm divitiarum possessionem, divinæ charitati adversari. Cùm enim terrenorum bonorum amor nulla re magìs, quàm eorum usu excitari, atque augeri consueverit; fatendum procul dubio est, quorum amor magìs sit (prout de corporearum voluptatum amore modò ostensum est) divinæ charitati contrarius, eorum usum pariter magis esse eidem contrarium. Accedit huc, quòd divitiarum possessio, quamvìs earundem augendarum cupiditatem foveat, juxta verissimum Horatii dictum: *Crescentem sequitur cura pecuniam, majorúmque fames*; non tamen adeò acriter stimulare divites solet ad suam rem fraudibus, & rapinis augendam; quàm licitarum voluptatum gustus eos, qui his fruuntur, ad appetendas, gustandásque etiam illicitas stimulet. Cùm permultos opulentorum hominum aspiciamus vix unquam instigari à dæmone ad alios circumveniendos, & bonis suis spoliandos: imò, quantò opulentiores sunt, tantò esse *cæteris paribus* à nefaria hujusmodi cogitatione, & cupiditate alienos magìs: nemo autem unus occurrat, qui largè, effuséque concessis voluptatibus fruens non acri persæpe vetitarum cupiditate incita-

ri ſuum animum ſentiat, tantóque difficiliorem harum abſtinentiam experiatur, quantò illis ampliùs ſe ingurgitat. Denique nemo ibit inficias, delectationes corporis ſordidius aliquid, magíſque intimum homini eſſe, quàm ſint facultates externæ: ac proinde plùs ab illis per ſui guſtum, quàm ab his per merum ſui dominium noſtros animos inficí, ac deprimi.

3. Quamobrem ſanctos omnes viros, & germanos Euangelii ſectatores videmus, quantò DEUM amabant impenſiùs, tantò ſenſuum oblectamenta magis eſſe averſatos: quantóque ſolicitiores de augenda in ſe ipſis illius charitate erant, tantò enixiori ſtudio incubuiſſe, ad cor ſuum omni horum cupiditate purgandum: nîl artium omittentes, quæ ad hujuſmodi purgationem adjumento eſſe poſſent, ſed illâ utentes præcipuè, cujus ſingularem adversùs pravos quoſque affectus efficacitatem ſuprà nos demonſtravimus: arte nimirum, ſemper, & in omni vitæ actu contra illorum propenſiones tendendi. Ac propterea, quemadmodum appetitus ſenſibilis naturali inſtinctu ſuo fertur ad omne voluptatum, quamvìs divina lege interdictarum genus, eodémque omnes corporis in-

com-

commoditates, moleſtias, & perpeſſiones, etiam ad implendam DEI legem neceſſarias, vel utiles refugit; ſic illi, ut affectum divinæ charitati adeò repugnantem, quantùm fieri poterat, in ſe ipſis extinguerent; ſtuduerunt motu prorſus contrario, quidquid corpori blandiretur, eſto licitum, permiſsúmque vitare: & quidquid eidem moleſtum eſſet, perſequi, etſi nullâ aliâ impellerentur causâ, nisi hac una domeſticum ſuum hoſtem vexandi, & magis ſubjectum habendi. Similiter ac Spartanis olim mos erat, (*Athen. L. 14.*) ſervos quotannis, nè conditionis ſuæ memoria in eorum animis exoleſceret, certo plagarum numero, tametſi nullius culpæ reos, multare. Quo in genere prætereunda ſilentio non eſt B. Catharina Genuenſis, infenſa adeò naturalis ſensûs ſui hoſtis, ut ſi quid arridere ei vidiſſet, continuò eidem ſubtraheret; ſi quid autem horrori eſſe, veluti ulcerum, & cadaverum ſaniem; experiri, & deguſtare nequidquam reluctantem cogeret, teterrimas ejuſmodi ſordes protinus ore hauriens, quò illi, quantùm poterat, ægre in omnibus faceret. (*In Vit. c. 5. & 8.*)

4. Et hoc ſanè eſt illud *caſtigare, & redigere in ſervitutem corpus ſuum*, quod magnus Gen-

Gentium factitabat Apostolus, *nè forte reprobus efficeretur.* (1. *ad Cor.* 9.) Hoc illud *exhibere corpus suum hostiam viventem, sanctam, DEO placentem*, quod Romanis idem commendabat, rite admonens, non conservaturos alioqui interiorem animæ vitam: (*c.* 8.) *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hoc illud adversùs carnem pugnare, eámque cum perversis affectionibus suis cruci suffigere, cujus meminit, scribens ad Galatas: (*c.* 5.) *Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Hoc denique mortificatio illa, quæ enixè adeò inculcatur ab omnibus sanctioris vitæ magistris; virtus Euangelii alumna, neque admodum Philosophis veteribus cognita: quibus ùt satis fuit intrà justæ mediocritatis terminos sensibilium voluptatum appetitionem coërcere; ità visum est, nihil ad hunc finem præter solam temperantiæ virtutem requiri. Sed sui illos fefellit opinio: prædictarum siquidem voluptatum amor, cùm vehementissimo naturæ suæ instinctu ad exuperantiam feratur, nun-

quam potest in medio tam constanter, firmitérque defigi, quin conetur identidem ad vetitæ nimietatis extremum transcurrere. Quare, ut extra curam, & metum de eo simus, non ad medium redigendus est, sed ad nihilum: quod Euangelica mortificatio studet efficere, tum omne illi pabulum denegando, tum quidquid aversatur, eum pati cogendo. At contingit non rarò, ut temperantiam lenitatis pœniteat, qua hosti tam infido pepercit, malens illum sibi subjectum habere, quàm è medio funditus tollere: cùm improbus ad fortuitam quamque illecebrosi objecti speciem expergefactus, suique ingenii monitus, vincula subitò excutiat, & ipsi, à qua permissus est vivere, necem studeat inferre: veterum Palæstinæ incolarum similis, quos ab Israëlitis ex Ægypto illuc traductis jussit DEUS ad internecionem deleri: prænuntians, quibus condonata vita esset, superstites in eorum perniciem futuros. (*Numer. 33.*) *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ; qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus.* Usus itaque exigebat, ut contra affectum adeò perduellem, & contineri in officio nescium, præter temperantiam, cujus partes sunt eam moderari, alia quoque ad-

adderetur virtus ſeverior, quæ non contenta infeſtam illius vim coërcere, nè tantummodo noceat; ultro etiam internecinum ei bellum inferret, neque ceſſaret, quamvis debilitatum, atque attritum modis omnibus oppugnare, quoad penitùs deleviſſet, dicens cum Regio Vate: (*Pſ.* 17.) *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.* Et re ipſa, quanti usûs, quámque neceſſaria eſſet hæc virtus, luculentiſſimam fidem faciunt effectus, qui conſecuti ex ea ſunt. Cùm enim ſuperioribus mundi ſæculis, quando nihil remedii contra immodicam voluptatum cupidinem promiſcua hominum conſuetudo habebat, præter unicam temperantiæ virtutem; pauciſſimos reperire erat, qui ab hujus medio nunquam ſe abripi ad vitioſæ nimietatis latus, & voluptates illicitas ſinerent; poſteaquam DEI Filius novam mortificationis virtutem promulgavit, ínque hominum vitam induxit, innumeri undique occurrunt, qui inter carnis titillationes, atque illecebras integerrimam ab omni vetitarum voluptatum guſtu vitam egerint, tanquam ſi non homines terreno corpore amicti, ſed extra omnem materiæ concretionem puri ſpiritus forent. Uſque adeò ad temperanter viven-

dum

dum non satis ferè est, solâ temperantiâ esse contentum. *Arma semper in manibus habenda sunt. Hac enim solùm ratione pax conservatur*: (sapienter pronuntiatum à veteri Scriptore est) *&, quibus tantum facultatis est, ut aliena bello invadant, facilè ii sua tuentur.* (*Dion. L.* 38.)

5. Præterquam quod corporearum voluptatum amor, etiamsi moderatissimus sit, nè quidquam inconcessi appetat, semper tamen motus animæ est erga objecta vilia, lutulenta, & cum animantibus brutis communia, magnúmque ejusdem impedimentum, nè ad rerum incorporearum contemplationem libere assurgat. Unde humana etiam Philosophia contendebat, eum ab anima, quantum posset, excludere: dicta idcirco à Platone meditatio, exercitiúmque moriendi, quatenus alumnos suos separat, si minùs à consortio, saltèm à cura, & cogitationibus corporis. Quam separationem si necessariam illa existimavit, ad purificandos animos, reddendósque ità idoneos contemplationi veritatum naturalium; quantò necessariam magìs existimare nos debebimus ad contemplationem veritatum, quæ naturam omnem longè excedunt? Certè, si nemo in sublime at-

attolli poteſt, nisì ab imo recedat; neque mens noſtra, ùt colligit D. Thomas, elevari ad ſupremum inter ſua objecta, hoc eſt DEUM, poterit, nisì ab inferioribus divellatur, quæ ad terrenum corpus ſuum pertinent, curis. *Oportet, quòd mens ab inferioribus rebus abſtrahatur, ad hoc, ut ſupremæ rei poſſit conjungi.* (2. 2. *qu.* 81. *a.* 8.)

6. Quæ cùm ità ſint, pronum eſt hinc colligere, quàm devii à recto veritatis tramite abeant, qui externam ſenſuum afflictationem parvi admodum faciunt, ceu virtutem tyronum tantummodo propriam, nec perfectæ charitati neceſſariam, ad quam nempe ſola requiratur, & ſufficiat interior animi puritas: idem opinantes, quod de ſuis ſacrificiis opinabantur veteres Perſæ: quos ſolitos fuiſſe refert Strabo, (*L.* 15.) quas in Deorum honorem mactaverant victimas, nè minima quidem parte iis relicta, ſuos in uſus totas abſumere, quòd dicerent: ſolâ Deos immolati agni, vel tauri animâ delectari, nullam verò carnium rationem habere. Vera eſſet, fateor, hæc eorum opinio, ſi genus humanum pergeret adhuc potiri, quo ante primi parentis noxam potiebatur, abſoluto in ſenſuum appetitus imperio; vel liberum ſaltèm cùm

cuique esset, amissam illius possessionem labore, & conatu virtutis sibi rursum asserere. Quemadmodum enim tunc omnes animi motus è nutu rationis penderent; ità hæc per se tantùm, & sinè aliis adminiculis sufficeret ad eos omnino prohibendos, qui interturbare possent puritatem animi, & perfectionem charitatis divinæ. Unde etiam D. Thomas docet, homini primævam integritatem retinenti minimè opus futurum fuisse medicinalibus iis virtutibus, quæ per ultroneas corporis afflictationes vitia animi curant: quemadmodum corpori perfecta fruenti sanitate nullis uti scamoneis, vel cauteriis, aliisque remediis est opus. (*1. 2. qu. 87. a. 7.*) *In statu innocentiæ non oportuisset aliquem ad profectum virtutis inducere per pœnalia exercitia.* Sed enimvero, cùm homines ab integritate felicissimi illius statûs exciderint, veluti nunquam possunt, quantumcunque sancti, & perfecti sint, absolutum adeò obtinere inferioris suæ partis dominium, ut nullos hæc concipiat erga sensuum oblectamenta inordinatos, ac præposteros motus; sic quantumcunque sancti, & perfecti sint, opus habent assiduè laborare, & conniti, ut ejusmodi motus, quantùm fieri minimè potest, in animis suis

excitentur: & consequenter, cùm ad eos comprimendos nihil magìs, quàm corporis castigatio conducat, hac assiduè uti opus habent: post nostræ depravationem naturæ medimentum est, si minùs sufficiens ad nos in perfectam sanitatem restituendos, necessarium saltèm, ut minùs ægroti, & sanis propiores simus.

7. Quorsum igitur quisquam ultrà mihi objicit, ad divinæ charitatis perfectionem consequendam nihil præter cordis puritatem requiri? Esto verè id dicatur: si tamen neque hæc puritas perfectè obtineri potest, quamdiu inordinatus corporearum voluptatum appetitus in corde aliquatenus superest; neque ad hanc excindendam ullum nos habemus in præsenti statu efficacius voluntariæ corporis vexatione remedium; fatendum procul dubio est, quàm necessaria perfectæ charitati cordis puritas sit, tam necessariò ad hanc obtinendam voluntariam corporis vexationem requiri. Quòd verò eadem non sit virtus gregaria, & rudi tantùm vulgo, filisque tyronibus relinquenda, sed omnibus DEI famulis prorsus conveniens; vel unius evinci posset D. Pauli testimonio, & exemplo. Quis enim ignorat, magnum hunc Ge-

tium

tium Doctorem sedulò incubuisse ad afflictationem sui corporis: neque id ex libero tantùm majoris boni studio, sed ex solicita insuper cura prospiciendi suæ æternæ saluti? Nempe in promptu sunt verba, queis planissimam fecit sui hujus moris, atque animi fidem: *Ego autem*, inquiens, *sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: nè fortè, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* (1. *ad Cor.* 9.) Quid ergo hìc dicemus? Numquid, tantum Apostolum rudem, imperfectum, ac tyronem fuisse? At, si ille talis fuit, quisnam, rogo, alter veteranus dici, & perfectus merebitur? An ità egisse, & sensisse, quòd præ demissione animi imperfectum se esse, ac tyronem crediderit? At si ille ità demisso animo fuit, cur elatiore nos simus, nec potiùs ipsi quoque pro imperfectis, & tyronibus ad exemplum illius nos habeamus, tractemúsque, etiamsi non minùs illo essemus veterani, & perfecti? Utcunque se res habeat; ego certè satiùs ducam tyronem esse cum Paulo, vase electionis, & Gentium Doctore, quàm emeritus cum neotericis hisce Doctoribus. Ac proinde, quemadmodum Apostolus Thomas nequaquam

posse à se credi verum Christi corpus ajebat, in quo vulnerum à clavis impressorum notas non cerneret: (*Joa. 20.*) *Nisi videro in manibus ejus fixuras clavorum, &c. non credam*; sic & ipse quamvis potiore jure, & citra omnem incredulitatis notam, germanum esse Christi sectatorem nunquam fatebor, qui stigmata Christi suo in corpore non gerit. *Nisi videro fixuram clavorum, non credam.* Ità, ità plane, *non credam.* Spectrum ille quidem, & phantasma inane spiritualis viri esse poterit: vir esse re ipsa spiritualis non poterit.

8. Ubi etiam declarandum puto, quonam pacto intelligi oporteat, ut verum sit, quod communiter dicitur, austeritatem in corporis cultu magis convenire hominibus gravium criminum reis, & ad DEUM recens conversis, quàm scelerum puris, & qui potiorem ætatis suæ partem in DEI famulatu contriverint. Ità nimirum opportere id intelligi, ut majoribus quidem de causis, non verò ùt major etiam à primis, quàm ab alteris usurpanda illa sit. Et plures quidem, majoríque momenti esse causas, cur usurpari à primis debeat, adeò planum per se est, ut nemini dubium, ut peculiari probatione non egeat. Quòd verò non major quoque illa dem,

dem quàm ſecundis conveniat, probatur. Quia cuilibet ad ſummum, & perfectiſſimum DEI amorem nitenti omittendum nîl eſt, quo illi gratificaturum magìs ſe videat. Jam verò extra omnem controverſiam eſt, quantò unuſquiſque, ſeu nocens, ſeu inſons, ſeu tyro, ſeu veteranus, majori ſeveritate, intrà juſtæ moderationis limites ſuum corpus caſtigat, tantò eundem gratificari DEO magìs. Omnes igitur, quibus quàm perfectiſſimè Deum amare, eíque quàm maximè placere cordi eſt, debent, cujuſcunque ii tandem conditionis, atque ordinis ſint, ſumma, quæ moderationis fines non excedat, ſeveritate adversùs ſua corpora uti: nec proinde major unis, quàm alteris hoc in genere ſeveritas convenit, ſed omnibus par ſecundùm rationis menſuram, hoc eſt ſumma, quam propriæ unicuique vires permittunt: licèt cùm impares ſæpe ſint unius, atque alterius hominis vires, impar quoque eſſe, quantùm ad materiam, ſumma unius, & ſumma alterius ſeveritas ſoleat, non quia multa unus atrocia facinora, nullúmque alter grave crimen patravit, ſed quia ille prævalidas, hic infirmas ſortitus eſt corporis vires. Quapropter ſi duos inter DEI famulos, alterum illibatæ omnino

innocentiæ, alterum verò è turpibus flagitiis nuper emersum, prior viribus polleat, ad totum quadraginta dierum jejunium mero pane, & frigida tolerandum idoneis; alter autem vix eidem communi ritu observando per valetudinis imbecillitatem par sit; debebit ille, si placere DEO pro viribus cupit, nec moderatores sui abnuunt, prædicto abstinentiæ rigore corpus affligere; hic verò ordinaria, & mitiori ratione jejunium colere: cujus austeritas, etiamsi secundùm materiam minor, quia tamen in eo secundùm proportionem, & rationis mensuram alterius austeritati par erit. Unum id superest, ut ad pleniorem conclusionis nostræ evidentiam, quod paulò antè tanquam illius fundamentum posuimus, si cui per se manifestum [illegible] non esset, distinctè probemus: nempe, quantò unusquisque vel innocentissimorum, vel perfectissimorum hominum majori severitate intrà justæ moderationis limites suum corpus castigat, tantò eundem gratificari DEO magis. Neque ejus probatio ullius laboris negotiique est, quippe nihil aliud requirens, nisi ut duo hæc statuantur: primò omnem actum honestum DEO gratum esse, tantoque gratiorem, quantò honestus est magis: secun-

di-

dò, ſeveritatem, qua homo ex divini amoris impulſu moderatè ſuum corpus caſtigat, honeſtam ſemper eſſe, tantóque honeſtiorem, quantò intrà legitimæ moderationis fines eſt major. Quæ principia quemadmodum nemo diffiteri poteſt, ſic, quicunque illa admittit, fateatur ſimul neceſſe eſt, quantò unuſquiſque acriùs ſalva prudenti moderatione ſuum corpus caſtigat, tantò rem acceptiorem DEO facere. Idémque nova, & altiori ratione confirmari poteſt. Quia nequit non honeſtum, rationíque, & virtuti apprime conſentaneum eſſe, quòd habiliorem ſe homo ad DEUM perfectè amandum effingere ſtudeat. Atqui tantò id unuſquiſque præſtat magìs, quantò eſt in ſuum corpus ſeverior: cùm ſic tantò magìs debilitatum, atque extinctum eat præpoſterum amorem ſui corporis, divini nempe impedimentum, & hoſtem amoris. Ergo manifeſtè colligitur, quantò unuſquiſque inclementiùs, juſtam tamen moderationem non prætergrediens, cum ſuo corpore agit; tantò eundem magìs ex virtute operari, & conſequenter DEO impenſiùs placere.

9. Neque mihi opponatur, in perfectis, conſummatæque ſanctimoniæ viris extinctũ jam omnino eſſe amorem ſui corporis: ac

proinde modò allatam de corporearum afflictationum honestate rationem in iis prorsus deficere: utpote quibus, utì ad amoris humani extirpationem supervacuæ sunt, sic ad divini introductionem, atque augmentum nîl prosunt. Vanissima, & rationi, experientiæque palàm repugnans hujusmodi oppositio est. Si enim ad eximiam sanctitatem, & vivendi perfectionem profeciſſe idem foret, atque omnem exuisse amorem sui corporis, sequeretur hinc, viros sanctos, perfectósque nullius unquam seu corporeæ voluptatis appetitum, seu perpessionis horrorem sensuros: neque aut ulla tam illecebrosa peccandi occasio esset, quæ illorum animos vel tenuissimæ delectationis sensu titillaret, aut mortis genus tam atrox, quod coram propositum, & illico subeundum, vel minimæ aversationis, ac formidinis motum in eisdem excitaret. Quæ naturaliũ affectionum vacuitas, cùm procul dubio humanæ conditionis vires excedat, fatendum omnino est, quamdiu in mortali corpore vivimus, tamdiu corporis quoque amorem in nostris animis vivere: qui & ad multa DEO displicentia nos incitat, & à multis aliis eidem gratis retinetquémque cùm omnino extinguere nunquam

pos-

possimus, debemus saltèm, quantùm in nobis est, magìs, ac magìs diminutuere, fugiendo quæcunque ille appetit, & consectando, quæcunque aversatur: ut nimirum debilitatis per hujusmodi exercitationem illius contrariis instinctibus expeditiores, liberioréssque evadamus ad Deum perfectè amandum: hoc est ad repudianda faciliùs, & pleniori cum affectu, quæcunque corporis oblectamenta ipse improbat, & ad subeundos minori cum labore, & reniſu, quoscunque cruciatus velit pro sua gloria à nobis subiri. Quem fructum ex producta per plures annos sui domandi, & vincendi assuetudine perceptum sibi fuisse ostendit egregius ille primò eremi cultor, deinde Christi Martyr Paphnutius: cùm videns proposita sibi ob oculos à tyranno varia, & terrifica subeundorum protinus, nî idolis sacrificaret, cruciatuum instrumenta; securo, & ridenti ore jussit hominem alios quærere, quos eo sævitiæ apparatu terreret. Suum quippe corpus ex longo, & perpetuo asperrima quæque tolerandi usu, parùm jam metuere sive jam parata, seu quæcunque alia, & immaniora excogitari possent supplicia. (*Plat. de bono Stat. Rel. L. 2. c. 12.*) Hoc igitur summum, totúmque est, quod ex

continua exercitatione bellandi cum ſuo corpore ſancti viri aſſequuntur: nempe ut perfacilè, & ſinè magni conatûs indigentia, quandocunque uſus venerit, majoris divini obſequii rationes contrariis quibuſque appetitûs ſenſibilis propenſionibus, & reluctationibus præferant. Nam ad conſequendum præterea, ut nullæ jam in animo id genus propenſiones, ac reluctationes ſuperſint, ſanctum eſſe aliquem, perfectúmque non ſufficit, ſed cælitem quoque eſſe, opus foret. Velimus, nolimus, fieri non poteſt, quin juxta certiſſimum Jobi oraculum: (*c. 7.*) *Militia ſit vita hominis ſuper terram.* Nimium quàm abhorrens à terreni corporis natura eſt, deorſum non niti: & priùs caro eſſe deſinet caro; quàm contrarios ſpiritui motus habere.

10. Nullus itaque ambigendi jam ſuper eſt locus, quin, cùm innatus corporis amor divini amoris perfectionem maximopere impediat; quiſquis hanc ſibi quaſi ſcopum, & finem votorum propoſuit, ad animum illu expurgandum totis conniti viribus debeat cùm cæteras quaſque artes hujus purgationis causâ adhibendo, tum illam potiſſimum quam præcipui usûs eſſe jam vidimus, fugam nempe omnium, quæ arrident, electionem

que omnium, quæ displicent sensibus. Persuasissimum habens, quantò acriùs contra amorem corporis hunc in modum pugnaverit, tantò illum penitiùs è corde abacturum: quantóque magìs vacuus eo fuerit, tantò capaciorem DEI fore, tantò ad illum toto pectore amandum, & intimè illi adhærendum habilem magìs. Atque hæc est ratio, quæ veluti ad cætera omnia spiritualis vitæ exercitia, ità ad hoc quoque divexandi corporis studium incitare cumprimis nos debet: excellentissima sanè ratio, utpote quæ à suprema inter Christianas virtutes, divina nimirum charitate desumitur: quáque utentes assequemur, ut quodlibet è nostris spiritualibus holocaustis cælesti, & divinitus misso igne absumatur: prout accidisse in veteri Aaronis sacrificio legimus, quando *egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, & adipes, qui erant super altari.* (*Levit* 9.)

11. Neque hanc solam, sed plures alias, validissimásque rationes divinus nobis amor suppeditat, cur fortiter, animoséque hoc suscipiamus contra innatas corporis appetitiones domesticum bellum. Nam quæ, rogo, ab anima DEUM dignè amante existimari potest intolerabilior calamitas, quàm ab opta-

optatissimo dilecti sui Domini aspectu vel ad breve tempus excludi? Nulla profectò, ut & demonstratum jam alibi est, & vel ex uno hoc argumento planissimè intelligi potest, quia scilicet cùm hujusmodi anima incomparabiliter plùs se ipsa DEUM amet, fieri non potest, quin multò duriorem patiatur violentiam, dum à DEO disjungi se videt, quàm pateretur, si miro quopiam, & inexplicabili modo à semet ipsa se videret disjunctam. Atqui compertissimum est, non posse hominem neque vitâ functum ad beatam DEI visionem priùs pervenire, quàm pro culpis in vita commissis divinæ justitiæ ad plenum satisfecerit; neque huic meliùs satisfacere, quàm si eas toto vitæ tempore voluntariis sui afflictationibus punire, & expiare contendat. Quonam igitur pacto anima, quæ flagrantissimo DEI amore tota æstuat, nihilque plus anhelat, ac sitit, quàm claro illius intuitu suum amore explere; non alacri gressu eam sibi ineundam, & decurrendam putabit viam, qua expeditissimè inter omnes reliquas ad suspiratam votorum suorum metam potest pertingere? Aut quomodo ad exuendam omni horrore, imò etiam suavem reddendam quantamcunque vivendi austeritatem, non sa-

satìs illi erit, intrà se dicere: hæc voluptas, quam meo corpori subtraho, & hæc pœna, quam eidem infligo, ad optatissimam DEI visionem celeriùs deguſtandam conducit. Quantò duriùs animadverto in meum corpus, tantò minùs mihi prorogabitur infelix exilium à dilecto ejus vultu. Eja, age, pervincatur omnis difficultas, exorbeatur omnis moleſtia, toleretur quævis aſperitas. Nullum existimari earum poteſt pretium, quo anticipata emitur infinitæ illius pulchritudinis visio. O cogitationes vel timidissimis cordibus robore implendis pares! & inter quas nullus jam supereſt locus meticuloſæ illi providentiæ mitiùs agendi cum corpore, nè præmatura, & suum ante diem illi mors afferatur: perinde quasi mortis præmaturitas in dispendii potiùs, quàm lucri loco esse homini possit, non aliam agnoscenti vitam, præter DEUM, neque mortem aliam, nisi disjunctionem à DEO. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*, ajebat Apoſtolus. (*Ad Philip. 1.*)

12. Quid? quod corporis vexandi artes non modò per suam satisfaciendi pro delictis virtutem idoneos nos reddunt, ut citiùs admittamur ad DEUM in cæleſti sua regia intu-

tuendum ; ſed per ſuam quoque merendi præmii vim ampliorem nobis obtinent tum claritatis eum videndi, tum fervoris amandi eũ proventum. Etenim, cùm certiſſimum ſit, non poſſe hominem ex divini amoris inſtinctu ſeveriùs caſtigare ſuum corpus in terris, quin majorem ſibi beatitudinem mereatur in cælo, neque aut majoris beatitudinis meritum habere, quin perfectiùs DEUM videat, aut perfectiùs eum videre, quin ardentiori ejuſdem amore inflammetur; æquè certum itèm remanet, quantò unuſquiſque majori adversùs ſuum corpus ſeveritate in præſenti vita utitur, tantò per hujus meritum perfectiorem DEI viſionem, amorémque in futura æternitate obtenturum. Quod quàm acre incitamentum ad majorem in ſui corporis cultu auſteritatem cuivis animæ ſit, quæ ſummum illud bonum intimè amat, nemo eſt, quin perſpiciat: quemadmodum nemo etiam non perſpicit, quàm proprium infimitam pulchritudinem, & bonitatem amantis ſit, nihil ſe eſſe aliud, quàm oculos, cor, & velle, ad eam meliùs intuendam, & vehementiùs amandam.

13. Poſtremò, qui aliquem ùt ſe ipſum diligit, non poteſt eum injuriâ affectum vi-

de-

dere, quin naturaliter irâ exardeſcat, ſtudióque ultionis contra authorem injuriæ, prout exemplo ſuo fidem facit Junius Brutus, qui, ut inita adversùs Romanam libertatem conſilia vindicaret, nè ſuorum quidem filiorum ſanguini, & vitæ pepercit, in hoſtium numero eos habens, cùm dilectæ patriæ infideles videret. Unde promptum eſt cuivis colligere, num anima divino amore ſuccenſa indulgenter, ac delicatè habere corpus ſuum poſſit, à quo fœdæ voluptatis causâ toties, indigníſque adeò modis offenſum fuiſſe cæleſtem ſuum Dominum novit: an potiùs ob talem perfidiam juſtiſſima adversùs illud indignatione commoveri debeat, pro capitali hoſte ipſum habens, & quaſcunque graviſſimas poteſt ab eo pœnas repoſcens. Quid enim? Egóne ut amicè cum eo agam, qui cum meo Conditore, atque Domino iniquè adeò ſe geſſit? Ut levicula quavis animadverſione illum punire contentus ſim, qui graviſſimis toties contumeliis ſupremam, infinitámque illam majeſtatem violare auſus eſt? Non ità profectò, non ità. Licèt infandum caput ſacrilegam temeritatem, ſi non iis, quæ meretur, ſuppliciis; (quidquid enim minus infinito, minus etiam illius merito eſt) at iis ſaltèm

tèm, quæ ipsi infligi à me poterunt. Ut vo-
tita frueretur voluptate, debitum omne Nu-
mini obsequium impudentissimè proculca-
vit? Nullo jam deinceps etiam permissæ vo-
luptatis gustu fruetur. Parùm est: inebriabi-
tur felle, & absynthio: quidquid maximè
horret, experiri cogetur: neque alia vivet
de causa, nisì ut moriatur diutiùs. Volo,
suis discat impensis, quàm altè commovear
injuriis ei illatis, quem ultra me amo, quan-
tæque mihi curæ sit, ut, qui illum offendit,
quàm plenissimè ei satisfaciat.

CAPUT XXIII.

Qualis, & quanta esse debeat hominis, qui perfectè DEUM diligit, adversùs suum corpus severitas.

DIstinctiùs explicandum jam est,
quænam sit materia, ubi potest,
quíque modus, juxta quem de-
bet hæc corporis afflictatio ex-
exceri, quam ad DEUM perfectè diligendum
usque adeò necessariam esse homini vidimus,
& ad cujus praxim tot, támque validis ratio-
ni-

nibus facer illius amor nos stimulat. Quamvis enim dixerimus, optimam tractandi corporis rationem esse, ut tractetur quàm pessimè, defraudando nempe ipsũ iis, quæ appetit, & cogendo pati omnia, quæ refugit; manifestum est tamen, debere id cum justa aliqua limitatione accipi: nec, qui in suum corpus magis sæviat, plus continuò eum laudis mereri; sed posse hìc quoque ex inconsulto majoris boni studio peccari: ac proinde contractiori aliquo limite opus esse, quo inter vitiosa curti, nimísque extrema, justum, & rationi congruentem virtutis modum determinet. Et circa hunc quidem, utpote in præsenti materia multiformem, próque personarum diversitate varium, non pauca se offerent dicenda: sed vitandæ prolixitatis gratiâ tribus eum, quæ sequuntur, regulis designare generatim conabor.

2. Statuo igitur primò, vitiosas nimietatis causâ esse censendas omnes illas corporis insectandi artes, quæ vel suâpte naturâ, vel ex particulari conditione eas usurpantis vim habent mortis intrà breve tempus illi accersendæ, aut periculoso, & gravi morbo eum percellendi, aut illius valetudinem, & vires plusquam mediocriter labefactandi. Ità

Theologi communiter sentiunt, & nominatim D. Thomas, affirmans: *Macerationem corporis non esse DEO acceptam, nisi in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia frœnetur, & natura non nimis gravetur.* (2. 2. qu. 88. a. 2. ad 3.) Suúmque id effatum comprobans testificatione austerissimi cæteroqui inter Latinæ Ecclesiæ Doctores, id est D. Hieronymi: juxta quem, *de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel somni penuria immoderatè corpus affligit.* (Ib. qu. 147. a. 1. ad 2.) Cæterùm, si subitum, & grave corporis detrimentum absit, neque rigidior illius cultus aliud noxæ afferat, quàm quòd vires sensim atterat, breviorémque annis aliquot vitam hominis reddat; nequaquam lenenti hujus, vixque sensibilis dispendii causâ minus existimari, atque imprudens merebitur, veluti scientissimus spiritualis vitæ magister, Alphonsus Rodericius, (*Par. 3. Tr. 5. c. 17.*) & Theologorum authoritate, & sanctorum virorum exemplis, & idoneis rationibus probat. Præsertim verò quòd vivendi austeritas, esto gravis, & molesta sensui accidat, non tamen semper valetudini obest, saltem quantùm nostra nobis animi veriùs, quàm corporis imbecillitas fingit. Imò experien-

tia demonstrat, permultos ægrotantibus similes per omnem vitam agere, quia ægrotantium ritu se gerunt: & valetudinem nimiâ plerumque curâ enervari, contrà verò ex neglectu, & incuria plus roboris ducere: fœni Græci instar, de quo refert Plinius: (L. 18. c. 16.) *Quantò pejùs tractatur, tantò provenire meliùs*; subdens: *Rarum dictu esse aliquid, cui prosit negligentia.* Audiatur testimonium D. Teresiæ, quæ suo id exemplo confirmat. *Cùm infirma adeò valetudine utar, quamdiu apud me non constitui, valetudinem, & corpus negligere, impeditam me sensi, ac devinctam, nè quidquam boni agerem. Ast ubi, DEO illustrante, hanc dæmonis fraudem perspexi; si ille deinceps sanitatis discrimen mihi objiceret, respondebam: nil refert me vivere: si necessariæ admoneret quietis; haud quiete, sed crucis gestatione opus mihi est, subjungebam: nec secùs in aliis ejusdem generis. Et palàm agnovi sæpissime (quamvis revera corpore admodum invalido sim, ac morbis obnoxio) talia à dæmone suggeri. Postquam enim minorem mei curam gero, neque tantùm corpori inservio, longè meliùs valeo.* (*In Vit. c.* 13.)

3. Statuo præterea cum eodem D. Thoma, illas quoque sui afflictationes pro nimiis, & irrationalibus esse habendas, quæ ho-

minis vires ità enervant, ut eum minùs, quàm par est, habilem reddant exercendis aliis operibus, quæ vel propria statûs sui sunt, vel majoris saltèm momenti, quàm hæc, aut ipsa peculiaris castigatio corporis eorum functioni officiens. *Recta ratio* (ait sanctus Doctor) *non tantùm de cibo subtrahit, ut homo reddatur impotens ad debita opera peragenda.* (*2. 2. qu. 147. a. 2.*) Quæ regula neminem fugit, quàm rationi consentanea sit: quemadmodum nemini quoque obscurum est, quantùm à ratione abhorreat, exercitia, quæ quolibet suum munus exigit, arbitrariis poliri haberi, quæque majoris momenti sunt, in gratiam minùs utilium negligi. *Si debilitem corpus, & conficere studeo,* (inquit Nazianzenus) *non habeo, quo socio, & opitulatore ad res præstantissimas utar: nimirum haud ignorans, quam ob causam procreatus sim, quòdque me per actiones ad DEUM ascendere oporteat.* (*Or. 16.*) Qui ergo à peculiati aliquo austeritatis genere hujusmodi detrimentum experitur se accipere, debebit, si prudenter, & secundùm rationem operari vult, ab illo abstinere. Quamvis non deerunt alii complures, quibus, quod idem austeritatis genus pro diversa sui corporis constitutione nullum tale incommo-

dum

dum pariat, citra omnem immoderati rigoris notam, imò etiam cum merito, & laude virtutis, illo uti fas erit. Quemadmodum non eædem sunt omnium vires, sic neque una potest hìc statui pro omnibus justi, & nimii mensura. Periculum unusquisque sui faciat, indè arguens, *quid ferre recusent, quid valeant humeri*: neque aliorum exemplis, sed propria facultate, atque habitudine metiatur, imponendam suo corpori sarcinam: memor, eadem illa arma, quæ usui, præsidióque ad pugnandum Sauli erant, oneri, atque impedimento Davidi fuisse: & Phœdri ranam miserè disruptam esse, dum bovis magnitudinem se inflando æquare contenderet. (*Fab. 24. L. 1.*)

4. Duo tamen sunt, quæ pro legitimo secundæ hujus regulæ intellectu advertenda esse censeo. Primum ad aliquam corporis castigationem pro nimia, & irrationabili habendam, eò quòd reliquarum virtutum functionibus impedimentum afferat; opus esse, ut non quocunque tandem modo, sed valde, gravitérque has obturbet. Nam si difficiliorem tantùm, & minùs commodam operationem homini reddat, nihil præterea obstans, nè ille aliquantò enixiùs conando vel pari,

vel paulò minori cum perfectione eam exe-
qui possit, nulla esse habenda talis impedi-
menti ratio videtur. Alioquin quisnam in
spirituali vita locus esset austeritati, quæ ta-
ctum præsertim affligit? Næ illam procul a-
mandari oporteat, quasi noxiam magis, quàm
utilem; & pro eo ut puniatur, vexetúrque
corpus, omnia potiùs illius commoda essent
quærenda: cùm, quantò tractatur melius,
tantò ferè habitudinis, vigoríque ad operan-
dum plus habet.

5. Alterum, quod observari oportere
existimo, est, consuetudinem, ùt in omnibus
ferè aliis rebus, ità plurimùm hìc etiam valeat
re ad reddenda post aliquod tempus innocua,
quæ primùm lædebant, & levia, quæ initio
portantes gravabant. Quæ observatio ad
hoc valebit, nè simul atque experimur affi-
ctatione aliqua inhabiliores ad operandum
nos effici; eam continuò, tanquam importu-
nam, & justo graviorem abdicemus, sed po-
tiùs crebro usu familiarem, & amicam nobis
facere studeamus: animadvertendo, num
pluries repetita minùs sensim, ac minùs non
præpediat. Id enim si accidat, argumento
erit, si diutiùs continuetur, nihil denique im-
pedimenti allaturam. Quemadmodum
con-

contrario, si pluries usurpata, æquè semper, ac initio gravis, & incommoda sentiatur, rectè hinc arguemus, eam ad nos parùm facere, aliisque esse, quibus congruentior sit, relinquendam. Ubi etiam ad facilorem hujusce artis praxim adjicio, è re admodum fore, si prædictis exercitiis pœnalibus, unde nostram imminui ad actiones ordinarias habilitatem experimur, nos assuefacere, haud protinus secundùm totam eorum asperitatem, sed paulatim, & per partes conemur, à minoribus sensim procedendo ad majora. Ceu exempli gratiâ, si quotidiani somni tempus curæ nobis sit à septenis ad quinas, vel pauciores horas contrahere; debebimus primùm ex ampliore illo spatio semihoram tantummodo resecare, & somno ità modicè decurtato uti, quoad natura primam hujusmodi illius diminutionem molestè jam non ferat: tum alteram semihoram detrahere, pergendo eâ ità carere, donec consuetudo hunc quoque defectum nobis insensibilem reddat: atque ità paulatim demendo progredi, usquedum destinatâ quinque, aut pauciorum horarum mensurâ contenti tandem esse addiscamus. Simili ratione, qui cilicii usu ineptiorem ad ordinaria sua ministeria obeunda se reddi ex-

peritur, vellétque nihilominus citra horum fraudem illo uti, poterit initio lineam subticulam laneâ mutare: dein ubi hæc unius, alteriúsque anni gestatione, & quasi familiaritate minùs dura corpori evaserit, aliam crassiorem, & cilicio similiorem substituere: quam tamdiu gerat, quoad longa assuetudo illius quoque asperitatem mitigârit, & corpus postremò per hujusmodi prolusiones ad cilicium minùs ægre, minoríque cum incommodo tolerandum paraverit. Arte quidem & à Cyro Persarum Rege animadversa, & militibus suis commendata, dum hortatus est, ut ad dediscendum vini potum ejus mensuram pauxillula, & insensibili detractione diminutum in dies singulos irent: *quod imprudentes quodammodo aquæ assuescerent. Sensim quippe, & pedetentim progrediens conversio efficit, ut quævis natura mutationem perferat: quod etiam* DEUS *ipse ostendit, dum nos paulatim à frigore ad maximum calorem, & vicissim à calore ad maximum frigus perducit.* (Xenoph. l. 6. Cyrop.) Nec providè, & feliciter minùs Dorotheo Abbate usurpata: cùm illius opera Dositheum suum discipulum eò adduxerit, ut cui sub vitæ monasticæ initia ad quotidianum victum sex panis libræ opus erant, ocio postmodum unciæ sufficerent. (*In Vita Dosith.* 6. Con-

6. Constitutis porrò geminis hisce regulis, nullo jam negotio, & quodammodo per se ipsam tertia consequitur. Ea verò est, uti nimio rigore vexationes illæ corporis peccant, quæ aut graviter valetudinem lædunt, aut rectis operationibus non mediocre impedimentum objiciunt; sic reliquas omnes, unde prædicta incommoda absunt, ad legitimam austeritatem spectare. Adeò ut aliquam ex primis suscipere, sit ultra rectum illius modum excurrere: aliquam ex secundis per ignaviam omittere, infra rectum illius modum subsistere: nullam verò neque ex illis exercere, neque ex his prætermittere legitimum in ea recti modum servare. Quòd si post allatas quoque hasce regulas aliqua nihilominus circa hanc, vel illam corporis vexationem occurreret dubitatio, num intrà, an extra modum virtutis ea sit; reliquum erit ad obedientiam confugere, veluti ad supremam, & universalem regulam tutè operandi; nimirum dubitandi rationes suæ animæ moderatori aperire, & illius sententiam, definitionémque non aliter, ac certissimum Numinis oraculum sequi: omittendo, quidquid ipse ceu immoderatum dissuadeat, & eligendo quidquid pro justo approbet.

7. En itaque, ô Lector DEI amandi ſtudioſe ! illius auſteritatis menſuram, ad quam ſanctiſſimus illius amor te impellit. Impellit ad macerandum tuum corpus omni pœnarum genere, quibus ſalva neceſſariæ valetudinis, idoneæ ad rectas operationes facultatis, & obedientiæ ratione affici poteſt: adeò ut intrà hoſce cancellos quodcunque illius & oblectamentum fugias, & incommodum conſectêre. Quænam verò illius tum oblectamenta, tum incommoda ſint, declarari enucleatiùs nequit, quàm percurrendo quinque illa inſtrumenta, quæ ad fruendum, patiendúmque illi tribuit natura, quinos nempe illius ſenſus: & obſervando, quid horum ſingulis vel jucundum ſit, ut eo defraudentur, vel moleſtum, ut illud pati cogantur.

8. Primus ſeſe offert viſus: ad quem omnibus divexandum modis, non debebis permittere oculis, ut curiosè contemplentur objecta ſibi arridentia, præſertim formoſos vultus, choreas, ludos, principum palatia, profanæ magnificentiæ apparatus, ſumptuoſa veſtium phaleras, ídque genus ſpectacula intuentium oblectationem appoſita: ſed eos potiùs ſtudioſè defigere in ſpecies viſu horridas, mendicos ſordibus, illuviéque obſitos, cor-

corpora insigniter deformia, ulcera sanie manantia, & quodcunque aliud ingratum objectum. Sequitur auditus, qui prohibendus tibi erit omni delectatione vocum molliter sonantium, & cantuum, saltèm qui divina, vel moribus componendis utilia pro argumento non habent: contráque assuefaciendus, ut patienter excipiat strepitus exosos, cujusmodi sunt latratus canum, serrarum stridor, clamores inconditi, oscitationes sonoræ, & alii ejusdem generis, quibus aures delicatæ offenduntur. Succedit olfactus, qui cùm suavi unguentorum, pulverúmque, & laticum odoratorum fragrantiâ delectetur; hanc tu illi vel omnem, vel saltèm quæ humano elaboratur artificio interdices: non modò nîl ejusmodi deliciarum penes te habens, sed earum quoque halitum, si fors aliunde aspiret, averso vultu, vel suppressa tantisper respiratione devitans. Quemadmodum altera ex parte, quia omnis fœtor odio ipsi est, atque horrori, hoc illum studebis torquere, frequentando libenter loca, unde exhalatur, ceu nosocomia, atque ergastula, & familiariter cum personis agendo, quorum vestes, ac corpora graviter consueverunt olere, putà opilionibus, mendicis, ægrotis.

9. Sed

9. Sed præcipua auſteritatis erga corpus materies ſunt duo reliqui ſenſus, guſtus nempe, atque tactus. Et ad guſtum quidem quod pertinet, quemadmodum ille victum experti affluentem, & lautum; ità ejuſdem parcitate, vilique, & minùs ſapida conditione affligendus tibi erit. Parcitas ſenis hiſce legibus continetur. Prima eſt, ut extra prandii, cœnæque tempora perpetuum obſerves, nec ſeverum minùs jejunium, quàm quod ante Euchariſtiæ ſumptionem Eccleſia præſcribit: lex D. Philippo Nerio tanti viſa momenti, ut ſuorum cuidam veſci extra menſam ſolito aſſeveranter dixerit: tu nunquam ſpiritualis homo eris, nisi iſtuc vitii dediſcas. (*In Vita l. 2. c. 14.*) Secunda, ut inter ipſas menſas appetitum ventris, ac gutturis moderêre, minùs ſemper cibi capiens, quàm eorum poſcat ingluvies. Tertia, nè ullum ex appoſitis ferculis totum exhaurias, ſed aliqua ſingulorum parte genium defraudes. Quarta, ut ſolemnibus, ac feſtis per annum diebus non largiùs, quàm profeſtis veſcâre. Quinta, ut ſi vires patiuntur, ſemel tantùm in die cibo refici aſſueſcas. Sexta, ut quotidianæ hujus, & perpetuæ in cibo parſimoniæ crebra itèm ſtatis anni temporibus ſuperaddas jejunia

Cir-

Circa verò qualitatem, & conditionem victûs decem hæ tibi severitatis regulæ usui esse poterunt. Prima, ut vino vel in totum abstineas, vel quàm modicissimo utaris. Secunda, ut extraordinarias quasdam, & delicatiores solito dapes in perpetuum tibi interdicas. Tertia, ut ea itèm cibaria à tuo usu proscribas, unde plus delectationis palatum, quàm nutrimenti, & vigoris corpus percipit, cujusmodi pleraque sunt ad secundam mensam spectantia. Quarta, ut ex duobus ferculis, quoties tui arbitrii res est, illud semper eligas, quod gulæ minùs arridet. Quinta, ut appositis tibi eduliis nihil vel ordinarii, & vulgaris condimenti addas, quod purè ad augendum illorum saporem conducit. Sexta, ut, nisi stomachi imbecillitas reclamet, pane tantùm, caseóque, vel vulgari alio obsonio victitare assuescas: cùm hoc uno alimenti genere possit facilè hominis corpus non sanum duntaxat conservari, sed vegetum quoque, & cuivis labori sufficiens, prout ubique obvia agricolarum, pluriúmque aliorum opificum exempla testantur. Septima, ut hac victûs simplicitate tunc saltèm contentus sis, cùm communis mensa nihil tibi apponit opsonii, præter eas dapes, quæ esto cæteroqui plebe-

jæ;

jæ, & vulgares, tuo tamen guſtui peculiariter ſapiunt: intactum relinquens gratioris hoc pabuli genus, illiúſque defectum largiori panis uſu compenſans: juxta prævium Thomæ Sancii, Theologi, & Scriptoris celeberrimi exemplum: in cujus privatis ſchedis, præter alia, quæ ſibi ad ſpiritualem profectum, & virtutis exercitationem obſervanda propoſuerat, hoc quoque ſub illius mortem repertum eſt: (*Apud Crombec. de Stud. Perf. l. 2. c. 32.*) *Neque toto vitæ meæ decurſu certò quibuſdam ciborum generibus utar, quòd meo palato minùs in modum arrideant, etiamſi nudo panetum temporis contentus eſſe deberem. Illud omnino intactum relinquam, in quod appetentia mea ferùm ardentiùs.* Octava, ut ſtudeas guſtum, ſaporémque eſcarum, quibus veſceris, quàm minimùm poſſis ſentire: partim affundendo iis frigidam, vel amari quidpiam intermiſcendo; partim ſevocando ad alia objecta ab iis mentem: ità ut ſumas quidem, quod opus eſt cibi, ſed illius qualitatem minimè advertens, imò vix penè advertens, num comedas. Nona, ut nequaquam repudies, aut aliis permutari eos cibos cures, quos naturalis ſenſus tuus averſatur, imò iis ſolitò largiùs, dummodo nè valetudini officiant, veſcaris: quemadmo-

modum etiam, ut crebrò ex eadem torquendi guſtu auſteri ſaporis materias, ceu abſynthii folia, malorúmve aureorum corticem, ſive intrà, ſive extra menſam adhibere inſtituas. Decima, ut ſi quando contigerit, oblatas tibi epulas, ſive ob materiæ conditionem, ſive ob coqui incuriam parùm palati tui eſſe; de hac ipſa minori ejus voluptate in ſinu tuo gaudeas, & peculiares ſub finem menſæ, amantioréſque gratias Numini referas.

10. Nec minori ſeveritate adversùs tactum uti te oportet: denegando ipſi quoque, quantùm fas eſt, omnia illa, quibus naturaliter gaudet, qualia ſunt exempli gratiâ auræ refrigeratio æſtivis menſibus, ignis fomenta per hyemem, requies poſt laborem, commodior corporis ſitus, delicatæ veſtes, lecti mollities, ſomni prolixitas: & cogendo præterea eundem pati, quidquid juſta moderatio, & obedientia permittit moleſtiarum, incommodorum, cruciatuum. Quo ſpectant nocturnæ vigiliæ, indumentorum aſperitas, ſomnus ſuper nudis aſſeribus, aculeata cingula, creber flagellorum, ac cilicii uſus, pedeſtria itinera, inquies gravium laborum per magnam diei partem continuatio, per incommoda orandi ſemper de genu, manibúſque an-

ante pectus junctis, vel brachiis in crucis formam extensis, consuetudo, voluntaria æstûs, atque algoris citra ullum lenimen, musca-rúmque, & pulicum sinè abactione perpessio: nec non plurimæ aliæ pœnalium hujusmodi exercitationum species, quas inexplebilis crucifigendæ carnis suæ ardor veris DEI famulis suggerit.

11. Denique, si cordi tibi est, ad plenum, pérque suos omnes numeros illam exercere vivendi austeritatem, quæ perfecto DEI amori excitando, fovendóque adeò est necessaria; debes, quantùm sinè gravi seu valetudinis noxa, seu rectarum operationum præpedimento fas est, modis omnibus insectari tuum corpus, neque ullam ipsi annuens earum oblectationum, quas amat, neque ullam condonans earum vexationum, quas odit. Imò neque his peractis contentus omnino esse debes, sed optare insuper, ut DEUS, hominésque, & aliæ res creatæ reliquum hoc in genere exequantur, quod ipse exequi non potes: & gestire, si quando conspirant ii quoque ad domesticum tuum hostem pro virili sua parte insectandum: ceu exempli gratiâ, si importuni canum latratus, molestæve culicum punctiones necessaria somni

mni quiete frui vetant, si capitis, dentiúmve urget dolor: si improviso lapsu, offensúve partem aliquam corporis læseris: si morbi causâ te uri, secari, aut alia id genus remedia, morbo sæpe ipso duriora, experiri opus est: gratulans tibi de hujusmodi perpessionibus, lætóque illas vultu, quasi amicos officii causâ invisentes salutans: ad exemplum D. Francisci Borgiæ, qui amicorum nomine appellabat omnia illa, quæ aliquid sibi molestiæ, aut doloris crearent: (*Apud Roder. P. 2. Tr. 1. c. 15.*) hilari ore solitus dicere, ubi sol, ventus, nix, pluvia, podagræ dolor, aut alius quis casus infestaret: *quàm benignè amicus nobiscum agit?* Imò ad exemplum ipsiusmet Servatoris, ac Domini nostri JEsu Christi, qui nulli ex rebus, quæ ad mortalis vitæ commoda sibi servierunt, tantum honoris præstitit, quantum cruci, clavis, & spinis, quæ suppliciorum, ac necis fuerant sibi instrumenta: prout animadvertere D. Gertrudem jussit, dicens ei: (*L. 4. Insin. c. 54.*) *Considera, quale exemplum dem tibi in crucis exaltatione. Nam præ cæteris creaturis, quæ mihi inservierunt ad commoda temporalia, ùt sunt vasa, & similia, multò majorem honorem cruci meæ, coronæ, lanceæ, clavis, & similibus, quæ mihi ad pœnam ser-*

vierunt, habeo. Quarum exercitationum ipsu, ceu perges magis semper, ac magis praposterum tuæ carnis amorem in tuo animo extinguere; sic ulteriùs semper, atque ulteriùs, remotis nimirum, qui ab illo veniunt, obicibus, in sanctissimo DEI amore proficies. Testatus olim de se fuerit effæminatus ille Israëlis Rex: (*Eccles. c. 2.*) *Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* O quantò nobilior contestatio tua erit, si contraria omnino ratione profiteri de te possis: *Omnia, quæ desideraverunt sensus mei, negavit, & prohibui cor meum, nè ulla voluptate frueretur.*

CAPUT XXIV.

Ad perfectum DEI amorem necessariò requiri, ut reprimamus voluntatem propriam, imò ut illâ etiam nos omnino abdicemus.

PErfecta mortificatio nihil est aliud, quàm omnimodum, & universalis amoris proprii antidoton: nempe odium, fuga, & abdi-

dicatio eorum omnium, quæ homines ex innato amore sui appetunt. Quapropter, quemadmodum unusquisque nostrûm geminis partibus constat, alterâ externa, & sensibili, quæ est corpus; altera interiori, & spirituali, quæ est anima, nec nisi appetendo, quæ grata illis sunt, amare se ipsum potest; sîtà mortificatio in duas & ipsa partes dividitur, alteram, quæ bellum gerit cum innatis appetitibus corporis, & exterior mortificatio appellatur; alteram, quæ naturales animæ ad præsentia bona sua instinctus oppugnat, dicta proinde mortificatio interior, vel juxta Apostoli phrasim (*Ad Rom. 2.*) *Circumcisio cordis in spiritu.* Cùm igitur de priore illa satìs jam disputatum sit, supereſt, ut de posteriore instituamus porrò agere: demonstrando tum præsenti capite, quomodo illa innato propriæ voluntatis amore hominem exuat; tum in proximè secuturo, quomodo eundem ab innatis intellectûs affectionibus purget.

2. Priùs tamen, quàm id facere aggrediar, necesse habeo explicare, quidnam sit ille amor voluntatis propriæ, qui exturbandus ab anima est, ut puro, & perfecto DEI amori in eam aditus pateat. Cujus rei gratiâ sci-

endum est, naturale id homini esse, ut prae-
ter simplicem, & absolutum amorem, quo
objecta amabilia primò vult, quatenus per se
bona, alio quoque secundario, & reflexo a-
more eadem prosequatur, quatenus à se jam
probata, atque volita: quod est non ipsâ dun-
taxat, sed suam item in ipsis voluntatem a-
mare. Unde fit sæpenumero, ut quamvis
post alicujus rei electionem, aliæ homini oc-
currant rationes contrariæ, quæ si antea oc-
currissent, nequaquam electurus eam fue-
rat; nihilo tamen minùs illam velle adhuc
pergat, non alia utique de causa, nisi quia se-
mel voluit, atque ex amore erga pristinum
circa illam voluntatis suæ placitum.

3. Animadvertendum quoque est, præ-
ter instinctum particularem, quo unusquis-
que fertur, ad volendam, decernendámque
hanc vel illam actionem, quæ ipsi honesta
utilísve, aut jucunda apparet, alium quoque
universalem instinctum in anima existere ad
volenda, & agenda, quæcunque vult, age-
que cum plena libertate ex suo mero arbitrio
tu, & sinè ulla vi externa. Unde mox se-
quitur, ut multa, quæ non modò non invi-
sed hilariter quoque, & magna cum animi
delectatione agebamus; si contingat à nec-

ſtrorum Præſidum aliquo pro legitima poteſtate imperari; novæ illis ſuperadditæ obligationis ergo, inſuavia confeſtim, atque exoſa nobis evadant: útque eadem de cauſa grave admodum experiamur, à multis abſtinere, ſi lege aliqua interdicantur, quæ agendi ante latam legem, & cùm omnino liberi eſſemus, nè minima quidem nobis incidebat cogitatio, & voluntas.

4. Valebunt ad rem confirmandam, & clariorem reddendam miri duo eventus, à Cæſario literis proditi. (*L. 4. c. 76. & 77.*) Erat, ſcribit ille, in Germania vir præclari generis, & opibus pollens, nomine Henricus de Vvida: hic audiens aliquando ab uxore graviter, & multa cum indignatione accuſari Evam, quòd tam facilè DEI præceptum, quàm erat abſtinentia ab uno pomo, per miram, & vix credibilem animi impotentiam fregiſſet, noluit incorrectam dimittere nimiam mulieris garrulitatem; quid autem, ſubjecit, ô domina! ſi tute, quæ in Evam acerbè adeò nunc inveheris, legem multò faciliorem obſervatu, quam ego tibi impoſuero, leviori, imò nulla de cauſa præteriveris? Age, cominus experimentum rei capiamus. Vidiſtine cœnoſam illam juxta noſtras ædes

paludem ? Lex esto. Nè per illam unquam incedas, quadraginta argenti marcas solutu-ra, si id faxis. Risit uxor, dictámque sibi legem simul cum apposita multa joci instar secura, & lubens accepit: utpote quæ certum in animo haberet, vel centenas priùs marcas erogare, quàm lutulentis iis aquis pedes immergere; nedum se ab iis intactam servare, nè penderet quadragenas. Sed quid porrò ? Mariti interdictum animo reputans, cœpit insolenti quadam, & vehementiori indies cupiditate ad vetitum stagnum subeundum impelli: neque unquam juxta illud transibat, quin avidè intueretur, & quando non licebat gressibus, oculis illud saltèm, atque obtutibus perambularet. Postremò vecors illa atque effrænis pruritus in tantum excrevit, cùm aliquando illac transiret, conversa pedisequam dixerit: atqui ego disrumpi me sentio, nisi hanc lacunam ingrediar: neque ultra temperare sibi valens, genuum tenus eam penetravit, pergens ibi discurrere, quo ad insanam suam explevisset libidinem. Nec sinè magna viri voluptate, quando ab explo-ratoribus, quos clam observare illam jussi-rat, factum rescivit: nec minore cum ipsius rubore, ubi domum reversa interrogari

ab eo audiit, quàm commodè novo balneo usa esset, mox de sua phrenesi potiùs, quàm animi impotentia irrideri, & argentum reposci, cujus solvendi ex conventis rea erat.

5. Alterum exemplum adhuc mirabilius, & cujus fides sit penes nominatum authorem, vir præbet, quàm genere illustris, tam moribus sordidus, sed à flagitiosa demum vita meliorem ad frugem conversus. Cui cùm Sacerdos, Sacramenti Pœnitentiæ administer, non inveniret, quid pœnæ post criminum confessionem statueret; (nihil quippe injungebat, quin homo delicatus negaret, id obiri à se posse) illud tandem præscripsit, ut ad satisfaciendum DEO pro admissis sceleribus abstineret toto vitæ suæ tempore à quibusdam cæteroqui amarissimis pomis gustandis, quorum arborem suo habebat in prædio. Et quàm non levis pœna hujusmodi fuerit, palàm fecit eventus. Qui enim antea gravissimæ locò pœnæ duxisset, tam ingratis fructibus vesci; post imperatam sibi eorum abstinentiam stimulari acerrimè ad degustandos eos cœpit. Néve longiùs rei exitum morer, tanta die quodam tentationis vehementia, atque immanitas fuit, ut postquam diu secum toto animi nisu colluctatus fuisset, jam ad po-

ma extendens, jam ab illis revocans manum, præ nimia denique resistendi violentia animam sub illa ipsa arbore efflaverit.

6. Hic ergo instinctus operandi semper ex libera propensione animi, nec alia quàm arbitratûs sui lege, & hic rerum à se electarum amor, non propter insitam solummodo iis bonitatem, sed propter earum quoque electionem, prava illa est erga voluntatem propriam affectio, de qua hìc disputamus. Circa quam observandum adhuc superest, & assidua incrementa illam capere in singulis operationibus nostris, non improbis tantùm, sed etiam suâpte naturâ honestis, quæ impellente illa fiunt, veluti exempli gratiâ, ubi quis jejunat, vel inopi stipem largitur, ex suo dum taxat arbitrio, gaudétque, quòd libere eo utatur: cùm enim, quoties ità operamur, novo semper aliquo actu voluntatem propriam amemus; fieri non potest, quin hujus amor ex unoquoque illorum actuum novum accipiat quod incrementum ducat, & quantò plures sunt, tantò altiùs radicetur in anima, tantoque plus acquirat virium. Unde porrò consequitur, ut, quemadmodum homines à prima ætate consuescunt voluntatem propriam amare, & ubicunque possunt exequi; neque

solùm illius gratiâ DEI leges sæpissime violant, verùm etiam in rectè operando illius plerumque impulsu moventur, eíque gratificari studeant, sic ipsa processu temporis immanè quantùm corroboretur, & glisçat, adeò ut incidente postmodum occasione peccandi, extremo quodam conatu opus sit ad duplicem pravam propensionem vincendam, alteram naturæ erga illud sibi volupe objectum, alteram voluntatis erga libertatem sua sponte, & sinè ulla exteriori coërcitione operandi.

7. Quòd verò hic voluntatis propriæ amor perfecto DEI amori valde adversetur, nemini non proclive cognitu est. Primò quippe efficit, ut nostri actus vel non placeant, vel minùs placeant DEO: prout ex eo Isaiæ loco apertè colligitur, ubi interrogantibus Dominum: *Quare jejunavimus, & non aspexisti? Humiliavimus animas nostras, & nescivisti?* (*c.* 58.) illa statim redditur causa: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra:* Perinde quasi hæc intùs corrumpat, quæ rectè fieri extrinsecùs jubet. Neque objicias, bona hominis opera tantò plus perfectionis, & meriti habere, quantò alacriùs, & minore cum animi repugnantia peraguntur; qua-

re cùm ità peragi ſoleant, quæ ſua ſponte, & ex libera electione homines faciunt; propriæ voluntatis dulcedinem, amorémque tantùm abeſſe à bonorum operum perfectione diminuenda, ut ad eam potiùs intendendam conducat. Quamvis enim admittam, quæ alacriùs fiunt, majoris communiter pretii, ac meriti eſſe, fateárque, quoties duo aliquid faciunt, quod utrique prorſus ex æquo arduum eſt; ab utro id promptiùs, alacriúſque fiat, ab eodem etiam majori cum virtutis laude, ac merito fieri; nego tamen, ſi idem opus alteri facilius ſit, eáque major facilitas nequaquam ex illius virtute oriatur, ſi minori cum labore animi ab hoc fiat, perinde eſſe, ac efficaciori, magíſque perfecta cum voluntate, & ampliori cum merito fieri. Sic exempli gratiâ, ſi duo ejuſdem conditionis, & valetudinis, Lauretanam peregrinationem nudis pedibus ſuſcipiant, nemini eſſe dubium poteſt, quin qui minùs reluctante animo illam obit, efficacioris propoſiti, ac voluntatis ſpecimen præbeat. At ſi alter quia moliter educatus, neque unquam nudo pede humum premere aſſuetus, ceu plurimum laboris, & incommodi; ità etiam nonnihil naturalis repugnantiæ in ea peregrinatione ex-

pe-

peritur; alter verò, utpote homo ruſticanus, quíque pedes aſſiduo terræ attritu calloſos, & penè ipſamet terra duriores habet, utì nihil moleſtiæ percipit, ſic abſque ullo animi reniſu iter abſolvit; quiſnam ideo majorem in hujus, quàm in primi actione virtutis præſtantiam, voluntatis vigorem, & meriti dignitatem reperiri arbitrabitur? Universè loquendo, repugnantia, & minor alacritas in bene operando, ſi non ſit voluntaria, neque ex negligentia, voluntatis tepore, prava conſuetudine, alióve morali operantis vitio, ſed ex mera operis, & hujus circumſtantiarũ difficultate proveniat; ad augendum valet potiùs, quàm minuendum meritum interioris actûs, à quo ſuperatur: cùm occaſionem ei præbeat, imò etiam neceſſitatem imponat exerendi ſe validiùs, & majori cum niſu virtutis, quàm alioqui faceret, ſi nihil obſtaculi perrumpendum haberet. Quemadmodum altera ex parte proclivitas voluntatis ad operationes rectas, ſi originem ducat, non ex conſuetudine illas ſæpe exercendi, ſeu ex flagrantiori amore boni honeſti ad eas impellentis, ſeu ex alia perfectione operantis; ſed ex eo, quòd earum materies, vel ſuopte ingenio, vel ratione alicujus circumſtantiæ ne-

qua-

quaquam per se ipsam honestæ facilis sit; ad extenuandum potiùs facit, quàm ad intendendum valorem actûs eas imperantis: utpote qui, quantò minùs contentiosus, & pugnax, tantò esse consuevit remissior, venti instar ibi minùs impetuosi, ubi nihil sibi obstat: cujus proinde exemplo uti quilibet potest circa suæ modum virtutis, nihilo minùs aptè, quàm Cæsar usus sit, circa suos in bellis processus, dicens cum illo: (*Lucan. l. 3.*) *Ventus ùt amittit vires, nisi robora densæ occurrant sylvæ, spatio diffusus inani; sic hostes mihi desse nocet, damnúmque putamus armorum, nisi qui vinci potuêre, rebellent.* His ergo præmissis, sumamus, age, quempiam voluntatis propriæ amatorem, non obscurè apparebit, quantũ is hac de causa detrahat perfectionis, & meriti operibus suis, tum quæ suo ipse arbitratu facienda suscipit, tum quæ ab obedientia ipsi imperantur. Multum sanè primis detrahit: cùm ea faciliora, & leviora sibi reddat, quàm suo ingenio communiter sint, neque id per supernaturalem DEI, virtutis amorem, sed per affectum naturalem, minimèque honestum, delectationem videlicet operandi ex propriæ voluntatis instinctu. Sed longè etiam secundis plus detrahit: cùm, quan-

quantò impensiùs quisque amat, libere, & sua sponte operari; tantò plerumque illibentiùs susci pit, minorique cum attentione, & sedulitate obit, quæ præter suam electionem alieno jussu exequi cogitur. Quamobrem, esto, qui talis est, plùs mereatur in operibus bonis, ultro à se electis, quàm à superiori potestate sibi injunctis; (prima enim saltèm plenè volens, amantérque, & studiosè, altera verò gravatè, invitúsque, nec cum accuratione debita agit) non tamen in iis ipsis tantùm meretur, tantámque cum interiori perfectione illa exequitur, quàm alter, qui hostili ubique odio propriam voluntatem insectans, etiam quando aliquid recti operis ultro eligit, nullam ibi rationem sui placiti habet, neque ullo ejus instinctu, sed puro unius supernaturalis honestatis amore ad operandum movetur. Atque ità nihil homo aliud ex propriæ voluntatis studio consequitur, nisi ut faciat & cum naturali voluptate opera bona à se electa, & cum voluntaria animi ægritudine à legibus, vel præsidibus sibi imperata, nempe & prima cum minori merito, & sinè ullo penè merito, imò etiam non rarò cum reatu culpæ altera; justam occasionem D. Bernardo suppeditans colligendi:

Gran-

Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint. (*Serm. 71. in Cant.*)

8. Parùm tamen est voluntati propriæ veneno suo inficere, & minùs accepta DEO reddere bona opera, quæ vel juxta, vel contra ejus instinctum à suis amatoribus fiunt; pergit ulteriùs illud etiam efficere, ut homo à DEI jurisdictione, & imperio se subtrahat: nullum habere præsidium volens, sed ipsemet sibi unica vivendi lex esse. Quod est usurpare sibi authoritatem, & prærogativam unius DEI propriam, nec se ultro pro subdito gerere, sed protervi instar Luciferi collegam ipsius esse, atque æmulum velle: *Tenebrosa*, prout loquitur Augustinus, *omnipotentis similitudine*: (*L. 2. Conf. c. 6.*) nec minori cum ejus injuria, quàm quæ Regi à subditorum aliquo fieret, si ex adverso ipsius erigere sibi solium, vel diadema supremæ potestatis insigne suo capiti imponere auderet. *Solus Deus* (inquit D. Anselmus) *quidquid vult, debet velle propria voluntate, ità ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se. Cùm igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, quasi DEO auferet suam coronam. Sicut enim corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli DEO. Et sicut Regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam si-*

mu-

auferret; sic homo inhonorat DEUM, *qui aufert ei voluntatis propriæ privilegium, habendo quod ille debet habere solùm.* (*c.* 8.) Certè, quantò unusquisque voluntati suæ adhæret tenaciùs, tantò est à divina amplectenda, & exequenda alienior: neque priùs hæc omnino dominari in anima potest, quàm illa indè abacta penitùs fuerit. Cùm igitur prædictæ duæ voluntates adeò sibi invicem repugnent, ut, ubi plus de una reperitur, minùs existat de alia, & ubi altera summum obtinet gradum, alteram ibi prorsus aboleri necesse sit; possumus cum authore modò dicto colligere: (*Ibid.*) *Sicut voluntas propria* DEI *fons est, & origo totius boni, sic propriam voluntatem hominis totius esse exordium mali.* Cujus conclusionis veritatem clariùs perspiciet, quisquis animadvertet immensam tot scelerum, ac vitiorum colluviem, unde hominum vita fœdissimè inficitur. Omnia quippe singillatim percurrens nullum reperiet, quod veluti ex universali quodam fonte non profluat ex perverso appetitu vivendi sinè ullo superioris potestatis fræno, & sinè alia nisi voluntatis suæ lege. Neque hoc animadverso D. Bernardum hyperbolicè existimabit locutum, ubi scripsit: voluntatem propriam unicum esse pabulum,

quo

quo nutriatur, & sinè quo deficeret ignis tartareus. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* (*Serm. 3. de Resur. Dom.*)

9. Nîl itaque miri est, quòd, cùm nostra hæc voluntas sit tam perduellis DEO, impatiens subjectionis ipsi debitæ, ipsius placitis, legibúsque contraria, criminúmque omnium, quibus offenditur, causa; veri omnes illius servi nîl enixiùs contenderint, quàm eam omnino delere, & extinguere, tum in se ipsis, tum in eorum animis, quos Christianæ perfectionis disciplinâ imbuebant: etiam sanctissima nonnunquã opera prohibentes, ad quæ vehementiori pietatis ardore viderentur ferri, & eos contra exercentes in actionibus supervacuis, ineptis, humanæque prudentiæ contrariis, ad omnem in iis profligandi proprii judicii, & propriæ voluntatis sensum: adeò ut remanerent instar puerorum rationis usu carentium, aut veluti instrumenta inanima, quantò magìs vacui proprio quovis instinctu, motúque, tantò indè aptiores ad excipiendos divinæ voluntatis impulsus. *Multis siquidem experimentis edocti*, (prout de antiquis Ægypti Patribus testatur Cassianus) *tradunt, nè voluptatem quidem concupiscentiæ sed superare posse, sed nec in cœnobio quidem perdu-*

re.

rare diutiùs, qui priùs voluntates ſuas non didicerit ſuperare. (*L. 4. c. 8.*) Ità (ut peculiari aliquo exemplo rem declarem) D. Franciſcus legitur, Maſſeo ſocio ſuo præcepiſſe, ut publica in via tamdiu verſare in orbem ſe pergeret, quoad coorta indè capitis vertigo conſiſtendi impotem humi afflixiſſet. (*Plat. de Bon. St. Rel. L. 1. c. 18.*) Ità quoque Abbas Joannes juſſus à Præſide eſt, judicii, & arbitrii proprii elidendi causâ, depactum humi aridum ſtipitem, bis quotidie unius anni ſpatio irrigare. (*Caſſ. L. 4. c. 24.*) Et in D. Philippi Nerii vita bene longum caput occurrit, juſſa continens heteroclita, ínque ſpeciem abſurda, quibus vir ſanctus ſpirituales ſuos alumnos eadem de cauſa exercebat: (*L. 2. c. 19.*) ſolitus impoſita fronti manu dictitare totius ſanctitatis ſummam intrà illud trium digitorum ſpatium, hoc eſt, ut addebat, *in rationali parte ſubigenda* conſiſtere. Poterátque id hauſiſſe ex Caſſiano, & D. Bonaventura, affirmantibus, primo: (*Coll. 19. c. 8.*) *Finem Cœnobitæ eſſe, omnes ſuas mortificare, & crucifigere voluntates;* altero autem: *Totam Religionis perfectionem in voluntatis propriæ abdicatione conſiſtere.* (*Spec. Diſc. c. 4.*)

10. Juxta quæ documenta, & exempla quisquis optat divina voluntate penitùs informari, nullúmque in suo animo instinctum ac motum ei contrarium habere, debet toto pectore ad oppugnandam voluntatem propriam incumbere: quasi capitalissimum Dei & sui hostem, ipsóque etiam capitaliorem dæmone, qui sinè ipsa nihil per se potest nocere: firmissimè apud se statuens, nullâ unquam in re ipsi indulgere, sed omnes potiùs illius divexandæ occasiones quærere, quoad deficiat, & sola illius locò sanctissima DEI voluntas animam occupet, sola ibi dominetur, sola omnium illius motuum, affectuum, actuúmque principium sit: atque nihilominus conniti, ut eam indè exturbet, quàm conniteretur, ut malum aliquem orci genium suo corpori fortè inhærentem ab illius possessione exturbaret. Quam in rem validissimæ adjurationis, & exorcismi præsentissimo locò illi erit accurata sequentium octo capitum praxis.

11. Primò itaque curet, peculiariter re illas actiones complecti, ad quas cogit seu communi Ecclesiæ præcepto, seu ratione proprii statûs, ac muneris, seu moderatoris sui jussu: chariores illas habens, &

bentiùs exequens, quàm alias ultro à se electas. Tum quia minùs in his loci est voluntati propriæ, quam acerrimè odit, & exclusam quovis pacto ab anima vellet: tum quia dubitare nullo modo potest, quin has obiens voluntatem DEI impleat, qua de re in aliis merè arbitrariis certus non est: tum denique, quia opera sponte suscepta unicum tantummodo meritum habent, proprium nempe virtutis illius, ad quam pertinent; at imperata aliud huic superaddunt, & sæpe majus, obedientiæ videlicet meritum. Meritum sanè, parùm multis compertum, nihil se mereri arbitrantibus, dum aliquid jussi agunt: qui (fieri revera potest) ut ejusmodi opera vel sinè ullo, vel exiguo cum merito agant, eò quòd illis vel inviti, atque ægre ferentes, vel absque debita animadversione, & communis tantummodo usûs gratiâ fungantur: quod etiam, prout paulò antè dixi, unum est ex damnis à propriæ voluntatis, & electionis studio oriri solitis, nempe ut cum minori ceu diligentia, atque amore, sic merito itidem fiant, quæ citra liberam electionem, jussu, & vi potestatis legitimæ fiunt. Cæterùm qui occasione incidente aliquod vel suorum præsidum, vel Ecclesiæ præceptum implendi,

di, divinam ibi voluntatem advertit, præq
hujus amore, atque ſtudio rem præceptu
libentiſſimè exequitur, dubitari minimè po
teſt, quin ità ex obligatione operans, plu
apud DEUM mereatur, quàm ſi rem eandem
propriæ voluntati obſecundans libere age
dam ſuſciperet.

12. Secundò, ex ipſiſmet præceptis D
maximè amet, gaudeátque implere, quæ in
natis propenſionibus ſuis ſpecialiùs repu
gnant: utpote quæ & majori ſibi ſunt adjum
mento ad referendam de ſuo hoſte domi
co, propria ſcilicet voluntate, victoriam, &
tutiorem ſe reddunt à periculo, operandi ex
humano, & naturali aliquo inſtinctu. Ex
cujus periculi metum nunquam eſſe pote
dum ea ſibi præcipiuntur, erga quæ à natu
ipſa impellitur; idque videtur monuiſſe
Gregorius, dum ſcripſit: (L. 35. *Mor. c.* 10
*Sciendum ſummopere eſt, quòd obedientia aliqu
do, ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt: aliqua
autem, ſi de ſuo aliquid non habeat, minima. D
bet ergo & in adverſis ex ſuo aliquid habere,
rurſus in proſperis ex ſuo aliquid omnimodo
habere*: nimirum, quando majorum præce
noſtræ voluntati adverſantur, debere ab
recipi, & impleri cum peculiari affectu, qu

si aliquid suum, & sibi naturaliter gratum: quando verò amica eidem sunt, sinè ullo speciali sensu, ac si illa nihil ibi proprium, & sibi congruens agnosceret. Vel, in primis præter amorem ipsius præcepti ex generali obedientiæ impulsu ipsam quoque rem præceptam ex peculiari suimet causa esse amandam; at in secundis meram obedientiam, & præcipientis voluntatem, sinè ullo erga rem præceptam geniali affectu amari oportere. Quod idem de iis pariter valet, quæ DEI nutu in hominum vita continenter eveniunt: nempe inter hæc quoque hominem propriæ voluntati inimicum, illiúsque in se ipso abolendæ studiosum, ità esse animo comparatum debere; ut ea lætiori animo excipiat, quæ magìs intestino illi suo hosti adversantur, impensiorique cum affectu in his, quàm in aliis se divinæ voluntati subjiciat, denique juxta D. Gregorii locutionem, hìc quoque *de suo aliquid habeat*, idque ob easdem suprà allatas rationes: quia scilicet hoc genus eventuum & majorem vim habet elidendi propriam ipsius voluntatem, & omnem timendi causam ei aufert, nè ad eos libenter accipiendos ab humano potiùs, & naturali suo sensu, quàm à puro DEI, & sanctissimæ illius voluntatis a-

more impellatur; juxta quem sensum expli-
cari etiam potest celebre illud Jobi argu-
mentum; (*c. 2.*) *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non suscipiamus?* Pro-
inde quasi dicat vir sanctus, si res secundæ
proprium nostri amorem fovent es, pro-
periculosas, & sæpe animis noxias à DEO
gratulanter suscepimus, quidni cum eadem
imò etiam cum majori gratulatione suscipia-
mus adversa, unde nullum spiritualis noxæ
impendet periculum.

13. Te tiò, caveat etiam atque etiam, ne
nimiùm impetuosus in suis, esto sanctis co-
piditatibus sit, volens earum finem quo-
modo assequi, exemplo illius M. Bruti, de
quo dictum à Julio Cæsare est: (*Cic. Ep. l.*
14. ad Att.) *Quidquid hic vult, valde vult:* Et
justa cum moderatione animi, quæcunque
vult, velit: adeò ut posteaquam honestis
causis aliquid faciendum decreverit, quie-
intrà se maneat, paratúsque ad excipiend
sinè ulla perturbatione qualemcunque il
exitum: aut si ob fervidiorem naturæ ha
tum, minorémque subigendæ voluntatis p
priæ assuetudinem consistere in ejusmod
quilibrio nequit, à proposita re volenda,
urgenda interdum desistat: pluris facie

ab impotenti propriæ voluntatis tyrannide in libertatem se asserere, quàm hoc vel illud non necessarium, nec permagni momenti opus patrare. Quemadmodum communiter fieri à providis, peritísque animarum Rectoribus cernimus: qui si ex alumnis suis aliquem nimio impetu, & ardore in virtutis curriculo abripi videant; solent, tanquam pullum equinum liberiùs exultantem adductis frænis compescere, jámque frequentiorem Eucharistiæ usum, jam extraordinaria jejunia, & alias similes laudatissimas cæteroqui exercitationes illi interdicere: satiùs arbitrantes, hac quasi diæta illius vires nonnihil extenuare, quàm in illa piarum quidem, sed plùs justo efferveséentium appetitionum febri incuratum relinquere. Atque ad hanc voluntatis moderationem pertinent quoque, veluti propria ejus materies, supervacuæ cogitationes, & curæ de rebus aliis post alias per longissimam futuri temporis seriem gerendis; nec non præceps aviditas confestim opportuno importuno tempore agendi, quæ geniùs suadet, anxiáque, & inquies solicitudo, quàm primùm absolvendi, quæ habentur præ manibus. Ad quas animi perturbationes componendas opus erit, ut conetur, quan-

tùm potest, eas solummodo res cogitare, & velle, quibus in præsenti operam dat, aliarum curam in tempus, quo gerendæ erunt, seponens: ut cùm literas à tabellario accipit, seu recens aliquis magnæ famæ liber in manus ei venit, supersedeat ad aliquod tempus hujus, illarúmque lectione conceptam animi curiositatem explere: ut si inter agendum aliò vocetur, nè differat eò ire, præ aviditate absolvendi priùs sui operis, quamvis jam penè ad finem perducti, sed continuò illud abrumpat, vel literam, si tunc scriberet, imperfectam relinquens: ut in libris legendis, nè paginas nondum lectas evolvat, cognitorus, quot ad præsentis capitis, aut libri finem superstint: neque, cùm jam instat tempus ad alia se opera transferendi, lectionem properantiùs, solicitiúsque urgeat, præ studio totus percurrendæ, quam est ingressus, materiæ: quin potiùs, quando hujusmodi anxietatem in animo sentiet; paulò antè tempus librum complicet, ultro & deditâ operâ integram novæ posteriori lectioni reservans ultimam periodum, sive lineam capitis, quod legendo absolvisse tunc vellet: ut denique turbulentis de hoc genere voluntatis propriæ appetitibus nunquam morem gerat: sed no-

vis

verit, has esse illas vulpeculas, de quibus in Canticis legimus: (*c. 2.*) *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*; ideóque, velut bestias nocentiores, quàm parvitatis suæ causâ videantur, suis illas in cubilibus, ac lustris pervestiget, nullam deprehendens, quin severitate inexorabili, vix primò animadversam suffocet. Ad quam severitatem suo præit illi exemplo ethnicus Sapiens Socrates: solitus, quando siti urebatur, primam è puteo eductam aquæ urnam, ut naturæ quantocyus refrigerari inhiantis aviditatem comprimeret, prorsus illibatam effundere, nec nisi alterâ indidem haustâ, faucium ardorem lenire. (*Plut. de Garrul.*)

14. Quartò, quoties naturalis sensus ad aliquid faciendum propendet, cujus contrarium DEO noverit esse gratius, pro immobili, & perpetua lege habeat, ex divino potiùs, quàm ex suo placito sibi esse operandum, juxta Christi Domini exemplum, qui veluti de se fuerat generatim professus: (*Joa. 5.*) *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*; sic, quamvis postea inferior suus appetitus acerrimis tædiis, & mœroribus morti à cælesti Patre sibi decretæ repugnaret; nullam tamen contrariorum ejusmodi affe-

ctuum rationem habuit, sed eos omnes plenissimo cum obsequio paternæ voluntati subjecit: *Non sicut ego volo*, inquiens, *sed sicut tu. Non mea voluntas, sed tua fiat.* Imò assuescat præterea, genii sui propensiones nihili pendere, non solùm quoties cum majore DEI gloria in contentionem veniunt; sed & quando à cæterorum hominum studiis, votisque discrepant: adeò ut paratus sit, in quovis tali eventu his potiùs, quàm illis morem gerere: liquefaciens cælesti igne illius charitatis, quæ *non quærit, quæ sua sunt*, omnem propriæ voluntatis duritiem, remanénsque instar corporum liquidorum, quantò magis propriæ cujusvis figuræ, & conformationis expers, tantò ad omnem, quæ aliunde sibi obvenit, recipiendam facilior. Qualem D. Paulum fuisse illa demonstrant ipsius verba ex capite decimo Epistolæ primæ ad Corinthios: *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis:* & illa ibidem ex capite nono; *Cùm essem liber ex omnibus, omnium me servum feci. Factus sum Judæis, tanquam Judæus essem: iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem: iis, qui sinè lege erant, tanquam sinè lege essem. Factus sum omnibus omnia.* Cùm è contrario, qui tenaces arbitrii sui

sui sunt, solidorum instar corporum, æris pu-tà, vel marmoris, difficillimum experiantur, maximéque violentum illud flectere, juxta divini obsequii, & promiscuæ charitatis impulsus. Unde & multa agere omittunt, quibus magis placere DEO possent; & vix unquam inducunt in animum obsecundare iis, quibuscum vivunt, conantúrque potiùs ad suum illos placitum trahere, quàm ipsi se accommodare illorum votis, & propensionibus velint.

15. Quintò, ad consequendum hoc dominium supra voluntatem propriam, & hanc facilitatem ejusdem, post DEI, & proximorum rationes habendæ; progrediatur ad operandum semper contra ejus instinctum etiam in rebus naturâ suâ indifferentibus, & ubi nulla virtus suadet, illi potiùs repugnare, quàm obsequi: pro validissima, & plùs quàm sufficienti ratione habens illius oppugnandæ pleniorem dominatum, quem super ipsam, cunctósque illius motus hoc pacto assequetur. Et certè hìc vel unicè, vel quàm maximè directum, ac formale hominis adversùs voluntatem suam odium elucet: quando, licèt nulla alia peculiari utilitate, & causa impellente, contra propensiones illius operatur,

tur, unico motus domandi, & ſubigendi illam ſtudio. Unde etiam ſupremum univerſitatis Conditorem videmus, ut primi homines diſcerent, ſuam illi directè, atque propriè voluntatem ſubjicere, non ſatis putâſſe, ſola illos naturali lege obſtringere, utpote cujus obſervatio, vel citra Legislatoris reſpectum, atque obſequium, ex mera ſua voluntate diligi poterat: ſed præceptum inſuper iis adjeciſſe, ſecundùm materiam ſuam omnino indifferens, & in quo exactè ſervando nihil boni, honeſtíque præter obedientiam foret: adeò ut ad illud amandum impelli non niſi ab amore hujus poſſent. *Non potuit DEUS perfectiùs demonſtrare* (ſcribit D. Auguſtinus) *quantum ſit bonum obedientiæ, niſi cùm prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, ſola inobedientia invenit pœnam. Bonum eſt, nolo, tangas: bonum, ſed obedientia melior.* (*In Pſ. 70.*) Imò Spartanorum quoque mos erat, ut Ephori, ſupremus apud eos magiſtratus, vix ſuum munus ingreſſi, promulgato publicè edicto cives univerſos radere ſibi barbam juberent: non alia, ceu advertit Plutarchus, (*In Vit. Ag. & Cleom.*) de cauſa, niſi ad obedientiæ exercitium: quod nunquam magìs proprium, expreſsúmque eſt,

quàm

quàm cùm res imperantur nullius per se ipsas momenti, neque ullam habentes, cur faciant, nisi quòd imperatæ sint, causam. Jam verò, quemadmodum voluntas ad nonnullas ex his actionibus suâpte naturâ indifferentibus, hominíque liberis fertur, vel secundùm substantiam earum, vel secundùm hæc potiùs, quàm illa modi, temoris, loci, & instrumentorum adjuncta; sic duplex esse potest illius comprimendæ exercitium. Primum quidem, si omnino omittantur illæ actiones non necessariæ, ad quas ipsa suo instinctu nos stimulat, cujusmodi sunt: prodire è cubiculo, floscu-lum in horto carpere, hoc vel illud objectum intueri, & sexcentæ aliæ, quarum cupiditas subinde in animo exoritur. Secundum verò, si quæ aguntur, fiant modo, tempore, & loco minimè commodo, ipsíque maximè inviso: lentiùs verbi gratiâ operando, cùm illa ad properandum urget: primo quoque tempore agendo, quæ cæteris molestiora ipsi sunt, & differendo, quantùm fas est, quæ ipsa, ùt suo genio apprime jucunda, fieri protinus cuperet: eligendo sibi locum in triclinio juxta personas, sordibus, putore, aut alio naturali vitio proximis graves, neque tam in mensarum capite, quàm in medio, ubi mi-

minùs liber eſt ſitus. Nè alios præterea innumeros referam retundendæ, vexandæque voluntatis propriæ modos, quibus latiſſimum hæc promiſcuarum actionum adjuncta campum aperiunt. Quòd ſi adjunctorum differentiæ, quantùm ad commoditatem agendi, eſſent pares, ceu exempli gratiâ in hoc, aut illo ſcamno conſidere, in hac, aut alia templi parte genua ad orandum flectere, aliæque ſimiles; licebit tamen & tunc voluntatem propriam contundere, ſi aliud ſemper eligatur, quàm quod viſum primò ipſi fuerit: ità ut in agendi procinctu eâ conſulamus, circa electionem hujus, vel illius ſingularis differentiæ, permittendo, ut ipſa certam quampiam nominatim decernat, móxque, ubi id fecerit, ſtatim ſubjciendo: itáne hoc tibi probatur? Aſt ego, ringaris licèt, rumparíſque, illud alterum eligo. Et hac illam ludificandi ratione centies per diem, nempe in ordinariis quibuſque noſtris actionibus uti poterimus: erítque ars mirè efficax ad propriæ voluntatis excidium. Imò, quantò ea, inter quæ ſelectio verſatur, minutiora fuerint, levioréſque momenti, & magis inter ſe æqualia, adeò ut nihil magis appetendi in una parte, quàm in altera occurrat, tantò in abrogandis, quæ ipſa

ipsa elegerit, professum contra ipsam odium luculentiùs se prodet: utpote quod, licèt nullæ adsint aliæ utilis, vel honesti rationes, una nobis sat valida est ratio agendi, quæ agimus. Nec alia profectò, vel dissimili arte usam crediderim piam illam fæminam, quæ, ùt tradit Paulus de Barry in solitudine Hagiophilæ, (*Die Sept. Dissert. de Mortif.*) spirituali suo moderatori testata est, octonas in uno ovo comedendo se retulisse de suo naturali appetitu victorias. Utile itèm factu in hujusmodi casibus fuerit rogare aliquem, ut alterutram partium æqualium nostri locò eligat; vel D. Gertrudem imitari, quæ cùm è pluribus ejusdem generis sive ad victum, sive ad usus alios spectantibus, unum aliquod accipiendum sibi esset; solebat oculos claudere, tum manu protensa illud quasi à DEO sibi oblatum sumere, in quod primum cæco tactu incurrisset. (*Insin. L. 1. c. 12.*)

16. Sextò, voluntatem propriam in ipsis quoque honestis, & sanctis actionibus frangat: sive locò actionis ab ipso sibi propositæ aliam suscipiendo æquè laudabilem, sed minùs fortè ipsi gratam, putà locò cilicii jejunium, aut locò visatitationis sacræ cujuspiam ædis, pii libri lectionem: sive, & quidem po-

potissimùm, nihil quantumcunque sanctum, & eximium aggrediendo, quod in mentem, votúmque sibi veniat, nisi id priùs sui in vita spirituali rectoris judicio suppositum, ab eóque probari audierit, imò etiam (quod fatiùs adhuc foret) disertè sibi præcipi, vel suaderi curaverit. Adeò ut deinde rem faciat, non quatenus à se primò cogitatam, & volitam, sed prout merè ab eo comprobatam, & perinde quasi ipse à nemine consultus, rogatúsque ex proprio duntaxat instinctu eam sibi alia omnia cogitanti imperâsset. Quemadmodum egisse olim Lacedæmonii feruntur circa consilium suæ quidem Reipublicæ opportunissimum, sed ab homine insigniter flagitioso propositum. Quod cùm neque utilitatis causâ repudiandum putarent, & probro sibi ducerent ab authore tam turpi suscipere, ab alio melioris famæ cive rursum in senatu proponi curârunt, & veluti propriam hujus sententiam communibus suffragiis ratum esse jusserunt. (*Gel. L. 18. c. 3.*) Contestetur itaque expresè coram DEO, tum in exordio, tum in progressu operis, quamvis illud voluntati suæ conforme sit, non tamen hac de causa à se fieri, sed ideo duntaxat, quia cum divino ipsius placito congruit, in

in cujus gratiam pari cum alacritate illud velle, & exequi pergeret, quamvis præter, imò & contra voluntatem alieno sibi jussu injunctum fuisset.

17. Septimò, si in religioso quopiam cœtu agit, quàm enixissimo potest, studio in obedientiam incumbat, veluti virtutem, quæ D. Joannis Climaci sententiâ (Gr. 4.) *est sepulchrum propriæ voluntatis*, & sinè qua impossibile est DEI servo perfectam mortificationem sui assequi. Cùm enim nihil hæc sit aliud, quàm mystica quædam crucifixio hominis veteris; quemadmodum nemo potest per se unum, & sinè alterius cooperatione totum corpus suum cruci affigere, sed licèt, manu dextera utens, lævam, ac pedes confixerit, nequit tamen ipsam quoque dexteram configere, quæ soluta semper manet, ac libera, donec ab alio quopiam cruci fuerit affixa; sic potest sanè quilibet voluntatis suæ operâ, quæ quasi manus dextera animæ est, sensuum, & cæterarum, quibus præditus est, facultatum appetitus comprimere; at sola voluntate ipsam quoque voluntatem comprimere penitùs nequit: cùm illa operari sua sponte contra naturales appetitus suos minimè possit; quin propriam ità operando li-

bertatem exerceat: nec proinde mortua dici queat, immobilitérque infixa, quoad per omnimodam alienis arbitriis ſubjectionem inſtar dexteræ clavo fixæ proprium quemvis motum amiſerit, neque jam ipſa quidquam velit, ſed ſuo Præſidi volendum ſui locò relinquat, séque illi ſic omnino ſubjiciens, eam totius hominis crucifixionem abſolvat, quam arbitratu ſuo operans nunquam perfectè aſſequi potuiſſet. Ad hanc igitur tam neceſſariam virtutem rite, & ſecundùm omnes numeros ſuos exercendam voluntatem illius, qui DEI locò ſibi præeſt, pro unica volendi agendíque regula accipiat, deliberatiſſimam habens, nihil unquam operis, ad quod illa impellit, quantumcunque arduum, & moleſtum omittere: nihílque, quod illa prohibeat, imò ad quod non impéllat, quantumcunque humano ſuo ſenſui jucundum, & volupe agere. Adeò ut in quavis operandi occaſione ad eam protinus, quaſi ad univerſalem & certiſſimam normam, oculos dirigat, obſervans, quidnam ab ea præſcribatur, & ſi nihil præſcriptum viderit, à ſuo Præſide id exquirat. Qua in re non modò cavendum ipſi eſt, nè ullo artificio utatur, efficiendi gratiâ, ut is ſibi juxta naturalem ſuam propen-

onem

onem reſpondeat; ſed etiam quando rogatus de opere faciendo, aut omittendo ſententiam diceret: age, prout libet, tuo rem totam arbitratui permitto; non debet tali reſponſo acquieſcere, neque illam libertatem, & exemptionem ab obedientia pati ſed ſeriò, inſtantérque precari, nè ſe certi regiminis, & conſilii expertem dimittat, ſed quid factu opportunius ſit, pro ſua, quæ divinæ vicaria eſt, authoritate definiat. Quemadmodum egregius ille ſanctioris vitæ magiſter, Joannes Avila, colloquens aliquando cum P. Dionyſio Vaſquio, noſtri Montillani Collegii Rectore, audiénſque hunc tyroni, à quo, neſcio qua de re agenda, conſultus fuerat, reſpondiſſe, ut pro ſua ſententia ageret; durum nimis id reſponſi genus putavit, tyroníſque partes apud Rectorem ſuſcipiens, nè, quæſo, inquit, Pater, reſpectu mei, tam malè huic fraterculo conſulas, & eum in voluntatis ſuæ manibus derelinquas: ego enim haud gravatè opperiar, quoad illum definito, præciſóque cum reſponſo dimiſeris. (*In Comp. Vitæ c. 9. n.* 8.) Imò neque contentus ſit à moderatore ſuo audire, quid fieri à ſe velit, ſed gaudeat, & curet præterea, faciendæ rei modum, tempus, & reliqua adjuncta quàm mi-

nutissimè sibi ab eodem determinari, ut nihil loci suo arbitrio supersit. Nè multa: persuadere sibi debet, adhæsionem ad propriam voluntatem vitium esse in cunctis deforme, sed in religioso viro etiam monstrosum, quia ipsimet essentiæ professionis repugnans; cùm tantundem sit, religiosum hominem, quantùm carentem propria voluntate hominem dici, juxta verissimam S. Fulgentii definitionem: (*In Vit. ap. Surium.*) *Illos esse, asserentis, veros Monachos, qui mortificatis voluntatibus suis, parati sint nihil velle, sed Abbatis tantummodo consilia, vel præcepta servare.* Qualis fuit Abbas Joannes, quem cùm jamjam moriturum circumfusi fratres orarent, *ut aliquod eis memoriale mandatum relinqueret, per quod possent ad perfectionis culmen præcepti compendio facilius pervenire; ingemiscens: nunquam, ait, meam feci voluntatem.* (*Cass. L. 5. de Inst. c. 28.*)

18. Octavò, omni se denique semel in perpetuum propria voluntate coram DEO abdicet: intuens se deinde quasi hominem, qui facultatem quidquam per se ipsum volendi amiserit, expectánsque, ut cœnobii Rector voluntatem ad operandum necessariam pro tempore, & loco sibi suppeditet. Quapro-

propter, si is fortè prædictæ abdicationis suæ ignarus, ex officiosa quadam comitate, atque indulgentia permitteret ipsi in re aliqua pro libitu agere, queratur se ab illo in manibus deseri, non veluti memoratus paulò antè Joannes Avila dixit, parùm sibi opportunis sed nullis: reponens sic permittenti: Pater, ego dudum me exui omni penitùs proprietate volendi, non minùs, quàm rigidissimus quisque paupertatis religiosæ sectator omni rerum externarum proprietate se exuit, nullámque propriam voluntatem ultrà habens, nihil per me possum velle; adeò ut perinde sit mihi dici: age, quod vis; ac si diceretur: age, quod non potes, vel breviùs: nihil age; quemadmodum idem esset mendi culo omni prorsus cibo carenti dicere: comede, quod habes, ac: nîl penitùs comede. Tuum itaque est, si me aliquid agere oportet, illius mihi voluntatem tribuere, quam utpote jam perpetuò abdicatam nec habeo, nec possum habere à me ipso. Ità, inquam, sentire, ac se gerere in hujusmodi casibus debet: gaudens præterea, ipsamet aliena, & eleemosynæ nomine accepta voluntate quàm parcissimè instrui, neque à suo moderatore illam postulans, ad usum longi tem-

poris, ſed in ſingulos dies, imò in ſingula o-
pera, ritu mendici, qui neceſſarios comme-
atus non in menſem, aut annum, ſed in diem
quæritat: corrogans hodie, quantùm victui
hodierno ſufficit, & cras rurſus, quo ſuſten-
tari illo die poſſit. Quemadmodum enim
minùs pauper eſt, qui unica divitis alicujus
largitione totius anni victum accepit; quàm
qui illum quotidie minutatim emendicare, et
accipere opus habet; ità minùs inops volun-
tatis dici meretur, qui unico præſidis juſſu
illius commeatum ad diutinum tempus, &
plurima opera ſuffecturum accipit; quàm cui
illa non nisì particulatim, pérque tot mino-
tas eleemoſynas diſpenſari ſolet, quot ſunt
peculiaria opera, quæ alia, móxque alia ju-
betur ſingillatim ſuſcipere. Peracto igitur
primo opere, quod patrare, atque velle juſ-
ſus fuerat, mendici inſtar, qui neque ſui quid-
quam habet, primámque impertitam ſibi e-
leemoſynam jam abſumpſit, ad moderatu-
rem ſuum redeat, novam aliam petiturus, ac-
cepturúſque voluntatem, qualem ei denuo
impertiendam putaverit, ſive hujus, ſive al-
terius cujuſque operis voluntatem. Imò fa-
tiùs adhuc foret, ſi neque hanc accipiens ſi-
neret illum unum juſſam rem velle, ſatiſque
ipſe

ipse haberet, eandem solùm exequi, illius voluntate haudquaquam intrà se recepta, sed tota in animo jubentis relicta: similiter atque manus peragit, quidquid anima fieri à se vult, non tamen in se accipiens, sed in ipsa relinquens voluntatis actum, quo ad agendum impellitur. Qualem sese D. Paulus exhibuit, cùm DEI unius voluntate contentus clamaret: non utique, *Domine, quid me vis velle?* sed potiùs: *Domine, quid me vis facere?* (*Act. c. 9.*) Felicissimam enimvero hominis sortem, qui ad hunc modum sinè ullo seu dominio, seu usu voluntatis suæ vivit! Quidnam ultrà illi restat, opúsve est, ut totus impleatur DEO? Ità, ità profectò, *Dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua; tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ.* (*Isa. c. 58.*)

CAPUT XXV.

Ad perfectum DEI amorem necessariò requiri, ut mens hominis supervacua omni cupiditate, & delectatione purgetur.

QUemadmodum DEUS interdixit primis nostris parentibus, nè ille lethali pomo boni, & mali scientiam degustarent, sic amor divinus nobis illorum posteris interdicit, ne eandem in rebus creatis affectemus scientiam. Et videtur ità nos alloqui: non vos veto, boni cognitionem exquirere, imò author vobis sum, ut eam insatiabilibus studiis & nunquam defessa animi contentione prosequamini, tanquam fructum, cujus tantùm gratiâ facta est vestra intelligendi facultas. Prohibeo duntaxat, huic tam salubri, tamque eximio mentis pabulo mali quoque scientiam adjungere, scientiam ignobilem, stolentam, eámque adeptis noxiam verùm quàm utilem: cùm malum nunquam melius videtur, quàm cùm nescitur, & ab ipsa cognitatione abest. Contemplamini purum bonum, quale est unus DEUS. Hunc pro

nica ſtudiorum veſtrorum meta vobis proponite, in hoc defixam aſſiduè mentis aciem tenete, hujus quàm penitiſſimam aſſequi intelligentiam contendite. Ipſe eſt omnis ſcientiæ terminus, ipſe objectum ſolum inveſtigari dignum, ſolum menti ad plenum ſatiandæ ſufficiens. Nihil boni, pulchri, præclari, expetendi reperietis extra ipſum, quod non ipſe præſtantiori longè modo in ſe contineat, exhibeátque: unum eſt, quod diverſi ab ipſo reperire poſſitis extra ipſum, malum nempe, vilitatem, miſeriam, defectum. At quorſum vobis in hujuſmodi objectorum contemplatione hærere, quæ nullam nisi deprimendæ, perturbandæ, & inquinandæ mentis vim habent? Ergo *de fructu ſcientiæ boni, & mali*, hoc eſt rerum creatarum, quæ neque purum bonum ſunt, neque purum itidem malum, ſed aliquid ex ambobus coagmentatum, *nolite comedere*: contenti indagare, ſpeculari, & guſtare illud unum objectum, in quo, quia totius boni plenitudo confluit, nullum vel minimi mali fæx, & miſtura habet locum. Talia ſunt edicta, quæ amor divinus omnibus Adæ filiis promulgat, quæque, ſi ab illis ſedula, & fideli obſervatione ſarta tecta haberentur, felix foret genus hu-

manum, nec multùm posset de amissis primæ væ innocentiæ privilegiis queri; sed quemadmodum primi homines nulla habita interdicti divini ratione, stultam vetiti fructûs ingluviem voluerunt explere; sic etiam plerique ex eorum nepotibus cæco potiùs nativæ suæ curiositatis instinctui, quàm providentissimo divini amoris interdicto obsequentes, toto mentis studio in rerum creatarum inquisitionem feruntur, neque aut alio ullo pabulo delectari, aut hoc posse unquam expleri videntur. Ex quo perversi appetitûs perversiore obsequio, quis satìs enarret, quot, quámque gravia ipsis damna proveniant? Provenit superbia: cùm per hujusmodi pabulum videantur jam sibi *esse sicut Dii.* Provenit jactura consolationum cælestium, à quibus percipiendis excluduntur, non aliter quàm Adamus cum Eva à terrestris paradisi deliciis exclusi olim fuerant. Provenit maligna inquietudinum, perturbationum, ac mœrorum fœcunditas, quos infelices fructus eorum mens, supervacuis illis consita rerum inutilium notitiis gignit: similiter atque tellus spinas, & tribulos nefariis vetiti pomi helluonibus peperit. Quid plura? Ipsamet sæpe mors animæ provenit, illicitorum affectuum cau-

causâ, quos nimiùm quàm proclive est consequi, ex impotenti illa libertate quodvis objectorum genus mente gustandi. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.*

2. Sed ut enucleatiùs ostendam, cujusmodi, & quàm exitiale hoc pabulum sit, à quo amor divinus nos prohibet, statuendum est, non quamlibet nobis creatorum objectorum contemplationem, & scientiam ab ipso prohiberi: cùm dubitari nequeat, quin mentis occupatio circa res creatas, & perutilis ad earum Conditorem meliùs agnoscendum, & ad charitatis officia, imò etiam vitæ ipsius conservationem prorsus necessaria homini sit. Illa igitur sola mentis extra DEUM occupatio hìc improbatur, seu quæ à supremi illius objecti cognitione, & amore nos avocat, seu in qua, veluti in suo fine mens conquiescit, non aliud quærens, quàm naturali appetitui suo satisfacere. Id autem multifariàm fit. Fit primùm, omnimodam menti libertatem permittendo, variandi juxta innatam propensionem suam rerum phantasmata, & per quæcunque libeat objecta sinè fræno, ac lege excurrendi: adeò ut nullam cogitationem à se excludat, quamvis supervacaneam, quamvis tempori, & loco impor-

tu-

tunam, quamvis periculosam, & noxiam: sed sit quoddam quasi pandochium, & diversorium publicum, promiscuam quamque advenientium turbam indifferenter excipiens: sive instar trivii, omnibus ad transitum expositi, per quod ultro, citróque homines, currus, jumenta, & quiqui volunt, commeent. Fit rursus, cùm quis studet cognoscere, quæ vel nullo pacto ad eum pertinent, ceu aliorum facta, & eventus; vel si pertinent, nihil ex eorum notitia emolumenti percipit: ut cùm solicitè indagat, quid futuro tempore sibi eventurum sit, aut quid de suis rebus homines loquantur, & alia ejusdem generis, ad inquietandam potiùs, quàm instruendam mentem idonea, quæque, prout de similibus aliis scribit Seneca: (*Ep. 88.*) *Dediscenda erant, si scires.* Fit præterea, cùm aliquis vel plùs justo profanis disciplinis se impendit, vel in ipsismet Theologicis, & sacrarum Literarum studiis meram expletionem naturalis appetitûs sui quærit, nimiáque cum aviditate ad ea incumbit, & partam sibi indè scientiam majori, quàm par sit, in pretio habet. Fit denique, ut totam rem ad potissima duo illius genera contraham, per immodicam seu libertatem cogitandi, seu cupiditatem sciendi.

3. Et

3. Et quantùm ambo hæc intellectûs vitia divinæ charitatis perfectioni adversentur, non magni operis est palàm facere. Nam ex cogitandi libertate oritur primò infinita, & omnisaria intrà hominis mentem supervacuarum specierum congeries, quæ & difficillimum ei reddit, sese in DEI contemplationem colligere, & impossibile, diu ità collectam durare. Difficillimum, inquam, sese colligere: cùm enim phantasmata illa sensibilia sint, proin admodum vivida, & altè in imaginandi facultate impressa, non mediocri conatu opus est ad mentem ab iis avocandam, & totam defigendam in DEO, cujus, utpote objecti à sensibus penitùs abstracti, non nisi obscurissimam concipere imaginem possumus. Impossibile etiam, diu ità collectam durare: nam cùm eadem phantasmata vix magno cum labore abacta, denuo redeant, séque oculis rursum importunissimè obtrudant, fieri non potest, quin mentem arcana vi abreptam subinde à DEO distrahant; præsertim quòd, etsi magis familiaria, & agnata, ac proinde contemplatu faciliora non essent, ipsamet libertas, cui mens assuevit, variandi spectacula, & vago hac illac obtutu per quæcunque objecta excurrendi, molestissimum, ma-

maximéque violentum ei reddit, in uno diu immotam hærere. Quapropter videmus, istiusmodi homines assuetos volubilitati suæ mentis fræna laxare, nunquam eximium consuetudinis cũ DEO usum nanciſci, sed plurimum difficultatis, laboríſque in oratione experiri. Unde fit, ut & magno cum animi renisu ad ipsam accedant, & majori cum tædio in ea versentur; & minimo tandem cum fructu ab ea exeant, comprobante experientia, quod magnus Areopagites scriptum reliquit: ad perfectam nimirum mysticæ cum DEO necessitudinis Philosophiam opus esse universali abdicatione omnium operationum, atque imaginum, per quas anima, & vita hominis multifariam dividitur. *Divisarum vitarum, atque insuper imaginationum renuntiatio perfectißimam declarat Philosophiam, quæ ex immaculatorum mandatorum scientia conflatur.* (De Eccl. Hier. c. 6.)

4. Adde huc insanos, atque assiduos tumultus, excitari solitos, anxietatum, irarum, suspicionum, mœrorum, formidinum, & similium affectuum, qui neque simul existere cum arcana quiete divinæ consuetudinis possunt, neque à rerum humanarum contemplatione sejungi. Si enim objecta, in quibus

bus mens defigitur, aliorum facta, & eventus sunt; nemo non videt, quantam hæc iræ, invidiæ, æmulationis, odiíque occasionem, & materiam se intuenti suppeditent. Sin verò in iis potiùs cogitandis homo occupetur, quæ vel sibi pridem contigêre, vel contingere in futurũ possunt, manifestè etiam apparet, neque ab illorum memoria quidquam ei, præter inanis lætitiæ, gloriæque, aut supervacuæ indignationis, & ægritudinis curas offerri, neque horum prævisionem aliò valere, quàm ut toto illius tempore inter anxia desideria, inquietas spes, trepidos metus, & vanas solicitudines miserè fluctuet; unde tandem sequitur, infelicem animam nè ad temporis quidem qunctum quietam consistere, sed instar pulveris, *quem projicit ventus à facie terræ*, jam ab his, jam ab illis prædictorum affectuum continenter jactari; adeò ut possit ipsa quoque Jobi vocibus dolenter queri: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* (c. 17.)

5. Oritur postremò ex eadem mentis perversitate difficultas repellendi complura phantasmata, gravissimè noxia, quæque non modò animam impediunt, nè perfectè cum DEO conjungatur; sed in apertum etiam dis-

discrimen conjiciunt, ab ipsamet DEI gratia excidendi: cujusmodi sunt phantasmata vel interdictarum voluptatum cupidini lenocinantia, vel Orthodoxæ fidei mysteriis contraria: quemadmodum enim, si quis teneorum hinnulum neglexerit à principio frænis imperiis assuefacere, evagari liberè sinens, quacunque naturalis eum instinctus moderaminis indocilem rapit; nequidquam pòst conabitur adductis habenis retinere, si fors cursum eodem impetu actus in fossas, paludes, vel abrupta, & præcipitia arripuerit; non aliter, qui assuefecerit mentem, quæcunque indiscriminatim objecta pro arbitratu suo contemplari, si deinde in eorum quopiam anticipitis, & periculosæ aleæ pleno defixam moliatur aliorsum traducere, difficultatem experitur, vix quantovis conatu superabilem. Cùm ergo unusquisque horum effectuum, multóque magis omnium collectio divino amori adversetur, & cum illius perfectione omnino sociari nequeat; manifesta exigit ratio, ut, quisquis hanc omni studio sibi perquirendam proposuit, omni ità animi, & virium contentione adnitatur, pestiferam illorum radicem exscindere, innatam nimirum mentis propensionem ad quævis objecta

le-

liberè intrà se ruminanda : nunquam permittens, ut ulli ex mero naturali instinctu adhæreat, sed cogens etiã invitam iis tantummodò cogitationibus occupari, quas recta ratio, nequaquam ad inutile oblectamentum, & fallendi temporis causâ, sed ad spiritualem profectum, & divinam charitatem fovendam præscribit.

6. Nec leviora sunt damna, quæ alterum ex commemoratis duobus vitiis, inordinata videlicet nihil non discendi, sciendique curiositas parit. Et primum dici potest, quòd totam adeò hominis mentem, partim novis cognitionibus exquirendis, partim iis, quæ acquisitæ jam sunt, ruminandis occupet, ut non modò ad perpetuam cum DEO consuetudinem omnino inhabilem reddat; sed vix ei facultatem piis cogitationibus, & affectibus vel ad maximè exiguũ tempus vacandi relinquat. Idque ipsemet Christus Dominus clarè significavit dilectæ suæ Sponsæ Teresiæ, dum aliquando ab ea rogaretur, cur non pro eo, ut secum, rudi, simplicíque muliercula ageret, alloquendos sibi potiùs tot primi subsellii Theologos, & Academiarum principes sumeret. Causam quippe hanc esse respondit, quòd egregii illi Doctores usque adeò

totam mentis intentionem in ſcholaſticis ſuis commentationibus demerſam haberent, ut ægre, vel obiter, & ad breve temporis punctum meminiſſe ipſius poſſent. (*In Vita L. 2. c. 18.*)

7. Succedit inquietudo animi, nunquam plenè contenti de quantovis doctrinæ ſuæ cenſu, quem videt tam modicum eſſe ad immenſos reliquæ totius ſcientiæ theſauros; ideóque ſemper ſibi diſplicet, ſemper deulterioribus lucris ſolicitatur, ſemper moleſtiſſimo, & incurabili hydrope vexatur, hoc eſt ſiti, capacitatem ſuam excedente, quæque potu ipſo creſcit. Ut proinde fieri nequeat, quin cum Salomone ad ſuas haſce curas interdum reſpiciens, eas *occupationem peſſimam* (*Eccle. c. 1.*) vocet, & cum eodem fateatur, à ſuamet experientia ſe didiciſſe, *quòd in multa ſapientia multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Et hoc valet etiam, cùm ſciendi cupiditas veritatum univerſalium intelligentiam pro objecto habet. Quòd ſi aliquis rerum potiùs ſingularium notitias aucupetur, nempe earum, quæ ſeu ab aliis fiunt, ſeu ſibi eventura ſunt; perpendendum cuivis relinquo, quantùm id curioſitatis genus tranquillo mentis ſtatui adverſe-

tur

tur. Cùm, quisquis temporis præteriti perturbationes, inquietudinésque memorando perlustrare instituat, reperturus facilè sit, earum pleraſque ex alterutro prædictorum objectorum fluxisse.

8. Quid porrò dicemus de perversitate ordinis in scientia non nisì propter se ipsam amanda, & quærenda, si nempe eâ aliter utatur, quàm mero divinæ gloriæ instrumento, & ad eam potiùs, quasi ad unicum finem universi dirigantur studiorũ labores? Quæ perversitas nimiùm quàm familiaris hominibus plùs justo sciendi avidis, præterquam quòd à divino amore longissimè dissideat; quidquid etiam ab ipsis in discendo studii, & contentionis susciptur, hoc est, omnia penè eorum opera supernaturali merito omnino spoliat. Quid etiam de superbia, & vana sui æstimatione dicemus, hinc foveri plurimùm solita, juxta celebre Apostoli effatum: (*1. ad Cor. c. 6.*) *Scientia inflat?* Cùm facillimum sit, ut, qui nihil in rebus humanis plùs scientiâ miratur, de illius possessione sibi placeat, quoſque hac dote præcellit, arroganti supercilio despiciat. Quid demum de temporis dicemus jactura, quod profusè adeò in futilibus, & supervacuis notitiis comparandis insumi-

tur? Quantò illud expenderetur meliùs in consideratione utiliſſimarum veritatum, quæ ad DEUM diligendum nos inſtruunt: cujuſmodi ſunt infinita ſupremi illius Entis magnitudo, & præſtantia nomina, quibus ad perfectum amorem, fideliſſimúmque illius obſequium obſtringimur, rationes, & modi hæc nomina rite exolvendi: ineffabilis beatitudo, legitimæ illorum exolutioni promiſſa, centúmque aliæ hujus generis, quas ut maximè pernicioſum eſt neſcire; ſic pariter emolumenti eſt probè cognitas, penitúſque animo inſculptas habere. Ah tantùm hìc meditati ſe objicit, quod ſcrutetur, quod addiſcat, quod ſecum perpendat; ut, quamvìs nullam re alia occuparentur hominum ſtudia, angſta nihilominus etiam exiguæ parti comprehendendæ, omnis eorum vita eſſet. Quomodo igitur mihi perſuadeat, DEUM à me amari *ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima ſua*, qui extra ipſum menti ſuæ pabulum quærit, plúſque oblectamenti in objectis creatis, quàm in eo reperit: auferens contemplationi ipſius, altiſſimæ, utiliſſimæque veritatis, tam multas diei horas, quas ſtultè prodigit in notitiarum ſuâpte naturâ humilium, & nîl ſolidæ frugis afferentium indagatione-

me-

nihilíque faciens, dummodo his locupletiùs mentem instruat, illum minùs cognoscere? Dignus sanè inter eos recensèri, quos Senecæ observat: (*Ep. 88.*) *Ideo non discere necessaria, quia supervacua didicerunt;* Romanóque illi Cæsari similis, qui inter tanti imperii curas tempus quotidie nanciscebatur, quod in muscarum aucupio contereret.

9. Locus jam est, rationem promendi, qua mens possit à duobus hisce vitiis purgari. Utque à posteriori incipiam, si curæ tibi est, amice Lector, cum DEO penitùs jungi, próque unico ipsum habere tuarum cogitationum, & tuorum affectuum scopo, quàm omnino contrariam tuo isti proposito esse cernis vanam curiositatem sciendi; tam perpetuum, & internecinum debes contra eam bellum susçipere: deliberatum firmissimè habens, nulla unquam in re ipsi morem gerere, sed mendaci ejus promisso: *Eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum*, illam semper anteferre sapientissimam, & verè divinam professionem, *nihil sciendi, nisi JEsum Christum*, de qua magnus Gentium Doctor Paulus gloriabatur apud Corinthios. (*Epist. 1. c. 2.*) Stabilita porrò hac universali destinatione animi, non difficile tibi erit discernere, à quibus notitiis

quærendis abstinere te oporteat. Abstinere primò debebis ab aliorum factis, atque eventibus sinè justa causa indagandis. Sinè justa causa dixi: nam id agere, ut de illorum bono gaudeas, vel ut calamitati eorundem succurras, usque adeò divinæ charitati non adversatur, ut ad eam potiùs pertineat. At ubi nihil est, quod te impellat, vel possit impellere ad aucupandas id genus notitias, præter naturalem appetitum omnia perscrutandi, & sciendi, oportebit te illas, quasi animæ impedimentum, nec utile aliis, & tibi noxium vitare. Idque intelligendum est non de solis privatorum hominum factis, atque eventis, verùm etiam, & multò adhuc magis de Regum bellis, connubiis, fœderibus, publicisque aliis negotiis: adeò ut rerum hujusmodi nuntia nunquam, sive percontando, sive in commentariis, & divinis legendo, expiscari studeas: sed agas inter homines hominis ritu, & tanquam alterius mundi civis, ad quem nîl pertineant terreni hujus orbis eventus. Qualem se exhibuit ille apud Cassianum Monachus, cui cùm allatus è patria esset literarum fasciculus, reputare secum cœpit: *Quantarum cogitationum causa erit mihi harum lectio, quæ me vel ad inane gaudium, vel*

ad tristitiam infructuosam impellent? Quot diebus recordatione eorum, qui scripserunt, intentionem pectoris mei à propositâ contemplatione revocabunt? Post quantum temporis digerenda est hæc mentis concepta confusio, quantóque labore rursus iste tranquillitatis reparandus est status, si semel animus literarum permotus affectu, eorúmque recensendo sermones, ac vultus, quos tanto tempore dereliquit, iterum eos revisere, iisque cohabitare, & animo, ac mente cœperit interesse? Nec mora: his rationibus motus, fasciculum ità, ùt erat, colligatum, nè extima quidem literarum inscriptione lecta, in ignem projecit, dicens: *Ite cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me ulteriùs ad illa, quæ fugi, revocare tentetis.* (*L. 5. de Inst. c. 32.*)

10. Secundò cohibere illã pariter debes à minutis quibusdam rerum passim occurrentium notitiis curiosè exquirendis. Adeò ut nunquam ea stimulante interroges sive de nomine, patria, & conditione alicujus, quem primò obvium habes; sive oculos vertas, inspecturus, quisnam hujus, illiúsve rei, putà strepitûs præter morem excitati author fuerit; sive observes, quot superent paginæ usque ad calcem libri, quem lectitas; sive è strato manè consurgens, fenestram illico aperi-

as, cognoscendi gratiâ, serenúsne, an imbrifer cæli habitus sit; sive gustu, olfactúve ignotum obvii fortè alicujus floris, fructûs, aut semini odorem, & saporem explores; sive spectatum adeas extraordinariæ magnificentiæ apparatus, illustrium artificum opera, vetustatis monumenta, peregrinas bellu-as, advenas magni nominis principes, & quidquid novitatis illecebrâ concursus vulgi adse rapit; sed in quavis simili occasione Franciscum Villanovam imiteris, eximiæ in nostra Familia probitatis virum: qui ajebat, si nuntiaretur sibi, Angelum sub humana specie ante Collegii fores publicè concionari; neutiquam fore, ut ad eum spectandum, audiendúmque, vel unicum ipse gressum ex meræ curiositatis impulsu faceret. (*Hist. Soc. P. 2. L. 1*)

11. Tertiò reprimenda quoque tibi est, quoties naturali suo instinctu te stimulat, ut sive conjectando, sive ab aliis scisciando studeas prænoscere, quidnam decreturi de te moderatores sint: quamdiu nimirum cogitent in præsenti te loco, & ministerio detinere, quámque postmodum stationem, & provinciam hinc amoto assignare. Has siquidem futuri temporis prænotiones te oportet tan-

tanquam mera naturalium cupiditatum, & amoris proprii fomenta ab animo prorsus excludere, quietáque mentis attentione illud duntaxat, quo fungeris, munus curare. Cujus rei illustre tibi exemplum magnus magnæ DEIparæ Sponsus Joseph reliquit: quando jussus ab Angelo intempesta nocte in Ægyptum fugere, nè verbulo quidem, quamdiu ibi comoraturus esset, quæsivit: sed tacito obsequio indefinitum, obscurúmque illud imperium excepit: *Esto ibi, usquedum dicam tibi.* (*Mat. c. 2.*)

12. Quartò in literarum studiis nullam ei debes, quæ solido adversetur profectui, libertatem, oblectationémque permittere. Atque huc spectat, cavere, nè, prout genii inconstantia, & varietatis dulcedo suadet, jam huic, jam illi disciplinæ in nulla profecturus operam naves: sed potiùs, juxta utilitatis, & rationis præscriptum, ad certam quampiam toto pectore incumbere, & ubi potitus jam satis eâ fueris, cum eadem attentionis serietate ad reliquas progredi. Spectat itèm, nè jam unum ex libris deguste, jam alium, néve in illo, quem legendum sumpsisti, vana impellente curiositate ad posteriores materias abruptis prioribus transvoles, sive eundem

ex inconsulta plures alios legendi aviditate festinantiùs, quàm attentiùs percurras; sed Pliniano monito auscultans: (*Ep. 9. L. 7.*) *Multùm legas, non multa*: hoc est singulis contentus sis libris, eorúmque lectionem à prima orsus pagina continenti ordinatim processu ad extremam perducas, & in peculiari quavis parte tantum temporis ponas, quantò ad illius & intelligentiam probè assequendam, & memoriam porrò retinendam sit opus. Alioquin ea mens laborabit imperfecti cruditate alimenti, quam stomacho afferre consuevit varii, nec sat mansi cibi ingluvies: quódque de Margite Græcus cecinit Vates, dici etiam de te poterit, si ità præpostera ad voluptatem potiùs, quàm profectum tua dirigas studia: *Multa quidem nôrat, sed nonrat omnia prave.* (*Apud Plat. in Alcib. 2.*) Spectat demum, nè scientias, quæ genio, & curiositati lenocinantur, necessariis, & utilioribus præferas; sed humanæ tum vitæ, tum intellectûs spatia intuens, angustiora, quàm ut perfectæ omnium doctrinarum comprehensioni sufficiant; id primum conaris addiscere, quod scire maximè interest. *Metire ætatem tuam*: (prudenter monet Seneca) *tam multa non capit.* (*Ep. 88.*) Ubi vix ad necc-

cessaria sat temporis suppetit, cujus prudentiæ, consiliique est potiorem ejus partem otiosis impendere? Inutiles sumptus, qui luxuria vocantur in divite, non nisi pro insania haberi possunt in paupere.

13. Denique assuefacienda erit mens, nè in ipsismet rerum necessariarum, & utilium studiis, juxta naturalem suum sciendi appetitum, sed juxta divinæ charitatis normam se gerat. Et primò quidem, quantùm ad studendi scopum, & finem, adeò ut literarios labores suscipias, nequaquam sterilis illius voluptatis causâ, quæ ex sublimium, & reconditarum veritatum notitia homini naturaliter provenit; sed ideo duntaxat, ut magis idoneum sic fias publicæ utilitatis, divinæque gloriæ instrumentum. Præterea, quantùm ad mensuram temporis: adeò ut nullam ejus particulam consuetæ orationi, dilectæ erga proximos charitati, & propriis tui statûs vel muneris occupationibus detrahas, ex aviditate diutiùs studio vacandi: sed illud solummodo tempus huic impertias, quod prædictis majoris momenti officiis superfuerit. Memor, scientiam eatenus tantùm à spirituali homine quæri oportere, quatenus exercendæ erga DEUM, cæterósque homines chari-

ta-

tati habiliorem eum reddit : neque absurdius quemquam errare suis in consiliis, & vitæ actibus posse, quàm si ad plura sibi comparanda instrumenta, assecutionem finis negligat, cujus tantùm respectu omnem illa bonitatem suam habent, & cui assequendo nisi conducant, supervacua penitùs remanent, totiúsque sui pretii, ac valoris expertia. Egregiè Plinius : (*Ep.* 9 *L.* 8) *Nulla studia tanti sunt, ut amicitiæ officium differatur, quod religiosissimè custodiendum esse, studia ipsa præcipiunt.* Postremò, quantùm ad æstimationem, amorémque, ità scientiam intuere, quasi instrumentum alienæ potiùs utilitatis causâ à DEI servis quærendũ quàm propriæ felicitati necessariũ : neque post verissimam hancce persuasionem, aut nimiâ soliciteris acquirendæ illius curâ; aut molestè feras, necessariis occupationibus te impediri, nè in ea, quantùm velles, proficias; aut aliis invideas, qui ejus prærogativâ tibi antecellunt, tanquam si ideo te feliciores, magísque gratiosi apud Deum essent; aut contra inaniter glorieris, quòd ea tibi exaggeratior, quàm pleriſque aliis obtigerit : sed pro certissimo habeas, in DEI lancibus majoris esse ponderis charitatis semunciam, quàm innumeras humanæ libras sci-

scientiæ : neque respectu nostri ultimi finis, qui æterna duntaxat beatitudo est, meliori loco, & conditione esse, qui plura scit, sed qui impensiùs DEUM amat. Quamobrem D. Augustinus justissimè coram DEO profitetur: (L. 5. Conf. c. 4.) *Infelix homo, qui scit omnia, te autem nescit. Beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui verò te, & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te, sicut* DEUM *glorificet.* Et Paulus Apostolus, qui in perfectionis studio nusquam vult nos quiescere, sed ad summa quæque conniti, dicens: *Æmulamini charismata meliora: & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* (1. ad Cor. c. 12.) in scientia persequenda certos definit nostris conatibus, & progressionibus terminos: *Dico omnibus, qui sunt inter vos, non plùs sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* (Ad Rom. c. 12.)

14. Transeundo jam ab inani cupiditate omnia sciendi, ad inordinatam libertatem de quavis re cogitandi, debes quemadmodum illam ob impedimenta, quæ divino amori affert, funditus extirpandam duxisti; ità & hanc eadem de causa extirpatum ire: firmissimè apud te statuens, nullas unquam cogitationes

in-

intrà mentem admittere, nisi aut de DEO, aut propter DEUM: & ſtudens idcirco, quatuor haſce regulas diligenter ſervare, quas tibi ùt neceſſariam, & legitimam generalis illius decreti praxim ſubjicio. Prima eſt, ut omni eorum animadverſione tibi penitùs interdicas, quæ cæteroqui ad te nihil ſpectantia ullus hominum faciat, dicat, cogitet, velit, ſeu aliquando fecerit, dixerit, cogitârit, voluerit; ſeu facere, dicere, cogitare, & velle in poſterum queat. Exceptis duntaxat iis caſibus, in quibus juſta alieni boni cura, & ratio aliter ſuadet. Secunda, ut nihilominus, imò adhuc magìs mentem avertas ab omni ſeu præſenti, ſeu præterito, ſeu poſſibili alterum facto, dicto, cogitatione, & voluntate circa te, ac res tuas: putà à bona, vel mala opinione, quàm aliquis de te habuerit, habeat, & habere poſſit: à verbis, quæ in tui laudem, vel vituperationem unquam protulerit, & prolaturus fors ſit: à benevolo, vel infenſo animo, quem adversùm te gerat, ſeve olim geſſerit: tanquam à rebus, quæ alioquin non valent, nisi ad perturbandam vanis imaginibus, & inordinatis affectibus quietam animi conjunctionem cum DEO: nisi quando relaturus bene de te meritis gratiam, ſeu de tuo

tuo aliquo gaviſurus contemptu, ſive aliam honeſtam ob cauſam reſpicere illas velles. Tertia, ut perpetuæ oblivioni tradas, quidquid ſeu factum à te eſt, ſeu tibi accidit, in toto præteritæ ætatis tuæ ſerie: omnem rerũ talium imaginem in animo obliterans, perinde quaſi eſſent mera ſomnii figmenta, neque unquam verè extitiſſent. Hujuſmodi quippe objectorum recordatio non niſi ad fovendum proprium ſui amorem conducit: qui, veluti ſuaviſſimum ibi pabulum reperit, ſic facit, ut homines plurimùm gaudeant, ſuas illas res memorando reguſtare, unde aliquid pridem oblectationis, gloriæve perceperunt: proponentes eas ſibi ſub expreſſa admodum ſpecie, & ſecundùm minutiſſima quæque ſua adjuncta, tanquam ſi tunc temporis fierent, pergentéſque ad longum ſæpe tempus voluntariis id genus ſomniis oblectare, ſeu veriùs ludificare ſe ipſos. Unde tamen excipi debet eorum objectorum memoria, quibus neutiquam proprius, ſed divinus foveri amor ſolet: veluti beneficiorum, quæ à DEI liberalitate accepimus, criminúmque, & offenſarum, quibus ipſi reſpondimus. Quarta, ut omnem pariter de rebus vel certè, vel ambiguè futuris cogitationem, quæ ad meliorem illa-

illarum eventum nîl confert, ſed otiosè tantummodo eas ſpeculatur, abeſſe in perpetuum ab animo jubeas. Quales exempli gratiâ eſſent: de ſecundo, vel adverſo alicujus conſilii tui exitu, de valetudine, qua inpoſterum continget te uti, de cibis, qui tibi hodie pranſuro apponentur, de munere, quo à Præſidibus tuis inſequenti anno fungi jubeberis. Has enim, & quaſcunque alias hujus generis cogitationes nemo non videt, nihil utilitatis voluntati afferre, ſed ludicram duntaxat mentis occupationem, vanúmque eſſe boni otii diſpendium. Cùm poſſim ego quidem ſatagendo, gravitérque laborando aliquid ſæpe in futurum vel boni aſſequi, vel mali prohibere; at nunquam hujuſmodi quidpiam poſſim, merè *cogitans*, pérque curioſam ſolummodo illius contemplationem efficere. Prout apertè Chriſtus ſignificavit ſuis illis apud D. Matthæum verbis: (*c. 6*) *Quis veſtrûm cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Qui etiam tum ratione nullius bonæ frugis, tum multæ inquietudinis, quæ indè profluit, otioſis hiſce cogitationibus ſuis ſectatoribus interdixit: (*Ibid.*) *Nolite*, inquiens, *ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.* Imò ne-

neque in ipsis cogitationibus practicis, & ad necessariam rerum agendarum providentiam spectantibus, extra tempus legitimum, plúsque justo immorari debebis: non occupans mentem, in quærenda philosophici argumenti solutione, dum orationi vacas: neque pergens diutiùs ruminari, & pluries tractare animo rationes, hoc, vel illud negotium rite administrandi, postquam eas semel maturo, & sufficienti consilio apud te constitueris: neque longo priùs tempore futurarum rerum provisionem, & dispositionem anticipans, quando te ad ipsas una hora, vel uno die antea comparare sat potes. Illæ siquidem cogitationes, quamvis naturâ suâ providæ, & utiles; ratione talis temporis, taliúmque adjunctorum, supervacuæ, atque imprudentes evaderent. Quò respicit illud; *Crastinus dies solicitus erit sibi ipsi:* & illud, *sufficit diei malitia sua,* à Christo Domino supradictæ suæ sententiæ rationis instar subjunctum. In summa, vel facienda re quapiam occupatus detineris, vel vacuus in præsenti, & solutus es ab omni opere; si primum: de nulla alia re cogites, nisi de præsenti tuo opere ad Dei gloriam studiosè, exactéque obeundo; repetens identidem tibi ipsi veterem illam formu-

lam : (*Plut. in Numa.*) *Hoc age, hoc age.* Si secundum, nè occupes mentem, nisi in Deo, inque rebus ad illius obsequium spectantibus. Hæ sunt cogitationes, ex quibus solis verum animus potest, solidámque utilitatem referre. Hæ tibi sufficiant : reliquas verò tanquam inanes, vel noxias severissimo, & irrevocabili edicto à tua mente in perpetuum proscribe.

15. Certè hæc supervacuorum phantasmatum ablegatio, & si minimè necessaria perfectæ conjunctioni cum DEO esset, eligi tamen, ac decerni mereretur, solius tranquillitatis respectu, quam animo parit: expellens ab eo, unà cum vanis cogitationibus, omnium penè illius perturbationum, & inquietudinum causas. Fateor quidem, iis sublatis voluptatem simul deficere, quam haurire mens solet ex libertate discurrendi, per quascunque velit, objecta. Sed enim quanto minor voluptas illa est intemperiis, & molestiis, quas adjunctas habet? Appendice sat competa Themistocli, quando nescio cui, artem memoriæ offerenti, oblivionis se artem libentiùs accepturum respondit. (*Cic. 2. Qu. Acad.*) Ut ut tamen se res habeat secundùm rationes humanas, exigui, imò nullius id est apud

apud perfectum DEI amatorem momenti; utpote qui minimè indiget ab interioris suæ quietis respectu, ad mentem quàm arctissimè coërcendam impelli, pro sat valido ad hujusmodi severitatem incitamento, & stimulo habens, quòd sciat, quantò minus libertatis ei permiserit, tantò ad intimam cum DEO conjunctionem se aptiorem futurum.

CAPUT XXVI.

Volenti DEUM perfectè diligere proscribendam ex animo, ac mente bonam sui existimationem esse.

QUàm delectabile homini ex innato propriæ excellentiæ appetitu sit, præclaram de se ipso opinionem habere, & in simili apud reliquos mortales existimatione esse, nemo est, quin ex domestico suo sensu compertissimum habeat. Sed nemo itèm est, quin facilè possit advertere, quantam prædicta delectatio vim obtineat, eundem à DEI obsequio avocandi: utpote quæ in cujuslibet expetentis se animum pestilentissima duo su-

perbiæ, & inanis gloriæ vitia introducit: efficiens, ut bona ſua aſpiciat quaſi rem propriam, & unde honor ſibi potiùs, quàm Deo debeatur: ut quantò ſuis viribus, opibúſque fidit magìs, tantò minùs DEO egere ſe credat, neque, qua par eſt, ſedulitate illius auxilium imploret: ut ſuis in operibus non tam DEO placere, quàm hominibus ſtudeat, qualcunque illius leges paratus infringere, ut horum ſibi approbationem, plauſus, gratiam, & famam conciliet: ut denique anteſtare omnibus velit, omnes præ ſe flocci pendat, deque omni aliorum excellentia non ſecùs ac de ſui depreſſione mœreat: effectus omnes, qui quàm divinæ charitati repugnent, eámque non imminutum ſolùm, ſed funditus quoque ſublatum eant, ſupervacanei operis foret et profeſſo demonſtrandum ſuſcipere, tanquam ſi non abunde per ſe ipſum pateret. Præterquam quòd exiſtimationis propriæ amor, quamvìs nullum in anima peſtiferorum ejúſmodi germinum pareret, quis tamèn non videt, quantum illi vel duntaxat ex ſe ipſo impedimenti afferat, nè DEUM toto corde, omnibúſque ſuis viribus diligat? Dum juxta D. Auguſtini obſervationem efficit, ut quis eum fovet, pro eo ut DEUM unum

pro

pro ſcopo ſuarum omnium cogitationum, & affectuum habeat, ſeſe potiùs circumſpiciat, ſuis delectetur ſeu imaginariis, ſeu in majus effictis dotibus, ínque ſe ipſo ſuum ſibi finem, & alterum quaſi DEUM conſtituat. *Quid eſt ſuperbia*, (ait S. Doctor) *nisi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, cui animus inhærere debet, principio, ſibi quodammodo fieri, atque eſſe principium.* (*L. 14. de Civ. c. 13.*)

2. Nemini ergo ſupereſſe dubium poteſt, quin verus DEI amator omnem adhibere induſtriam debeat, ad hunc propriæ exiſtimationis amorem charitati contrarium, penitùs ſuo è corde excludendum, nunquam illius appetitui obſecundans; ſed potiùs, juxta univerſalem à nobis jam poſitam regulam, ſemper, & ubique contraria omnino iis eligens, ad quæ ille propendet: adeò ut ſi illius ſectatores eximii, & præſtantes videri tum ſibimet ipſis, tum cæteris quibuſque hominibus velint, nullaſque artes, quæ ad hunc finem conducant, non adhibeant, quàm hilares, & beati, quoties eum conſequuntur, tam triſtes, & miſeri, ſi ſecùs fors acciderit; diverſa ipſe prorſus ratione abjectiſſimi homuncionis inſtar tum ſibi apparere, tum cuivis alteri velit,

omni industria, & conatu id assequi studens; neque unquam seu lætior, quàm cùm vile illud schema in opinione omnium præfert; seu magis animo æger, ubi homines splendidiorem aliam illius speciem mente conceperint.

3. Atque hujusmodi sanè est Euangelicæ illa humilitas, quam illustribus adeò præconiis sacri Doctores certatim exornant. Cùm ab aliis, ùt à D. Hieronymo (*Ep. ad Eustoch.*) *Prima Christianorum virtus* vocetur: ab aliis, ut à D. Cypriano, (*De Nativ. Chr.*) *Primus Religionis introitus, sicut in mundum Christi ingressus, & quicunque piè vult vivere humiliter de se sentiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat.* Ab aliis, veluti à D. Bernardo, (*Serm. 1. de Nat. & L. 5. de Consid.*) *Fundamentum, custósque virtutum. Nempe, si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est.* Ab aliis præcipua, imò unica, per quam ad Christum, æternam veritatem perveniatur, via, ùt à S. Augustino, qui in Epistola ad Dioscorum, accommodans ipsi celebrem Demosthenis de actione oratoria sententiam: (*Ep. 56.*) *Nisi aliam tibi*, scribit, *ad obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam DEUS videt infirmi-*

tas.

tatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: & quoties interrogares, hoc dicerem non quòd alia præcepta non sint, quæ dicantur, sed, nisi humilitas omnia, quæ benefacimus, & præcesserit, & consecuta fuerit, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum de manu extorquet superbia. Ab aliis postremò (ut ea desinam laude, quæ una præcipuè ad institutum meum facit) prodromus amoris divini: qualem eam nuncupavit antiquus ille Pater apud Rosvveidum, (*L. 3. de Vit. Patr. pag.* 518.) *Humilitatem esse*, dicens, *præcursorem charitatis, sicut Joannes præcursor erat Christi, omnes trahens ad eum*: qualémque itèm Seraphica Virgo Maria Magdalena de Pazzis, divinitus rapta extra sensus, descripsit: (*In Vita. L. 4. c.* 10.) affirmans: exercitium unicum ad divinum obtinendum amorem esse depressionem sui: cùm in animam humilem facer ille ignis per sese, & sua sponte illabatur, neque unquam cor extiterit humilitate plenum, quin etiam charitate impleretur. Virtus enim vero plusquam humana, neque satìs inter homines cognita, quoad Verbum divinum mortali carne amictum illius ludum in terris aperuit: non præceptor tantummodo, sed absolutissimum quoque exemplar:

adeò ut juſtiſſimè cohortari ſuos Auditores potuerit: (*Mat. 11.*) *Diſcite à me, quia ſum,* id quod eſſe vos jubeo, *mitis, & humilis corde.* Quamvis enim ea humilitatis pars, quæ inanem faſtum, arrogantiámque, & immoderatam gloriæ cupiditatem excludit, pro virtute habita & ab ethnicis ſit, & ſub modeſtiæ nomine plurimum ſemper commendationis inter homines obtinuerit; illa tamen abſolutior humilitas, quæ omnem ſui & exiſtimationem averſatur, & contemptum quærit, virtus propriè Chriſtiana eſt, neceſſarii ſubſidii locò antiquorum modeſtiæ, ceu corporis mortificatio eorundem temperantiæ à DEI Filio addita. Neceſſarii, inquam, ſubſidii locò: nam, quemadmodum temperantia, quòd inter Ethnicos mortificationis adjumento careret, vix quemquam invenit, à quo plenè fuerit, integréque ſervata; non ſecùs & modeſtia, cùm apud eoſdem deſtitueretur Chriſtianæ adminiculo humilitatis, plures ſui laudatores, quàm veros, germanóſque ſectatores recenſuit. Unde, qui majori inter ipſos virtutis, ſapientiæque famâ excellebant, ſuperiores communiter, & popularis auræ magis cupidos videmus fuiſſe: cujus nempe inanes rumuſculos ex ſua opum terrenarum co-

deſpicientia, & ambitioſa paupertatis profeſſione aucupabantur, externæ quidem vanitatis contemptores, ſed ab alia tantò deteriori, quantò intimiori vanitate ad eam contemnendam impulſi. Prout jure exprobravit Diogeni Plato, cùm ille ſtratos à ſe domi honeſtorum hoſpitum gratiâ tapetes lutulentis pedibus tereret, dicens: *Calco Platonis faſtum,* tranquillo vultu inſultanti repoſuit: ità quidem, ſed videto, nè major tuus ſit in proculcandis, quàm meus fuerit in ſternendis tapetibus faſtus: *Calcas, ſed alio faſtu.* (Laërt. L. 6.) Qui tamen, nè ipſe quidem, licèt vir tantus, nec veterum ulli ſapientiæ famâ impar, ſuum diſſimulare amorem gloriæ potuit, Atheneo teſte profeſſus: (L. 11.) affectum hunc, quaſi intimam eſſe animæ tunicam, neque à ſe exutum priùs iri, quàm mortali ipſe vita exueretur. Quo reſpexiſſe Tacitus videtur, dum ſcripſit: *Etiam ſapientibus cupidinem gloriæ noviſſimam exui.* (L. 4. *Hiſt.*)

4. Quòd ſi aliquis ad penitiorem tam neceſſariæ virtutis intelligentiam requireret, ubinam ea tandem conſiſtat, poſſum primò, juxta Doctorem Angelicum, (2. 2. *qu.* 161. *a.* 2.) quærenti reſpondere, haudquaquam conſiſtere in mera ſui ipſius, & ſuæ vilitatis

notitia, duplicíque ratione id demonſtro. Prima: quia talis notitia poteſt in anima reperiri ſinè ullo merito, ulláque laude virtutis: ceu re ipſa reperitur in animabus ad ſempiternas orci pœnas damnatis: quæ nihil ſe eſſe in tota rerum creatarum univerſitate abjectius, & miſerius quàm certiſſimè agnoſcunt, nec tamen quiſquam eas idcirco veræ humilitatis virtute eſſe prædítas dixerit: quod cæteroquin eſſet neceſſariò dicendum, ſi prædictæ virtutis eſſentia in ſola propriæ vilitatis, & miſeriæ agnitione conſiſteret. Altera verò: quia conſtat certò apud omnes falſæ laudis, gloriæque ambitum germanæ humilitati omnino repugnare, neque poſſe cum ea unquam conjungi: qui tamen non rarò vel cum clariſſima propriæ vilitatis agnitione ſocialiter in anima exiſtit: veluti exempli gratiâ, ubi quiſpiam, flagitioſiſſimæ cæteroquin ſuæ vitæ ſibi optimè conſcius, ementitis viſionibus, ac miraculis ſanctitatis famam apud vulgus venatur. Secundò igitur ad rem plenè, abſolutéque decidendam reſpondeo: humilitatem in eo eſſe poſitam, ut homo præclaram de ſe exiſtimationem tum apud ſe, tum apud alios oderit, & quantùm poteſt, fugiat; contrà verò ſui deſpicientiam utrobique amet,

met, ac pro viribus quærat: omnéſque prædicti ſive amoris, ſive odii actus ad formale humilitatis exercitium, tanquam proprios illius actus ſpectare: quemadmodum explicare jam deinceps pergemus, primò quidem, quantùm ad eam humilitatis partem, quæ conſiſtit in proprio honore averſando, & contemptu diligendo apud ſe ipſum: tum porrò, quantùm ad alteram, cujus partes ſunt: proprium apud alios & honorem odiſſe, & contemptum amare.

5. Priùs tamen, quàm ejuſmodi explicationem ingrediar, admonendus Lector mihi eſt, poſſe hìc etiam nimietate peccari, ſive ſui contemptum quærendo, ſive bonam æſtimationem fugitando, ultra quàm par eſt, cúmque injuria aliarum virtutum: hoc eſt ſinè illa moderatione, quæ ſi deeſt, *in vitium ducit culpæ fuga:* (*Horat. de Art. Po.*) prout generatim vetus Poëta affirmavit; & in præſenti hac materia ſpeciatim definiit Angelicus Doctor, cujus judicio perinde eſt humilitas immoderata, atque humilitas ſtulta. Nam, *cùm humilitas*, inquit ille, *ſit virtus, nihil indiſcretè operatur. Non eſt igitur humilitatis, ſed ſtultitiæ, ſi quis quodcunque abjectum ſumpſerit.* (*L. 3. con. Gent. c. 135.*) Ut aliquid igitur cer-

certi ſtatuatur circa modum, quem hoc loco recta ratio exigit, à veritate, & charitate is videtur petendus: ità ut tunc prudens, & moderata exiſtimari humilitas debeat, cùm ejus actus neutri adverſantur prædictarum virtutum; tunc verò nimia, & imprudens, cùm in operando alterutri earundem repugnat. Secundùm quam regulam imprudenter exerceret primam humilitatis partem, qua homo vilis ſibi quærit videri, qui, nulla veritatis ratione habita, ultro hallucinari ſtuderet, concipiens in ſui depreſſionem, quæ vel manifeſtò ſunt falſa, vel nullius rationis fundamento nituntur: ùt exempli gratiâ, ſi emeritus Theologiæ Doctor conaretur abecedario quovis puero indoctiorem ſe credere: aut vir cæteroqui pius judicaret, plura, & immaniora à ſe eſſe crimina, quàm ab ullo alio mortalium commiſſa. Ex quibus duobus judiciis primum eſſet hominis ſtulti, & ſibimet palàm mentientis; alterum temerarii, & certam de re prorſus ignota ſententiam ferentis. Unde ambo, quantùm à mentis ſinceritate, tantùm quoque ab humilitatis ingenio abhorrent: virtutis nimirum, quæ impoſturis, & fallaciis minimè gaudet, & juxta D. Teresiæ animadverſionem, (*In Caſt. Inter. Manſ. 6. c. 10.*) id-

idcirco tam eximiè à DEO diligatur, quia veritatis confessio est, illíque tanquam fundamento suo incumbit. Secùs omnino ac superbia, quæ ideo tam infensum sibi DEUM habet, quia ex mendacio oritur, imò nihil aliud tota est, nisi purum putum mendacium. Neque minùs in eadem hac prima parte legitimum transgrederetur rationis modum, qui justæ erga DEUM, ac se ipsum charitatis oblitus, vel ex vano superbiendi timore, collata sibi à DEO beneficia retractare animo nollet, vel ex præpostero sese plùs despiciendi tanquam inimicum DEI studio, quoties dubitatio suboritur, num nefariæ cogitationi assensum præbuerit, præbuisse illico, divinæque inimicitiæ, ac mortis æternæ reum se esse pro certo statueret. Primus quippe, ad vitandam remoti, & incerti mali aleam, nîl pensi haberet DEUM fraudare illa grati amoris viciſſitudine, quæ immensæ illius liberalitati pro singularibus suis donis debetur. Alter verò, ad comparandum sibi virtutis instrumentum, minimè cæteroqui necessarium, in graviſſima sese mala, & spirituali suo profectui maximè adversa, perpetuam nimirum triſtitiam, extremámque propemodum vivendi absque lethalibus noxis desperationem

con-

conjiceret. Quorum utrumque si ad humilitatis perfectionem spectaret, vel quoquo modo necessarium esset, nil dubitans pronuntiaverim, satiùs multò futurum, in inferiori aliquo virtutis hujus gradu consistere, quàm ad summum fastigium tam perverso itinere eniti. Sed enimvero neque pertinent, neque necessaria ad eam sunt; DEI quippe munera, cùm ex mera, & gratuita liberalitate illius profluant, quantò majoris pretii, & dignitatis sunt, tantò accipientem plùs obligant, aptiora proinde ad demissionis, quàm ad elationis, arrogantiæque sensus sua consideratione inspirandos. Et tamen fas cuique est, veræ abjectionis, & miseriæ in se ipso deprehendere, ut liquidò ostendat, parùm à se illam cognosci, quisquis ad extremam sui despicientiam animo concipiendam falsis persuasionibus, & improbabilibus argumentis se indigere arbitratur. *Humiliatio tua in medio tui:* (*c.* 6.) scripsit Micheas, vel potiùs Micheæ calamo Spiritus sanctus.

6. Idem dic circa alteram quoque humilitatis partem, cujus proprium est velle ab aliis contemni: nempe ibi pariter inconsulto majoris boni studio ultra limites abiturum à recta ratione præscriptos, quisquis vel sui apud

apud alios contemptum non sinè veritatis injuria, nempe apertis mendacii captaret, vel bonam de se existimationem, famámque apud illos tueri negligeret, quibus ea incolumi, & vigente plurimum emolumenti afferre posset: minimè interim audiens sive Ecclesiastici authorem, à quo monetur, (c. 41.) *Curam habe de bono nomine*; sive Apostolum Paulum, qui ùt olim Tito, sic & ipsi comendat, (c. 2.) *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, ut is, qui ex adverso est, vereatur nihil malum habens dicere de nobis. Nemo te contemnat.* Imò neque ipsum audiens veræ humilitatis Magistrum, & prototypon Christum JEsum, qui vult suorum sectatorum virtutem, non in suis tantùm, sed in mundi quoque oculis illustrem esse: *Sic luceat*, iis præcipiens, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* (Mat. c. 5.)

7. Perspectis igitur humilitatis improvidæ excessibus, accedamus jam ad recensendos eos actus, quibus prior ejus pars ab anima DEUM amante exerceri juxta justos veritatis, & charitatis limites debet. Primus, & quasi cæterorum omnium radix, est superbæ cujuslibet de se ipso opinionis inexplebi-

bile odium, ratione tum graviſſimæ injuriæ, quæ per illam DEO fit; tum peculiaris inimicitiæ, quam DEUS cum ea habet. Nam neque magni ſe facere quiſquam poteſt, niſi arrogando ſibi, & tanquam ſuum opus intuendo bona ex gratuito DEI amore accepta, quod, juxta D. Bernardi interpretationem, (*Serm. 4. in Cant.*) eſt illud *oſculari manum ſuam*, à S. Job, *negatio contra DEUM altiſſimum*, (*c. 31.*) practica nempe quædam infidelitas; neque ullum facilè invenietur hominum genus, quod acriori, & validiori bello quàm tumidos ſui æſtimatores DEUS inſectetur: ipſemet contra illos, quaſi contra præcipuos, maximéque proprios ſuos hoſtes in arenam, & quoddam quaſi ſingulare certamen deſcendens; quemadmodum ex eadem poſtoli Jacobi ſententia: (*c. 4.*) *DEUS ſuperbis reſiſtit*, D. Ambroſius collegit: *Dominus* inquiens, *contumeliæ ſuæ propulſator, velut quoddam ſuſcepit adversùs ſuperbiam peculiare certamen, tanquam dicat: meus iſte adverſarius eſt, qui me laceßit: mihi debetur iſta congreſſio.* (*In Pſ. 118.*) Cùm è contrario, quàm proprium eſt humilium DEUM honorare, ſubjiciendo ſe illi, eúmque totius boni ſui authorem confitendo, tam propriè iiſdem conve-

ni-

niat, ab ipso amari, & foveri, juxta illud Ecclesiastici oraculum: (c. 3.) *Humilia te in omnibus & coram* DEO *invenies gratiam. Quia magna potentia* DEI *solius, & ab humilibus honoratur.* Quæ peculiaris erga illos DEI benevolentia confirmatur tum iis apud Isaiam verbis: (c. 66.) *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* tum eximiis muneribus, quæ iis semper larga manu impertiri solenne habuit, adeò ut S. Teresia scriptum reliquerit: (*In Vit. c. 22.*) nullum se, quantùm recordari potest, ex sublimioribus DEI donis in oratione accepisse, nisi quando in sui se contemptu exercebat. Quamobrem, hæc observans, qui perfectè amare DEUM expetit; quemadmodum nequit dubitare, quin & maximè ei displicebit, si vanam aliquam sui æstimationem in animo foveat, & æqualiter placebit, si eam indè omnino proscribat; ità ab amore, quo ipsum prosequitur, debet incitari ad extremum, & capitale adversùs hanc odium: adeò ut firmissimè statuat, nunquam ei vel minimum aditum intrà suam mentem præbere, sed perfecto, & universali holocausto tum ipsam, tum naturalem ipsius appetitum, tum quidquid ex ipsa voluptatis perci-

peret, divino honori, amoríque immolare. Neque satìs esse illi debet, quòd hujuscemodi odium, ac decretum semel conceperit, sed opus est, ut instaurare illud pergat, tum quoties vana quæpiam elatio suboriri in mente incipit; tum ordinariæ nonnunquam meditationis tempore, quoad frequenti illius actuum iteratione, quasi clavus repetito pluries mallei ictu, penitùs, & ad perpetuitatem defixum in animo fuerit.

8. Jam verò hoc concepto de sui æstimatione penitùs abolenda decreto, secunda humilitatis exercitatio erit, sedulò procurare, quæ ad illius effectum conducunt: interdicendo nimirum sibi ipsi, nè unquam sua bona vel consideret, vel tanquam quid eximium, & proprium consideret. Hujusmodi quippe consideratio pabulum est, quo sui æstimatio nutritur, quóque ablato necesse est eam prorsus deficere. Cùm impossibile omnino sit, ut aut magno habeatur in pretio, qui nihil nisi vulgare, & gregarium præfert, aut ullo habeatur in pretio, cujus dotes vel minimè advertuntur, vel non nisi ut aliena, & merè commodata spectantur. Quis igitur sancto existimationis propriæ odio succensus eam funditus à se ipso extirpare de-

decrevit, nullum ei permittere ex prædictis pabulis debet: ac propterea primo loco cavere, nè unquam considerationis oculos vertat, defigátque in illas suas dotes, quæ, quòd secundùm suum genus præcipuo in honore apud homines sint, causam ei possent sibi placendi, séque supra cæteros elevandi præbere: putà géneris claritudinem, egregiam corporis speciem, ingenii acumen, eruditionem, eloquentiam, virtutem: sed quantamcunque voluptatis materiam in hujusmodi objectis mens nanciscatur, illam nihilominus inexorabili severitate ab eorum contemplatione prohibeat.

9. Sed quoniam difficile plùs nimio est, cæcum penitùs fieri ad tam cognata, & tam domestica objecta; curandum secundò illi est, ut si quando prædicta sua decora in oculos nolentis incurrerint; incorrupto illa saltèm, sinceróque spectet obtutu: nimirum, non juxta commentitiam præstantiæ, & magnitudinis speciem, quam innatus sui amor iis gaudet affingere; sed potiùs, (cujusmodi re ipsa sunt, & verè æstimanti apparent) ceu aliquid suo in genere exiguum, nec promiscuo, & vulgari modò sublimius. Quam in rem tria hæc illi proderunt: primum, si cer-

tò apud se statuat, naturale homini esse, ut pro insito excellentiæ suæ studio, quævis sua decora convexi instar speculi amplificet, sibique repræsentet longè veris majora. Quapropter, sicut, qui in aliquo ex illis speculis vasto parem giganti se videt, neutiquam secum sibi fieri ab optica ea hyperbole patitur, ut, quantus ibi apparet, tantum se revera esse existimet; sic consentaneum rationi, prudentiæque esse, ut nemo suas naturæ, & virtutis prærogativas pro tam magnis habeat, quàm à proprio sui amore sibi exhibentur: sed hac secum æquissima ratiocinatione utatur: ipse mihi illas ad hunc usque modum exaggeratas proponit, ergo necesse est, non hujus, sed minoris longi modi illas esse. Proderit rursus, si se ipsum circa quasvis suas dotes cum iis mortalibus conferat, qui præcipuam in iisdem consecuti sunt laudem: obsecvans, quàm curta, & exigui pretii sua in hujusmodi collatione appareat supellex, quàm tenuis scientia, quàm mediocre ingenium, quàm inops facundia, quàm vulgaris virtus, quámque imperfecti, & despiciendi, quos in lucem edidit, mentis suæ partus. Proderit demum, si quoties hoc, vel illud suum decus sub magnifica, & plausibili specie sibi obver-

si-

ſatur, mentis acie perluſtret infinitè ulteriorem præſtantiam, quæ acquirenda in eo ſibi ſupereſt. Fieri enim minimè poterit, quin præ illa reſiduæ, intactæque adhuc perfectionis immenſitate, de ſuo quantocunque profectu erubeſcat, cogatúrque cum Jeremia dicere: (*Thr. c. 3*) *Ego vir videns paupertatem meam.* Quemadmodum de ſcientia ſua palàm dixêre tum Socrates, ſapientiſſimus inter homines ætatis ſuæ habitus, qui tamen profitebatur: (*Plat. in Apol. Socr.*) Hoc unum à ſe ſciri, quod nihil ſciret; tum Salomon, celeberrimum Palæſtinæ oraculum, qui hoc de ſe teſtimonium poſteritati in Proverbiis reliquit: (*c. 30.*) *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum*: & quemadmodum communiter de ſe omnes teſtantur, qui doctrina, & virtute ante alios excellunt: quos videmus, quantò in utraque ampliùs profecerint, tantò de progreſſibus ſuis ſibi minùs placere, meliúſque intelligere, quàm exiles ii ſint, præ nondum emenſis, nec emetiendis unquam ſpatiis, quà ulteriùs, ulteriúſque in infinitum progredi licet. Similiter ac, qui editi montis cacumen conſcendit, tunc agnoſcere incipit, quàm longè à cælo abſit, quod antea, dum in plano verſaretur, ſibi videba-

tur tacturus, ùt primùm eò conscendisset. Quamobrem, qui de sua quapiam seu naturali, seu morali perfectione contentus foret, tanquam si abunde locuples foret, hac ipsa opulentiæ suæ persuasione sese inopem prodoret, nec alio argumento opus esset, ut jure ad eum posset transferri amara illa in Apocalypsi Præsulis Laodiceni objurgatio: *Dicis, quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* (c. 3.)

10. Nihil tamen majori adjumento illi fuerit, ad subtrahendum vanæ existimationi sui pabulum, eámque penitùs ex mente exturbandam, imò & impossibilem sibi reddendam: quàm si probè intelligat, & firmissime sibi persuadeat, quidquid boni in censu suo habet, sive exiguum, sive magnum tandem sit; non esse aliquid suum, hoc est proprio sibi viribus partum, sed totum rem DEI esse, ex cujus gratuita liberalitate & primò illud accepit, & habere nunc pergit. Cùm enim nemo existimari mereatur ob aliena, sed ob sua tantùm bona, ex prædicta veritate apertissimè colliget, quamvis ipse oraculum doctrinæ, prodigium eloquentiæ, sanctitatis exemplar, absolutissimúmque esset perfectionum

num omnium inter reliquos homines diversarum compendium; quia tamen nulla ex hisce prærogativis proprium quid ipsius est, nihilo sibi adesse plus causæ, cur propter tam amplam earum possessionem magni se faciat, quàm si nudus ab iis penitùs foret; juxta evidentissimum illud D. Pauli enthymema: (1. *ad Cor.* 4.) *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quocirca, cui certò id constet, penitúsque infixum menti habeat, nulla ille alia re indiget ad præclaram sui æstimationem omnino abolendam: neque ultrà opus jam habet, juxta industrias, & artes paulò antè à nobis propositas, sive mentis oculos à suis prærogativis avertere, sive easdem solerti ratiocinatione extenuatum ire: sed & in ipsa, quantæcunque earum magnitudinis contemplatione, perget se (qualis duntaxat à se ipso est) abjectissimi locò nihili ducere: non aliter scilicet ornamenta illa à DEO sibi superaddita intuens, quàm ut imperatoriam chlamydem è paxillo ligneo suspensam: cujus gratiâ nil paxillus majoris pretii adipiscitur, neque ullum se jactandi jus habet. Atque hinc sanctissima DEI Parens Maria, quamvis singularem congestorum ab eo in se munerum ex-

cellentiam, paratâmque sibi idcirco posteritatis totius venerationem optimè nôsset, prout hæc prophetici ejus hymni verba ostendunt: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens est;* nullam tamen ex notitia hujuscemodi æstimationem sui hausit, nec se ipsam propterea, sed Dominum solummodo magnificavit, qui gratuito munificentissimæ bonitatis intuitu *suæ ancillæ humilitatem respexerat*: limpidissimo æris speculo similis, quod solis radiis perfusum, eos illico omnes, nè minima quidem lucis scintilla sibi usurpata, in authorem reflectit.

11. Et sanè, quòd nullum homo ex suis bonis à se ipso, pérque propriam virtutem habeat, sed omnia DEO accepta debeat referre, veritas est, quæ à nemine possit in dubium vocari: tum quia, juxta D. Anselmi argumentum, cùm homo suam à se ipso essentiam non habeat, multò minùs habere à se ipso potest suæ essentiæ ornamenta: (*De Casu Diab. c.* 1.) *Quod se ipsum à se non habet, quomodo aliquid à se habet?* tum propter distinctissima, quæ in sacrarum Literarum monumentis occurrunt, testimonia. Cujusmodi sunt sive hæc D. Pauli: *Gratiâ DEI sum id, quod*

quòd sum. Quid habes, quod non accepisti? Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat DEUS. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex* DEO *est.* DEUS *est, qui operatur in nobis velle, & perficere*; sive illud D. Jacobi Apostoli: (*c. 1.*) *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*; sive illa denique ab ipsomet Dei Filio edita, quando & discipulos suos monuit: (*Joa. 15.*) *Sinè me nihil potestis facere*; & de se ipso, quatenus homo erat, professus est: *Non possum à me ipso facere quidquam.* (*Joa. 5.*)

12. Stabilita porrò, & extra controversiam posita hac veritate, legitimo ratiocinationis progressu ex ea sequitur, neminem inter homines esse, qui aut ullum ex suis bonis intueri possit ceu proprium, aut illud ceu tale non intuens, plùs de illo gloriari, quàm si expers omnino illius foret. Et, quantùm ad bona, quæ per meram DEI largitatem, & sinè ulla operatione sua habet, qualia naturales quævis prærogativæ, & plurima cælestis gloriæ sunt dona, meridiana luce clariùs id patet: quemadmodum meridiana manifestius est luce, neminem, eò quòd Aristotelis,

vel D. Thomæ opera domi suæ habeat, comprehensam iis doctrinam meritò posse, quasi suam intueri, déque illa sibi plaudere, & plausus aliorum captare. Præsertim quòd dona hujus generis ità DEUS largitur; ut eorum dominium sibi uni retineat, & tantummodo usum fructum homini indulgeat, neque hunc ipsum perpetuum, & certum, sed qui nullo non temporis puncto abrogari pro voluntate ipsius queat. Quapropter, cùm nemo justam habeat gloriandi causam de bonis usquequaque alienis, hoc est, quorum non ipse, verùm alter quispiam sit author, & Dominus; quemadmodum certissimè constat, non hominem, sed DEUM hujusmodi bonorum esse authorem, & Dominum; sic certissimè hinc sequitur, nullam homini justam causam suppetere, cur ea in rerum suarum censu connumeret, cúrque honorem ex illis sibi potiùs usurpet, quàm DEO uni, cujus tantummodo sunt, totum relinquat: ac proinde, qui magnum se illorum ergô, & præclarum existimaret, facturum rem hominis, prout Apostolus scripsit, seducentis se ipsum. *Si quis*, ait ille, *se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit*; imò rem hominis, prout Senecæ visum est, longè stultissimi. (Ep. 74.)

74.) *Quid enim ſtultius, quàm aliquem eo ſibi placere, quod ipſe non fecit? Utamur illis, non gloriemur.* Neque mihi objiciatur, ingenio, eloquentia, & id genus aliis naturæ dotibus condecorari, & illuſtriorem reddi hominem, cui illæ contigerint. Nego enim, quidquid ad condecorandum ſe habentem valeat, valere itidem ad merendum illi æſtimationis, honoríſque incrementum, ſi cæteroqui aliena omnino res ſit, & ad quam nihil ipſe pro virili ſua parte contulerit. Quemadmodum diadema, & paludamentum regale, ſi fictæ ſtatuæ ſuperponantur, exornant procul dubio, & pulchriorem viſu illam reddunt: nec tamen, qui delectatur ſplendidiori illa ejus ſpecie, pluris quoque idcirco eam facit, adeò ut marmoreis, vel æneis ſimulacris æquiparet, ínque majori habeat, quàm ligneæ imaginis pretio.

13. Quòd verò de alio etiam bonorum genere, ad quæ homo ſui aliquid confert, ceu ſunt actus, habitúſque virtutum, idem ſit proportionaliter dicendum, nimirum nè hæc quidem juſtam illi rationem præbere, ſeſe de illis tanquam de re propria efferendi, & jactandi, planum cuivis cognitu eſt: nam quæ tandem pars illa eſt, quæ propriè ad ipſum per-

pertiner? Talis profectò, támque parùm distans à nihilo, ut ridiculum videatur, quemquam de illa gloriari, & velle, ut illius causâ rectè factorum laus sibi adscribatur. Quóque id luculentiùs pateat, fingamus, hominem incurabili morbo laborantem, & desperatæ omnino salutis, novi alicujus excogitari à medico pharmaci ope, integram sanitatem recipere: sive puerum pingendi penitùs ignarum, Apelle aliquo ipsius manum moderante, egregiam conformare, omnibúsque suis numeris absolutam imaginem. In utroque certè horum effectuum tam ægrotus, quàm puer nonnihil sui habent. Si enim detrectâssent, aut prior propinatam à medico salutiferam potionem sumere; aut alter diligendam magistro manum præbere, neque ille suo è morbo emersisset incolumis, neque hic vel unicam ex præscripto artis lineam in tela duxisset. Quæro jam, num ob tantillum momenti, quod contribuere ad effectum, justam rationem habeant sese extollendi, proque authoribus illius venditandi: prædicantes, alter quidem: ego eventu tam miro depositam mihi incolumitatem restitui; alter verò: meum hæc tam absolutæ artis pictura opus est? Minimè equidem gentium. Et si for-

fortè ità ineptirent, nemini non audientium deridiculo essent, & qro plausibus sibila, sannásque referrent. Totum quippe illius curationis, & picturæ decus in solerti inventione occulti remedii, ínque penicilli artificiosè tractandi peritia consisteret, quorum neutrum ad eos pertineret; non autem in mero pharmaci hausru, ínque patiendo artis alienæ ductu, rebus cuivis è vulgo factu obviis, & quas solummodo ipsi possent sibi arrogare. Quid ergo? Nónne hoc ipsum in præsenti re nostra palàm licet agnoscere? Nempe, si quodlibet Christianæ virtutis opus ad æstimationem vocemus, totam illius efficiendi vim, & facultatem à DEO tantùm eam gratis largiente proficisci intuebimur: neque hominem, dum recti quid facit, aliud quidquam præstare, nisi quòd oblatis à Deo auxiliis uti non renuit: sed prædictorum, ægroti, puerique instar, libero illi assensu curandum, & rite dirigendum se præbet: imò neque ad liberum hunc assensum, quem saltèm prædicti, ægrotus, & puer per se ipsos, & sinè ulla alienæ opis indigentia exhibere possent, idoneas ipsi vires à se uno, & citra divinæ gratiæ auxilium suppetere. Cúmque se ità res habeant, ratione hujus minimæ partis,

tis, quam ſolam in ſupernaturali opere agnoſcere poteſt ùt ſuam, imò quæ ipſa etiam munus, & opus adjuvantis DEI eſt, quis volet criſtas attollere, faſtuoſóque vultu patratum à ſe opus intueri, & de illius effectione ſibi potiùs gloriam vindicare, quàm DEO grates rependere? *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea?* (*Iſai. c. 10.*) Ah nè, quæſo, nè ità, ſi quid pudoris in fronte, ſi quid rationis in animo eſt: ſed illorum potiùs viginti quatuor Seniorum exemplo, qui, ùt in Apocalyſi habetur, (*c. 4.*) *Mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes: dignus es, Domine DEUS noſter, accipere gloriam, & honorem;* proſternat ipſe quoque ante ſupremi bonorum Largitoris pedes, tanquam liberale ipſius donum, quidquid in ſe agnoſcit virtutis, dicens cum Iſaia: (*c. 26.*) *Omnia opera noſtra operatus es nobis.* Tuum eſt Domine, quidquid boni egi, neque circa illius effectionem aliud ego, quàm liberum, & non contumax inſtrumentum fui. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* (*L. 1. Paral. c. 29. Pſ. 113.*)

14. Adde, quòd hoc ipſum tam exiguum, quod homo ad ſupernaturales virtutum actus

actus pro virili sua parte contribuit, non rejiciendo, quam DEUS sibi offert opem, neque repugnando illius amicis impulsibus, haudquaquam gratuita liberalitas, sed debiti vectigalis pensitatio est. Cùm nihil à nobis fieri in obsequium DEI possit, quod non ei tanquam nostræ servitutis tributum, vel tanquam justa responsio pro incomparabilibus ejus beneficiis debeatur. Quapropter, ceu qui creditori debitam pecuniam solvit, nullam idcirco occasionem habet, gloriandi apud ipsum, laudémque, & gratiarum actiones ab ipso expectandi, tanquam si gratuito illum munere sibi obligâsset: quin imò, si non totum, quod debebat, ei reddidit, habet, unde erubescat, & cur oret veniam, séque excuset de reliquo argento, quod ad plenam solutionis summam etiamnum deest; ità cùm nos DEO totius nostræ essentiæ, omniúmque nostrarum facultatum, & operationum debitores simus, quantumvis multa, & egregia in ipsius obsequium fecerimus, tantum abest, ut contenti remanere, & glorioси possimus, etsi opera illa aliquid nostrum forent, nostræque unius virtutis effectus; ut potiùs videntes, quàm penè nihil omnia sint, præ tantò majori nostrarum obligationum summa,

ma, vultu dejecto, & humili verecundia suffuso debeamus fateri: *Servi inutiles sumus*, & nè id quidem, *quod debuimus facere, fecimus*. Præsertim quòd hæc ipsa tam curta cæteroqui solutio, quemadmodum minimè à nobis fieri potest sinè prævenientis, & concomitantis divinæ gratiæ adjutorio; sic novum est DEI erga nos beneficium, & novum proin ad priora additum nomen, quo ipsi arctiùs obstringimur: utpote creditori, *cui*, miro quodam modo (secundùm acutam, sed æquè solidam Cassiani observationem) *hoc ipso debetur amplius, quò magis solvitur.* (Coll. 24. c. 1.) Unde fas est cuivis colligere, æquámne habeat gloriandi, an veriùs erubescendi de suis bonis operibus causam, qui neque illa efficere per se ipsum, & propriis viribus potest, neque illa efficiendo, nisì minimam DEO sui debiti partem persolvit; neque aliter hoc ipsum præstat, quàm ità, ut debiti summam augeat veriùs solvendo, quàm minuat.

15. Hasce igitur certissimas veritates iterum, iterúmque à nobis ruminari par est, ut quedũ perfectè easdẽ menti imprimamus. Id enim ubi evenerit, nulla jam seu naturalium, seu supernaturalium decorum excellentia ad nos vano fastu, & magnifica nostri opinione in-

inflandos valebit: sed ubique distinguemus inter id, quod merè à nobis, intérque id, quod ex benignitate DEI sumus, hoc justo in pretio, illud autem pro verissimo nihilo habentes: adeò ut, etiamsi quotquot in terris sunt homines, conspirarent, ad nos ob egregias nostras dotes, & illustria facinora effusissimis laudibus decorandos, inque cælum tollendos vel tunc nihilominus in eadem nostri despicientia perstaremus immobiles. Qualem Apostolorum Acta testantur D. Petrum fuisse, post gradiendi facultatem claudo impertitam, qui ad templi fores jacebat mendicans. Neque enim quidquam sibi sumpsit de honore, quē attonita populi multitudo ipsi exhibebat, ceu authori tam insolentis prodigii. Sed circumfusas, mirantésque turbas conatus est à concepta sui æstimatione deducere, dicens illis: (c. 4.) *Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?* pergénsque porrò ostendere, haud aliud se in eo facto fuisse, quàm merum divinæ virtutis instrumentum, unius dignæ exaltari in omnibus, quæ per homines facit.

16. Video quidem, actuosam, & efficacem hujus veritatis notitiam rem esse non

passim, & in omnibus reperiri obviam: quin imò paucos admodum existere etiam spiritualium virorum, & disertè fatentium, nihil hominem boni à se ipso habere, qui licèt à generatim loquantur, & sentiant, si tamen deinde eximii aliquid decoris in se advertant, illiúsque causâ ab aliis honorari se sentiant, obliterata saltèm quantùm ad se ipsos generalis illius veri specie, non æquè propemodum sibi placeant, séque extollant in sua mente, & cæteris præferant; ac si certò existimarent, decus illud rem suam propriam suis viribus partam esse. Sed enimvero, qui altè imbutus est universali illo cujuslibet existimationis propriæ odio, quod suprà primum esse humilitatis actum, & necessarium reliquorum omnium fundamentum statuimus, facile huic factu erit, ut practicè, & in particulari quavis materia intelligat, quidquid boni in se apparet, eleemosynam esse, à divina benignitate sibi impertitam, nihilque causæ esse, cur se accipientem magnificiat, sed cui duntaxat largienti DEO debitorem se agnoscat. Nam quò propendet affectus, eodèm judicium quoque ferri consuevit; & juxta Angelici Doctoris effatum: (2. 2. qu. 162. a. 3. ad 2.) *Quod quis vehementer desiderat, fa-*

cit-

citè credit. Quapropter ceu ſuperbus, cùm nihil flagrantiùs præclara æſtimatione ſui appetat, facillimè pro vero accipit, aſſiduéque præſens menti habet, quidquid illa dignum ſe probat; ſic verè, atque ex animo humilis, cùm eandem acerrimè oderit, & excluſam à ſe penitùs velit, nullo labore indiget, ut veritatem prædictam, quæ huic voto ſuo favet, firmiſſimè ſibi perſuadeat, & ſub expreſſa, & vivida ſpecie continenter præ oculis gerat.

CAPUT XXVII.

Perfectum DEI amorem exigere, ut non modò vanam omnem noſtri exiſtimationem penitùs à mente ablegemus; ſed etiam ſtudeamus quàm abjectiſſimè de nobis ſentire, omniúmque nos mortalium contemptiſſimos ducere.

PArùm tamen eſt perfectæ humilitatis ſtudioſo, magnificam ſui exiſtimationem odiſſe, omnibúſque modis proſcriptum ex animo ire, avertendo nempe oculos à præclaris ſuis dotibus, earundem pretium idoneis

considerationibus apud se extenuando, illâsque locò rei alienæ veriùs, quàm propriæ ducendo; quò hunc finem facilius, pleniúsque assequatur, debet præterea in partem exilimationi propriæ oppositam ferri, contendens vice ipsius, quantam potest, sui despicientiâ in se ipso excitare, suámque vilitatem sæpe sibi ante oculos ponere, & solerti consideratione perpendere, quod tertium est humilitatis exercitium, duobus jam tractatis addendum. Exercitium, non diffiteor, innato hominibus erga propriam excellentiam amori gustu acidum, quódque etiam spiritualium virorum non pauci facilè omittunt, avertentes in quotidiana meditatione oculos ab eorum intuitu, unde viles sibi ipsis, spernendique apparerent, qualia sunt vitia, & peccata, gaudentéque illos potiùs defigere in objecta visu jucundiora, putà in virtutum decorem, in sempiternam Cælituum felicitatem, inque immensam DEI magnitudinem. At non ità illi etiam, qui, ut DEUM ament perfectiùs, student se ipsos, quantùm maximè possunt, deprimere. Hi siquidem, tum ratione propensionis à DEO semper ostensæ, eos impensiùs amandi, & fovendi, qui contemptiores sibi ipsis sunt, tum propter alias maximi momen-

menti utilitates, quæ homini ex propriæ vilitatis contemplatione proveniunt, tum hæc ipsa de causa, quòd ejusmodi contemplatio perquam invisa amori proprio sit, neque animam sibi placere, & se ipsa delectari inaniter sinat, cogens ità illam quodammodo, non aliunde, quàm ex DEO voluptatem capere; hisce omnibus, inquam, de causis suarum miseriarum considerationem charissimam habent, libentérque in ea detinent mentem, & subinde à divinis perfectionibus secum reputandis ad eam revertuntur; quales olim Jacob Angelos per mysticam scalam jam DEUM versùs supremo illius vertici innixum ascendentes, jam ab eo terram versùs descendentes aspexit. (*Gen.* 28.)

2. Unde etiam planũ fit, quàm verè D. Teresia scripse it: (*It. Perf. c.* 39.) ab humilitate, quantumcunque ingens ea sit, minimè inquietari, perturbaríque animam, sed dilatari potiùs, & robore augeri: adeo ut, licèt quis intimè agnoscat, se perpetua meruisse inferorum supplicia, dignúmque omnium contemptu, & abominatione esse, si tamen verè humilis sit, plurimum suavitatis, & quietis in illa sui displicentia reperiat. Plana, inquam, & perspici facilis sententiæ hujus veritas; esto

quippe vanis propriæ excellentiæ amatoribus nequeat non ingratum accidere, triſtitiámque, & perturbationem afferre, ſi miſeros, imperfectos, & contemptu dignos ſe aſpiciant, iis tamen, qui omnem ſui æſtimationem odêre, nihílque optant, & ſtudent magis, quàm eam penitùs in ſe ipſis exſcindere; fieri non poteſt, quin ejuſmodi aſpectus, utpote ad deſiderii ſui aſſecutionem conducens, jucundus apprime, & delectabilis ſit. Idque ipſum cæleſti confirmatur doctrina, qua D. Ignatius Loyola Seraphicam Virginem Mariam Magdalenam de Pazzis inſtruxit: raptæ extra ſenſus intuendum ſe præbens, interque alia de humilitate documenta definiens, nihil eam aliud eſſe, nisì *continuam ſui nihili agnitionem continuúmque itèm gaudium de iis omnibus, quæ hominem poſſunt ad ſui deſpicientiam inducere.* (*Bartol. in Vit. S. Ign. L. 4. n. 5.*) Quocirca, qui propriæ vilitatis conſiderationem moleſtam, ingratámque experitur, nequit indè aliud colligere, quàm ſuam ſolidæ humilitatis inopiam. Si enim verè hac præditus foret, veluti gauderet in viliſſima æſtimatione apud ſe eſſe, ſic non poſſet non charum habere, quidquid valet, ad hanc de ſe æſtimationem in ipſius mente excitandam.

3. De-

3. Descendendo jam ad praxim exercitii adeò cuilibet necessarii, qui perfectam humilitatem desiderat, oportebit hunc sæpe sibi ob oculos ponere suas illas tum naturales, tum morales miserias, quarum causâ vili potest, ac fœdus sibi ipsi apparere: juxta exemplum D. Franisci Borgiæ, qui & ante religiosam professionem, cúmque etiamnũ Gandiensis Dux esset, quotidie primas duas commentationis suæ horas in considerationibus transigebat, quæ ad despicientiam sui facerent. Quòd si cuperet aliquantò enucleatiùs designari sibi materiam, circa quam iñoretur, en illan præcipua dispertitam in capita. Consideret primò summam aspernationem, quæ ei debetur ratione sui generis: quatenus nempe est ens creatum, ex nihili tenebris, in quibus per totam retro æternitatem jacuerat, gratuita prorsus DEI miseratione in lucem existentiæ productum: neque per se ipsum potens, sive ad temporis punctum subsistere, sive quidpiam boni habere: sed veluti alienæ benignitati debitor omnium, quæ habet; sic eâdem assiduè indigens, tum ad conservationem eorum, quæ accepit, tum ad acquisitionem eorum, quæ in dies, & horas sibi necessaria sunt. Unde magis expres-

ſam, & ſenſibilem ſui hujuſce ſtatûs ſpeciem in animo formet; fingat ſibi hominem, qui nihil penitùs per ſe ipſum vel habeat, vel ſibi comparare poſſit, quibus ad victum, veſtitum, & reliquos vitæ uſus eget: imò nec valeat quidquam agere, non pedem humo tollere, non manum, aut caput movere, non oculos aperire, non halitum ducere, non vocem proferre, non ratiocinari, non intelligere, non alio demum ullo ex maximè neceſſariis, & promiſcuis vitæ actibus fungi, nisi pius quiſpiam amicus, tantæ illius imbecillitatis miſertus, animæ inſtar continenter illi adſit, & ad ſingula id genus officia auxiliarem operam commodet. Imaginetur, inquam, vivi hanc cadaveris ſpeciem, duo poſtea ſecum expendens, alterum: num talis homuncio gloriari unquam poſſet, faſtuoſæque cogitationis vel umbram concipere; an potiùs jacens animi, & mœrore obrutus, de tam triſti conditione ſua quereretur, ſeque velut quoddam extremæ abjectionis, & infelicitatis oſtentum non ſinè horrore ſpectaret? alterum: num ipſe pro ſua entis creati conditione poſſit minùs illo abjectus, & miſer cenſeri? Secundò huic vilitati, quam communem cæteroqui cum Angelis habet, al-

alteram ſuperaddat, quæ præterea ſibi convenit, tanquam homini, & homini antiquæ innocentiæ privilegiis exuto, proponens ſibi ob oculos hinc tot neceſſitates, morbos, caſus, labores, ærumnas, quibus obnoxium naturâ corpus eſt, nec non fœdiſſimam inutilium tot humorum colluviem, quibus etiamnum ſpirans, ac valens exuberat, multóque fœdiorem, & cogitatu ipſo horridam tabem, in quam paulò pòſt vitâ functum ſolvetur; indè mentis tenebras, voluntatis propenſionem ad mala, atque noxia, aſſiduos perduellium rationi affectuum tumultus, aliáſque hujuſmodi peſtes, quas hæreditarium primi parentis crimen ſuo animo invexit. Tertiò, poſtquam ſuam tam generis, quàm ſpeciei ratione abjectionem perſpexerit; ad contemplandam eam pergat, quæ ſingularis, & ſui unius propria eſt, obſervans, quibus ipſemet peculiariter ſcateat tum corporis, tum animi vitiis: qualia exempli gratiâ eſſe poſſent in corpore oris deformitas, membri alicujus pravitas, inconditus vocis ſonus, geſtuum, motuúmque inconcinnitas, & alia ejuſdem generis menda, quæ ſpectatoribns, ſociíſque ridiculum hominem reddunt. At, quæ ad animum pertinent, pro majori eorum nume-

ro, & diversitate è re fuerit in naturalia, & moralia partiri: ità ut, quantum ad prima, consideret in se ipso tarditatem, & confusionem ingenii, quoties seu scriptio elucubranda, seu reperienda scholasticæ quæstionis veritas est: exiguum, incertúmque judicii lumen; unde fit, ut multa inepta faciat, & dicat, quæ accuratiùs postea animadvertenti pudorem incutiunt: tenuitatem facundiæ, præ cujus inopia sæpe in loquendo hæsitat, vocibúque non satis materiæ accommodatis nititur, & mentis suæ sensus confusè, perplexéque deprompit: angustiorem mentis sphæram, quàm ut rebus magnæ molis aut pluribus simul rite concipiendis, ac dirigendis par sit; qua de causa evenit, ut plura interdum negotia, aut unum paulò operosius præ manibus habens, perturbetur, sibíque ipsi tempidano obstet, atque in fœdos sæpe errore impingat; tet icitatem in familiari consuetudine, ingeniúmque triste, & illepidum, quo secum agentibus molestiam parit, eorque à congressu suo fugat: insciti am plurimarum rerum, de quibus peritiores alii coram eo disserunt; unde cogitur aut mutus, & omnino elinguis illorum sermoni interesse; aut si tacendo ignorationem suam fateri erubescit, eandem ad-

adhuc manifestiùs prodere imperitè loquendo. Quantùm verò ad morum labes, solerti obtutu perlustret tot perversos affectus, iræ, tristitiæ, ambitionis, invidiæ, gulæ, ac libidinis, qui sæva adeò, & impotenti tyrannide animum premunt, támque turbulentos, irrationales, sordidos, & erubescendos in eo excitant motus. Præterea exiguos, aut nullos in vita spirituali progressus, inconstantiam in rectè decretis, imbecillitatem virtutis, nè leviſſimis quidem superandis difficultatibus parem, inquietudinem, dejectionémque animi ex minima quavis re adversa, remissum, atque iners bonorum operum studium, divinæ charitatis teporem, mentis aberrationem, & tædia in orando. Demum peccata seu mortifera, quorum plurimis, & fœdissimis in superiori vita se obstrinxit, seu venialia, quæ singulis diebus tam multa, cogitando, loquendo, & operando pergit committere. Omnia hæc, inquam, quæ cursim ego attigi, aliáque eodem spectantia, quæ brevitatis studio præterii, sua sibi dehonestamenta proponat, distinctéque contempletur, & suis rite momentis expendat: persuasissimum habens, longè adhuc plura, & majora illa esse, quàm sibi ob mentis hebetudinem, amorísque proprii glaucoma appareant.

4. His

4. His peractis, superest illi expresse, disertéque colligere, quàm miser, quàm vilis, quámque nullo honore, sed omni dignus contemptu sit. Adeò ut pro certo constituat, non aliam sibi, aut majorem, quàm ipsi puro puto nihilo æstimationem deberi. Cùm non aliud quidquam, præter merum nihil à se ipso habeat: & veluti hoc solummodo in tota retro æternitate fuit; ità hoc solũ esse adhuc pergeret, nisi divina liberalitas gratuitè ipsi munere ea bona contuliſſet, quibus in præsenti ornatur, & fruitur. Quæ idcirco vix ille magis sibi adscribere, & appellare sua potest, quòd ea intrà se habeat, quàm vacuum, seu nihilum, circa extremas mundi oras imaginariis suis spatiis diffusum sibi adscribere, & suum quid existimare possit rerum hanc universitatem, in medio ipsius sinu à divina omnipotentia productum. Imò ulteriùs progrediens ex prædictis capitibus colligat, æquum esse, ut ipsomet nihilo deterior em, magisque aspernandum se existimet. Cùm illud, etsi omni careat bonitate, ab omni itèm malitia sit purum: ip e verò ad negationem omnis boni non aliunde accepti immanem graviſſimorum malorum cumulum addat. Sed in primis hoc se pacto deprimere, &

& aſpernari debet, tot, támque abnormium ſcelerum causâ, quæ per omnem ſuam vitam commiſit, dicens cum Manaſſe: *Peccavi ſuper numerum arenæ maris, & non ſum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum.* Unumquodque enim illorum, cùm ratione DEI offenſi infinitæ malitiæ pondus contineat, ſatis valeret ad efficiendum, ut quiſquis illius perpetrati conſcius ſibi eſt, infra ipſummet nihilum ſeſe abjiceret, neque auderet præ pudore oculos ab humo unquam tollere, aut hominum quemquam, imò nè ipſas quidem res ſenſu vacuas intueri, veluti eas quoque omnes adversùm ſe iratas, & infeſtis vocibus clamantes: en caput infame, en proditorem nequiſſimum, en monſtrum perfidiæ, qui non eſt veritus contumeliis inceſſere ſupremum univerſitatis totius Conditorem, ac Dominum. Certè, quiſquis juſtâ lance perpendet incomparabilem vel unius DEI offenſæ malitiam, fieri minimè poterit, quin ſi meminerit, tàm multarum reum ſe fuiſſe, uſque ſub infimum profundiſſimæ humilitatis, & abjectionis centrum deſcendat: admirans, reperiri inter homines, qui dignetur ſe reſpicere, & alloqui, nedum amare, & officiis proſequi: palámque ferens nullum

non

non contumeliæ genus se commeruisse, nec licèt pessimis quibuscunque accipiatur modis, queri justè posse, tanquam si affectus injuriâ fuerit, sed debere potiùs in loco beneficii ponere, quòd homines contenti sint tam remissè, clementérque in eum animadvertere, qui toties detrudi ad inferos meruit. Cùm, quidquid mitius summo illo, æternóque cruciatu est, minus quoque improbitatis suæ merito sit. Denique immensa hìc recluditur, & fundo carens humilitatis abyssus. Quantumcunque in eam descendatur, inferiora semper spatia supersunt. Quíque animo ibi, & mente immersus degit, fieri non potest, ut superbæ cogitationi aditum præbeat, útque se aliter, quàm cùm verecundiæ, & abominationis sensu intueatur, tanquam *mundi hujus purgamentum*, & humani generis probrum. Neque locus timori est, nè legitimum in depressione sui modum excedat: sed quantumlibet de se abjectè, atque humiliter senserit, nunquam sibi tam vilis, & abominandus videbitur, quàm vel unius divinæ offensæ causâ est.

5. Nisì quòd neque hac ipsâ absoluta, & solitaria sui seorsum accepti despicientia contentus esse debeat; sed novum, & quartum ob eo

eo insuper humilitas exercitium requirit: nimirum, ut in comparatione etiam cum aliis eundem sui contemptum retineat, nemini unquam mortalium anteferre se audens, imò & omnibus inferiorem existimans. Quod humilitatis exercitium & magnus Gentium Doctor Paulus commendavit Philippensibus, volens: (c. 2.) *Ut superiores sibi invicem arbitrarentur*; & priùs illo maximus mundi Magister Christus universis sectatoribus suis commendârat, sive cùm diceret: (*Luc.* 22.) *Qui major est inter vos, fiat sicut minor*; sive cùm præcepit, ut (*Luc.* 14.) *invitati ad nuptias in novissimo loco recumberent.* Super quæ verba egregiè D. Bernardus: *Non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltèm inter novissimos eligere locum nos voluit: sed, recumbe, inquit, in novissimo loco, ut solus videlicet novissimus sedeas, téque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas.* (*S.* 37. *in Cant.*)

6. Neque est, cur formidet, nè in sese prædictum juxta modum, vel nemini anteferendo, vel omnibus posthabendo, imprudenter agat. Minimè, inquam, id formidandum est circa primam exercitationis propositæ partem. Cùm usque adeò à prudentia, & ratione non abhorreat, nemini se præfer-

ferre; ut imprudentem potiùs, & à ratione devium se ostenderet, qui secùs factitaret. Esto quippe certissimũ foret cuivis mortalium ingenio, eruditione, eloquentia, cæterísque omnibus naturæ ornamentis præstare; non tamen justam ideo causam haberem, me ullo potiorem ducendi. Cùm vel unicum crimen, quo sim aliis nocentior, plùs valeat ad me infra illos ponendum, quàm supradicta omnia decora, ad sublimiorem mihi inter illos existimationem merendam. Quare cùm minimè mihi constet, plúsne, an minùs quoquam alio in vita peccaverim; possum forsan me aliquibus in eloquentia, vel doctrina anteferre; at non etiam ullo hominum pluris absolutè æstimandum, majoríque in pretio habendum putare. Imò, quamvis nullum ego mortiferum crimen patrâssem, multáque, & gravia ab alio quopiam commissa esse scirem, neque in hoc eventu jure possem me illi anteferre, ídque ex triplici capite. Primò, quia major mea, quàm illius in superandis peccati illecebris virtus indè orta est, quòd opportuniora DEUS mihi, quàm illi cælestis suæ gratiæ impertiverit auxilia, illi nempe tantùm sufficientia, mihi verò efficacia: neque qui majoribus instructus subsidiis ho-

hostem profligavit, æquam habet causam se illo fortiorem jactandi, qui minori ope fultus eidem succubuit. Secundò, quia, si nota mihi sunt crimina ab eo olim commissa, nihil tamen certi habeo de præsenti illius animæ statu: cùm accidere potuerit, ut instar Publicani, & Magdalenæ jam resipuerit, & DEI amicitiâ potiatur: quemadmodum esse itèm potest, ut ego ab eadem per aliquod ignotũ mihi crimen exciderim, ob quod in præsens pejor eo sim. *Nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* (*Eccles. c.* 9.) Tertiò demum, quia etsi certò scirem, me in præsenti divinæ gratiæ compotem, illum verò expertem esse; incertum nihilominus remanet, quid futurum deinceps sit: num scilicet eventurum, ut ille processu temporis ad sanctiorem se vitam recipiat, ac in beata æternitate meritis mihi, & gloriâ antecellat: imò num eventurum, ut ego in divinæ gratiæ statu usque ad obitum perseverem, & cælestem gloriam secundùm qualemcunque, etiã inferiorem gradum obtineam. *Quid scis enim, ô homo!* (scribit D. Bernardus) *si unus ille, quem fortè omnium vilissimum, atque sceleratissimum reputas, melior te, mutatione dexteræ Excelsi, in*

se quidem futurus sit, in DEO *autem jam sit?* (*Serm.* 37. *in Cant.*) S. quoque Antonius Patavinus sat noverat, quantò ipse sanctiùs viveret flagitiosissimo quodam homine in Gallia: quia tamen revelatum sibi à DEO fuerat, fore, ut is postmodum è vitiorum suorum cœno emergeret, palmáque martyrii potiretur, quam ipse incassum quæsiverat, quoties obvium fortè haberet, inclinato capite, & flexo humi genu venerari eum consueverat: prout ipsi quoque aperuit, cùm impotenter aliquando excanduisset, putans eam sibi à sancto viro reverentiæ significationem, non honoris, sed irrisionis causâ exhiberi. (*Ribad. in Vita.*) Patet igitur, fas quidem interdum homini esse, ut in hac, vel illa naturali dote aliis quibusdam se præferat: at non etiam, ut ullo se alio absolutè, & omnibus hinc indè pensatis præstantiorem existimet.

7. Circa alteram partem verò, nempe judicium, quo quis omnium se nequissimum, & deterrimum credat, non inficior, posse ab aliquo per inconsultam humilitatem deliqui: imò id judicium ex genere ipso temerarium videri, hominisque proprium, qui sententiam clausis oculis ferat, & sinè convenienti cura, verum potiùs affirmandi; quàm fal-

falsum. Quare, antequam illius praxim declarem, necessarium existimo, quædam illi fundamenti instar præstruere haud dubiæ veritatis effata. Primum est, omne erroris genus malum quoddam mentis esse, in qua concipitur: sed malum, ùt docet D. Thomas, (*1. 2. qu. 12. a. 8. ad 4. & 2. 2. qu. 60. a. 4. ad 2.*) pro materia inæquale, magni nimirum momenti, cùm circa universalia; minimi verò, cùm circa singularia, & contingentia versatur. Secundum, ex erroribus, juxta D. Augustini observationem, (*Enchir. c. 17. & 19.*) alios esse, qui non solùm mentem pravitate sua inficiant; verùm etiam diversi aliquid mali erranti afferant, veluti cùm vitrum pictum quis emit, magni pretii gemmam se emere existimans: alios verò, qui præter commune mentis vitium vel nulla alia ratione homini noceant, ùt si falsum aliquod nuntium de rebus nihil ad nos pertinentibus pro vero accipimus, vel emolumenti quoque aliquid pariant, quemadmodum sibi accidisse idem sanctus Doctor refert, cùm à recto itinere aberrans insidias à Donatistis in eo sibi structas evasit. Tertium, quamvis alienum à ratione, & virtute sit, ullum erroris genus studiosè aucupari; id siquidem es-

set fictè agere, & sibi ipsi mentiri) nihilominus, ùt notat Cajetanus, (*In 2. 2. qu. 60. a. 4.*) posse hominem, si justæ adsint causæ, non modò absque culpa, verùm etiam cum laude virtutis in periculum falsò quidpiam judicandi se immittere: non quidem illum judicii errorem de industria captando, sed parùm pensi habendo, neque omni diligentia, & cautione utendo, ut illum declinet. Quartum, tunc justas id faciendi causas adesse, quando error nihil mali, præter se ipsum homini affert, & bonum ex ipso provenit, quod ipsius malo præponderet: ùt exempli gratiâ, cùm aliquis bene de omnibus sentit, eorúmque facta interpretatur in melius: aut cùm, quæcunque sui Præsides sibi imperaverint, & de se statuerint, pleno mentis consensu, tanquam opportunè, sapientérque decreta approbat. Qui licèt in utroque expræfectis judiciis errandi se periculo objiciat, dubitari tamen haud potest, quin laudabiliter utrobique operetur: in primo videlicet secundùm charitatis, ínque altero secundùm obedientiæ præscripta: secundùm quæ operari majus est bonum, quàm malum sit, quæ circa singularia illa objecta contingere mentis falsitas potest. Neque desunt gravissimi suf-

ſuffragatores, qui doctrinam hanc authoritate ſua comprobant, Angelicus ſcilicet Doctor S. Thomas, & D. Ignatius Loyola. Hic ſiquidem in percelebri ſua Epiſtola de obedientiæ virtute, poſterius judicium commendans, cùm ſtatuiſſet, intelligendi facultatem non eſſe inſtar voluntatis liberam, ſed iis ſuâpte naturâ aſſentiri, quæ veri præferunt ſpeciem, ſubdit: eam nihilominus *multis in rebus in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, poſſe voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm in illam partem inclinari: eæque res cùm incidunt, debere, quiſquis obedientiam profitetur inclinare ſe in ſententiam ſuperioris*: quod perinde eſt, ac debere ſe pluries in falſæ perſuaſionis aleam conjicere. S. verò Thomas, de priore judicio agens, (2. 2. qu. 60. a. 4. ad 1.) *Poteſt*, inquit, *contingere, quòd; qui dubia in meliorem partem interpretatur, frequentiùs fallatur. Sed melius eſt, quòd aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine; quàm ut rariùs fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono. Quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.* Idque paulò pòſt (ad 2.) adhuc meliùs declarat, & confirmat, ſubjiciens: in judicio de rebus habendam potiſſimùm eſſe veritatis, in judicio autem

tem de hominibus humanitatis præcipuè, ac benignitatis rationem. Verè ſiquidem, aut falsè judicare de rebus, non ipſarum, ſed uunius judicantis bonum, malúmve eſt: at ſi judicium de hominibus fertur, majus horum malum eſt, ſi improbi judicentur, cùm probi ſint; quàm malum judicantis, ſi fallatur judicans eos probos, cùm revera improbi ſint. Quintum, quamvìs universè loquendo prudentiùs ſit, inter plures ſententias, & rationes invicem ſibi oppoſitas, probabiliori adhærere; nihilominus circa quædam objecta, qualia ſunt modò commemorata, poſſe consultiùs operari, qui rationes minùs validas pro contrariis probabilioribus ſequitur. Cùm & D. Thomas in articulo ſuprà citato definiat: *Ubi non apparent manifeſta indicia de malo alicujus* (cujuſmodi merè probabiliora non ſunt) *debere eum, ùt bonum haberi, in melius interpretando, quod dubium eſt*: & D. Ignatius in ſua illa epiſtola ſtatuat, ad obedientiæ perfectionem ſpectare, ut ſubditus, ubicunque veritatis evidentia non obſtat, (hoc eſt, etiam ubi contrarium probabilius apparet) voluntatis vi, & pondere mentem inflectat ad ſentiendum, quod ſuperior ſuus ſentit. Sextum poſſe ex hactenus dictis unumquemque judi-

&

& prudenter cuilibet se alteri posthabere, quem non scit certò inferiorem se esse. Esto quippe id faciens falsæ opinionis periculum adeat; ea tamen falsitas malum minimi momenti est, juxta illam D. Augustini sententiam: (*In Ps. 147.*) *Quid perdo, si credo, quia bonus est*; aut etiam, prout addi potest, *quia melior me est?* Cùm altera ex parte & id credens, grande sibi lucrum per eam charitatis, humilitatísque exercitationem acquirat; & contrarium judicans, teste D. Bernardo, in graviſſimi mali discrimen incurrat. Quo super discrimine operæ pretium fuerit ipsamet S. Abbatis verba in medium afferre. (*Serm. 37. in Cant.*) *Non est ergo*, inquit ille, *periculum, quantumcunque te humilies, quantumcunque reputes minorem, quàm sis, hoc est, quàm te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendúmque periculum, si vel modicè plùs æquo te extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim, si per ostium transeas, cujus superliminare, ut ad intelligentiam loquar, nimiùm bessum sit, non nocet, quantumcunque te inclinaveris, nocet autem, si vel transversi digiti spatio, plùs quàm ostii patitur mensura, te erexeris, ità ut impingas; sic in ani-*

ma non est planè timenda quantalibet humiliatio; horrenda autem vel minima temere præsumpta erectio. Septimum, quemlibet, de cujus improbitate, & nequitia nihil certi constat, æquissimum jus habere exigendi, nè despiciatur, tanquam revera improbus, sed ut potiùs in æstimatione, & honore sit, perinde quasi vitâ, moribúsque integer foret. Octavum, interiorem sui, infra quidquid est reliquorum mortalium, dejectionem non semper, & necessariò fieri *in actu*, ùt Philosophi loquuntur, *signato*, expressam nimirum comparationem inter se, aliósque omnes instituendo, disertéque affirmando, neminem in terris reperiri, quo ipse deterior non sit: sed posse, & solere communiùs id fieri practicè, atque *in actu*, ùt dicunt, *exercito*, hoc est contemnendo se ipsum pro intima suæ improbitatis notitia, & abstinendo ab aliorum contemptu, utpote quorum flagitia comperta non habet, imò honorificè de iis sentiendo: juxta universale charitatis præscripum, ut pro insonti, & probo habeatur, quisquis aperte nequam non est. Nam, qui duos inter homines malè de uno, & bene de altero sentit, quamvis expressè non dicat, ille est hoc deterior, tacitè nihilominus, & æquivalenter.

ter id dicit. Imò, si attentiùs rem intueamur, videbimus, superbissimos quosque hominum non nisi posteriori hac, practicáque ratione se plerumque aliis sive absolutè, sive in peculiari aliqua laude anteferre: nimirum exaggeratè de se ipsis, & demissè de illis sentiendo, quos infra se ponunt, quamvis cæteroqui non affirment: ego his antecello.

8. Ut igitur præmunito sic aditu ad legitimum, & prudentem modum accedam, quo perfectæ humilitatis sectator potest, ac debet quemque sibi alium perferre. Dico primùm, in qualibet seu naturæ, seu artis, virtutísve prærogativa, si manifestè alicui non appareat, alio quopiam superiorem se esse; posse eundem justissimè, & omni procul dubio inferiorem sese illo arbitrari. Dictíque hujus ratio est cõmunis mos ille, quo innatus hominibus erga se amor propria unicuique bona veris majora, aliena verò minora, quàm re ipsa sunt, repræsentare consuevit: mos rite observatus ab Aristotele, dum scripsit: (L. 7. *Eudem. c. 5.*) *Domesticum bonum magnum videtur, utpote propinquum; alienum parvum, quia remotum.* Si enim suum illud decus, quamvis ab amore proprio ità amplificatum, in dubio tamen est, num alieno sit majus; li-

quidò hinc apparet, dicendum esse illo minus. Quemadmodum si duo corpora ego intuens, unum perspiciliis ad augendam objecti magnitudinem, alterum perspiciliis ad eandem minuendam factis; ambiguus tamen hæreo, & discernendi impos, utrùm magnitudine alteri præstet, possum indè nil dubitans illius præstantiam colligere, quod secundo genere perspiciliorum spectaverim.

9. Dico secundò, posse unumquemque, etiamsi innocentissimè, sapientissiméque vixerit, improbissimo quovis homine deteriorem, magisque aspernandum, hoc est ignaviorem, Deóque ingratiorem sinè ulla dubitatione se credere. Considerans quippe hinc præsidiorum, & munerum, quibus cumulatus à DEO est, magnitudinem; indè fructum, quos illi retribuit, tenuitatem; potestatem vividam, & perspicuam utriusque notionem mente concipere, ut omnino incredibile existimet, ullum in toto orbe terrarum reperiri hominem, qui, si paria à DEO recepisset dona, & subsidia, gravi unquam crimine illum offensurus fuisset, sed potiùs multò se perfectiùs ei serviviset. Neque profectò mihi apparet, cur quisquam certò id judicare, & statuere apud suum animum nequ-

queat, nisì quia ſupernaturalis egens luminis non ſatìs intelligit, ſeu quàm locuples frugis proventus ex tot ſibi collatis divinæ gratiæ muneribus accedente ſtrenua cultura potuiſſet exiſtere; ſeu quàm pauper, ac penè nullus per ſuam in iis colendis ignaviam extiterit. Seraphico certè Patri S. Franciſco pro ſua interioris lucis copia ità exiſtimare nullius laboris res fuit. Rogatus quippe à ſocio, quínam poſſet ſalva veritate peſſimum ſeſe omnium peſſimorum vocare? Poſſum, reſpondit, quia perſuaſiſſimum revera habeo, ſi DEUS perditiſſimo cuivis homini ea bene vivendi præſidia contuliſſet, quibus me inſtruere dignatus eſt, futurum fuiſſe, ut is longè quàm ego meliùs benignitati illius reſponderet. (*Chr. S. Fr. 1. p. L. 1. c. 68.*)

10. Dico tertiò, quamvìs nemo queat certo, & expreſſo judicio affirmare, omnes illos, qui ſibi occurrunt, inculpatæ, & laudabilis vitæ homines eſſe, poſſe nihilominus unumquemque amico quodam inſtinctu propendere ad credendum eos tales, & tales re ipſa in ſua mente concipere. Ubi enim contrarium non apparet, nulla veritatis, prudentiæque lex vetat, omniáque charitatis, imò & ipſius æquitatis jura ſuadent, bene, atque

que honorificè de proximis noſtris ſentire. Quocirca, cùm nihil mihi obſtet, quin cum merito, & laude virtutis obvium quemque ex hominibus mihi ignotis revereri, tanquam probum, & fidelem DEI famulum poſſim, legitimè hinc ſequitur, nihil etiam obſtare, quin eundem cum merito, & laude virtutis mihi poſſim præferre, de quo pro intima meorum criminum, & vitiorum conſcientia nullam habeo ità honorificè ſentiendi cauſam.

11. Dico quartò, fieri poſſe, ut quiſpiam peculiari illuſtratus DEI lumine ſua probra, & flagitia tam diſtinctè, exactéque perſpiciat, ut accedente exigua alienorum notitia, & conſideratione indubitanter tunc judicet, neminem inter homines reperiri, qui tam graviter, quàm ipſe peccaverit. Quemadmodum audire eſt interdum, nonnullos gravibus morbis, atque ærumnis exercitos; qui pro vivido, & præſenti malorum ſuorum ſenſu exclament, neminem eſſe in terris mortalem miſeriarum pondere, & dolorum atrocitate ſibi adæquandum. Qua ratione fieri potuiſſe, inquit Cornelius à Lapide, ut D. Paulus primum ſe, hoc eſt præcipuum, & maximum inter peccatores vocaverit: Chriſtum

stus JESUS *venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* (*1. ad Tim. c. 1.*)

12. Dico quintò, posse, imò etiam debere quemvis hominem, qui ad perfectæ humilitatis laudem tendit, practicè, & *in actu exercito*, prout suprà explicavi, cuilibet se posthabere, hoc est illo inferiorem, & minoris pretii putare. Certissimum siquidem est, ubi inter duos, alterum multa indigna facinora perpetrâsse, alterum verò nullâ hujusmodi infamiâ notatum esse constat, haud parem utrique in hominum æstimatione dignitatis locum deberi, sed si ambo suum tractandi juxta meritum sint, æquum esse, ut prior ille suâ infamis nequitiâ in minori, quàm alter famâ integer pretio, & honore habeatur. Quapropter, cùm nostra nobis manifesta sint scelera, consentaneum utique rationi est, ut nosmet ipsos in sceleratorum loco habeamus, & debito tali hominum generi prosequamur contemptu: at non itèm, ut erga alios, de quibus nihil nobis improbi constat, eodem sensu animi simus: sed ut de iis potiùs, tanquam de probis, atque insontibus honorificè sentiamus. Quod perinde est, atque consentaneum rationi esse, ut eos nobis saltèm

pra-

practicè anteferamus, potioréſque & ampliori honore dignos putemus. Atque hic fanè opportunior, & magìs cuique in promptu eſt, poſthabendi ſeſe omnibus, modus. Nam cæteroqui menti vim inferre, ut, quamvìs incredibilia in depreſſionem ſui credat, vel futilibus de aliorum ſanctitate, propriáque malitia commentis ad eandem ſalubriter decipiendam ſtudiosè uti; præterquam quòd artes ſint à ſincero humilitatis ingenio abhorrentes, minùs etiam fini conducunt. Cùm, qui ad judicandum ſe omnibus viliorem ea adhibet, nunquam tam ſeriò, támque penitùs talem ſe eſſe ſibi perſuadeat, quàm animæ prudenter, & ſolidè humiles: quæ nimirum per propenſionem tum ab hoſtili propriæ exiſtimationis odio, tum à fraterno cæterorum quorumvis mortalium amore ſibi inditam, non modò ſinè ullis fucis, & violentis conatibus, ſed vel minimè advertentes, infra unumquemque aliorum ſe abjiciunt.

13. Addo, inſtar coronidis, æquum profectò eſſe, ut, qui ſe ex animo deſpicit, miſerúmque, & reliquis omnibus inferiorem bona fide exiſtimat; à demiſſa hac de ſe opinione in externis vitæ actis nè diſcrepet, ſed hæc omnia ad illius normam, atque amuſſim co-

conetur exigere: & qualem se intùs credit, talem foris exhibeat; quocirca, si malè se paratum à prudentia, ab ingenio, & à doctrina arbitratur, consequens est, ut ea aliis ministeria relinquat, quæ affatim prædictarum dotium requirunt, putà gravium negotiorum procurationem, primarias præfecturas, altiores cathedras, & præcipuæ dignitatis suggestus, plenissimè approbans, quoties eximia id genus munera se neglecto aliis committi viderit: &, si fortè sibi offerantur, constanter, quantùm potest, ea renuens: neque id ad significationem modestiæ, aut ex meræ charitatis instinctu, sed quia persuasum revera habet, quemvis alium se ad illa aptiorem, imò se ineptum omnino esse. Ità quoque, si curtam esse judicii proprii mensuram agnoscit, congruit huic notitiæ, ut illud, quandocunque ambigua res est, aliorum judicio submittat, veluti sagaciorum, & qui perspicaciùs facienda discernant: neque unquam ei fidat, illúdque pro operandi regula sibi accipiat, sed suspectum in omni deliberatione habeat; ad alienum consilium, & regimen, quasi ad certius auspicium confugiens. Proprium siquidem cujusque est, cæcum se, vel luscum agnoscentis, alteri, qui oculatior sit, ma-

maligna sub luce se ducendum permittere, & circa objecta illius potiùs, quàm suis oculis fidem habere. Multò minùs porrò consentaneum eidem notitiæ est, ut esse aliorum dux velit, suísque eos consiliis dirigere, imò ut etiam rogatus facilè id officiũ recipiat; sed potiùs sequi ex ea debet, ut confugientis ad se humilitatem miretur, respondens ei, juxta sensum, & verba Præcursoris Domini ad eundem, dum baptizari à se posceret: *Ego à te debeo dirigi, & tu venis ad me?* Et sive omnino abnuat provinciam, cui parùm idoneus est, sive promat quidem, quam rogatur sententiam, sed timidè, & subdubitans, suámque ad meliora perspicienda inhabilitatem contestatus. Pari ratione, si persuasum habet, exiguæ, infirmæque virtutis se esse, persuasio isthæc requirit, ut inter operandum pro infirmo se gerat, peccatorum occasiones declinans, neque alienis ab exemplis eas adeundi animum sumens, sed fortioribus confidentiam permittens, sibi verò tanquam debili, & parùm tuto cautionem reservans. *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.* (Psal. 103.) Quid multa? Quandoquidem omnium se postremum, & infimum judicat, debet juxta suum hoc judicium ea omnia submissionis, & re-

reverentiæ ſigna exhibere, quæ ratio, & communis vitæ uſus exigit, ut ſuperioribus inferiores exhibeant : neque id vulgaris officii gratiâ, ſed ex naturali connexione inter externum, atque interiorem hominis habitum, qua fit, ut elatus apparere in aliorum oculis nequeat, qui eſt verè humilis, & abjectus in propriis.

CAPUT XXVIII.

Proprium eſſe hominis, qui perfectè DEUM amat, ut à nemine amari, & in pretio haberi, ſed omnibus potiùs contemptui, & faſtidio eſſe velit.

HActenus ità de humilitate egimus, ac ſi juxta ſenſum communem exiſtimaremus, intrinſecùs ad eam pertinere, non ſolùm ut homo ſe ipſum deſpiciat, ſed ut ab aliis itèm deſpici velit. Tempus jam eſt, id ad legitimum examen vocandi. Neque enim deſunt rationes, quæ evincere videantur contrarium, nempe humilitatem in eo totam conſiſtere, ut quis pro vili ſe habeat, ſecundùm pervul-

gatam D. Bernandi definitionem: (Tr. de Grad. Hum.) *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit*; quòd verò ab aliis item vili in pretio haberi velit, pertinere ad aliam quampiam virtutem, humilitati quidem cognatam, sed ab ea tamen distinctam. Primò, quia nulla extat definitio, utrumque prædictorum actuum unica communi ratione intrà se amplectens. Præterea, quia ubi duo actus propriam, & peculiarem singuli pervincendam habent difficultatem, produnt se ad diversas pertinere virtutes. Et tales videntur esse actus, contemnendi se ipsum, & volendi ab aliis contemni: quorum posterior difficillimus sæpe homini accidit, qui facillimè exercet priorem. Prout videre est in iis, qui præ verecundia grave aliquod scelus in Pœnitentiæ Sacramento reticent. Hi enim, quamvis nullam experiantur difficultatem, in habendo se ipsos pro sceleratis, & improbis, gravissimam tamen sentiunt in sua illa improbitate alterius notitiæ exponenda. Postremò, quia humilitas est contraria superbiæ. Ac proinde, quemadmodum hæc in vana sui æstimatione se continet, neque ad eandem æstimationem ab aliis quærendam progreditur, faciendum id relinquens cenodoxiæ, seu inā-

inani gloriæ, quæ authore D. Thoma (2. 2. qu. 162. a. 8. ad 2.) vitium est à superbia distinctum; sic videtur debere etiam humilitas in solo sui apud se contemptu subsistere, neque extendi ad eundem apud alios quærendum, sed relinquere, ut altera quæpiam virtus id agat, cujus proprium sit cenodoxiæ opponi. Alioquin unica, eadémque virtus directa, & formali oppositione duobus vitiis adversaretur: quod non accidit, nisi quantùm ad vitia, quæ in illius exuperatione, & defectu consistunt, qualia manifestum est, cenodoxiam, & superbiam respectu humilitatis non esse.

2. Quamvis porrò prædictæ rationes sat probent, sui apud alios contemptûs studium posse aliquando, ùt inferiùs videbimus, ad virtutem ab humilitate diversam spectare, non ideo etiam evincunt, tam necessariò id contingere, ut nequeat illud idem studium ex humilitatis quoque instinctu concipi, intérque propriós illius actus censeri, quemadmodum facilè ex responsis ad easdem rationes patebit. Etenim ad primam quod pertinet, superior nostra humilitatis definitio, dum eam esse affirmat, odium propriæ æstimationis, & amorem proprii contemptûs; univer-

sali illo pronomine sui æstimationem, & contemptum tam apud se, quàm apud alios sat videtur complecti. Imò, etiamsi cum S. Bernardo definiremus, humilitatem esse virtutem, per quam homo vult, & quærit vilis sibi ipsi apparere; dicendum tamen esset, hoc ipso impelli ab ea hominem, ut velit, & quærat aliis quoque vilis videri: cùm posterior hæc voluntas ex priore illa necessariò sequatur: ac proinde per illam ipsa quoque, tanquam naturalis ejus proprietas, si non expressè, at implicitè, æquivalentérque significetur. Cujus rei testes habeo primaria illa duo scholarum oracula, Aristotelem, & D. Thomam, planissimè utrumque affirmantes, honorificam aliorum de se existimationem ideo ab hominibus tam impensè appeti, quia valet ad excitandam, & confirmandam in ipsis, quæ naturaliter sapidissima cuique est, propriæ dignitatis existimationem. Audiatur prior: (L. 1. *Rhetor. c.* 11.) *Honor, & gloria,* inquit, *jucundissimorum est. Fit enim imaginatio, talem se esse: præsertim cùm ii asserant, qui non putantur mentiri. Amari etiam jucundum. Fit enim hìc quoque imaginatio, bonum inesse.* Et alibi adhuc disertiùs: (L. 8. *Ethic. c.* 8.) *Qui à probis viris, & scientibus honorem affectant, pro-*

pri-

priam opinionem de se ipsis confirmare cupiunt: gaudéntque, quòd boni sint, laudantium judicio credentes. Cui subscribit Doctor Angelicus, in eandem ipse quoque sententiam pronuntians: (1. 2. *qu.* 32. *a.* 5.) *Propter hoc homines delectantur in hoc, quòd laudantur, vel honorantur ab aliis, quia per hoc accipiunt æstimationem, in se ipsis aliquod bonum esse. Et quia ista æstimatio fortiùs generatur ex testimonio bonorum, vel sapientum; ideo in horum laudibus, & honoribus homines magìs delectantur. Et quia amor est alicujus boni, & admiratio est alicujus magni; ideo amari, & in admiratione haberi est delectabile: in quantum per hoc fit homini æstimatio propriæ bonitatis, vel magnitudinis, in quibus aliquis delectatur.* Quapropter, si secundùm hosce tam eximios Doctores, ideo glorioſi esse in aliorum æstimatione homines cupiunt, quia indè glorioſi quoque in sua fiunt; necesse profectò est, ut, qui hanc odit domesticam gloriam, externam quoque illam pari odio aversetur: ac proinde, dum humilitas dicitur nos impellere, ut studeamus viles, contemptíque nobis videri; per hoc satìs innuitur, eandem nos impellere, ut ab aliis itèm tales existimari velimus.

3. Neque objicias, delectari sæpe homines laudibus, quanquam evidenter falsis, quæque nullam meliorem de se ipsis opinionem excitare in eorum mentibus possunt: ut exempli gratiâ nonnullos hypocritas, sceleratissimos cæteroqui homines, sed impostoris, & præstigiis eximiæ sanctitatis laudem vulgo assecutos. Qui, licèt indignitatis suæ optimè conscii, de illa tamen externa sui æstimatione, merè propter ipsam, & insitam ipsi dulcedinem gaudent. Respondetur siquidem, illam populi famam, quamvis nequeat efficere, ut prædicti homines sibi persuadeant, meliores se esse; efficere tamen, ut aversa subinde à flagitiis suis mente, splendidis imaginationibus ludificent se ipsos, &, veluti in somnio fieri solet, appareant sibi, non quales revera in se sunt, sed sub alia venerabili, & magnifica specie, quales nimirum esse aliis per errorem videntur: ex qua identidem obvia suæ dignitatis repræsentatione, cùm non parùm delectationis, quamvis nullo eam certo judicio approbantes percipiant: indè fieri, ut hujus effectûs gratiâ, externam illam gloriam quærant, amèntque. Respondeti etiam potest: uti amor erga aliquem efficit, ut illius quoque imagines amentur, &,

quæ-

quando ille abeſt, quoddam veluti illius ſupplementum, quærantur; ſic homines ſupradictos intueri honorifica aliorum de ipſis judicia, tanquam ficta quædam ſimulacra illius veri judicii, quod de propria excellentia vellent intrà ſe habere: & ab hujus amore incitantur, ut illa ament; &, quoniam hoc frui nequeunt, illa ſaltèm ejus locò requirant. Ex innata igitur cuilibet cupiditate propriæ de ſe ipſo æſtimationis, tanquam ex propria, & naturali cauſa oritur ejuſdem apud alios æſtimationis cupiditas, ſeu quia præclarum de ſe aliorum judicium, nisì evidenter falſum ſit, ſimilis de ſe ipſo judicii in mente excitandi, confirmandíque vim habet; ſive quia, ſi propter manifeſtam ſuam falſitatem efficere id nequeat, imaginarium eſt ſaltèm, neque parùm vel ſic delectabile, domeſtici judicii illius ſupplementum: certum proinde remanet, quod ſuprà affirmavi, ſi ad humilitatem ſpectet propriam ſui æſtimationem odiſſe, non poſſe ad eandem non alienæ itèm de ſe æſtimationis odium ſpectare.

4. Quin imò ſoluta etiam hinc remanet, quæ ſecundo loco allata in contrarium eſt, ratio; cùm ex hactenus diſputatis appareat, eandem difficultatem utrique actui vincendam

esse, sive qui apud se, sive qui apud alios in præclara æstimatione esse odit: nullique, qui satis animo comparatus sit, ad priorem promptè exercendum, difficilem esse alterius exercitationem posse. Quòd si aliqui arcanorum sibi scelerum conscii, facillimum experiuntur, improbos juxta illa se agnoscere, útque tales despicere, qui tamen summa vi, extremóque conatu indigerent, ad eandem suæ improbitatis notitiam, & despicientiam illorum publicatione apud alios quærendam; exemplum nullo modo ad rem facit: aliud quippe est abjectam de se opinionem in animo habere, quod, ùt supra ostendi, ad virtutem humilitatis non sufficit, neque ideo facilitatem confert volendi, ut cæteri quoque similem de se opinionem habeant: & aliud, abjectam suæ mentis de se ipso opinionem studiosè aucupari, quod veræ humilitatis est proprium, quódque quisquis facile sibi rediderit, facilè itèm experietur, velle, & curare, ut cæteri quique hominum suam vilitatem agnoscant, ínque eodem, quo ipse, contemptu se habeant.

5. Quantùm verò ad postremam rationem, nego ex natura vitiorum esse, ut eorum quodlibet certam quampiam, & peculiarem

ārem habeat ſibi uni contrariam virtutem; unde nequeat humilitas tam ſuperbiæ, quàm cenodoxiæ, vel inani gloriæ adverſari. Quòque confidentiùs id negem, animos mihi D. Thomas facit, expreſsè, diſertéque oppoſitum docens, dum ſcripſit: *Dicendum, quod uni virtuti multa vitia opponuntur, ſecundùm diverſos ejus actus.* (2. 2. qu. 29. a. 4. ad 5.)

6. Nihilominus, admiſſa diſtinctione inter cenodoxiam, & ſuperbiam, fatendum neceſſariò eſt, honorificam de nobis aliorum æſtimationem, licèt vim habeat efficiendi, ut nos itidem honorificè ſentiamus de nobis, effectúſque hujus causâ expeti ab hominibus ſoleat; poſſe tamen vel ſeorſim ab hujuſmodi effectu amari, & placere, aliqua alia de cauſa, nimirum propter delectationem, quam vel merè ſecundum ſe ipſam conſiderata animo parit. Neceſſariò, inquam, fatendum id eſt: nam alioquin peculiaris quilibet honorificæ apud alios æſtimationis appetitus, quemadmodum nihil aliud, nisi honorificam hominis de ſe ipſo æſtimationem ſpectaret, ſic non nisi hujus amor, & appetitus, hoc eſt meræ, & formalis ſuperbiæ actus foret; cúmque nunquam illa appeteretur, nisi per actus ad ſuperbiam ſpectantes; nullum exiſteret

distinctum ab hac vitium, cujus proprium est. set, ceu proprium cenodoxiæ est, præclaram de se hominum æstimationem appetere. Admisso autem, quòd nostra hujusmodi apud alios æstimatio vel per se ipsam, & seorsum à vi, alteram similem in mente excitandi, placere, & appeti possit; necessariò hinc consequitur, posse quoque eandem odio haberi, per se ipsam, & sinè ullo respectu alterius similis, quam in mente excitare consuevit. Ut rem totam breviter definiam, exterior nostra apud homines gloria amari, odióque haberi potest, seu ratione interioris gloriæ, quæ indè nobis apud nos provenit; seu jucunditatis respectu, quam vel sola, & seorsum ab effectu illo affert. Prima de causa eam amare non cenodoxiæ, sed superbiæ, odisse autem solius humilitatis est actus. At, si secunda ametur, vel odio habeatur de causa; nullus ibi est superbiæ, nullus humilitati locus: sed illius amor cenodoxiæ uni convenit; odium verò ad virtutem pertinet, cenodoxiæ speciatim oppositam, & sinè certo adhuc nomine, in genere mortificationis interioris comprehensam.

7. Atque hæc dicta sint episodii, non necessarii potiùs, quàm otiosi, & inutilis loco,

ut germana humilitatis notio extra ambages, quibus passim involvitur, quoad ejus fieri poterat, perspicua, & distincta appareret. Cæterùm, utcunque se res habeat, & quo tandem nomine, humilitatísne, an mortificationis, an alterius cujuspiam virtutis insigniri debeat nostræ apud homines existimationis, gloriæque odium, pro minimo habent, ac sua nîl referre arbitrantur, qui sôlam illius praxim requirunt; quæ qualis esse, & quibus de causis suscipi debeat, tractare ego jam pergam: humanæ gloriæ odio humanæ itèm benevolentiæ odium comprehendens, ratione naturalis nexûs, quo ambæ inter se colligantur. Cùm, juxta paulò antè citatam Aristotelis, & D. Thomæ doctrinam, vel unica, vel princeps causa delectationis, quam ex aliorum erga nos amore percipimus, sit, quia indè apparet, eximii aliquid eos in nobis agnoscere, cujus gratiâ in pretio nos habent, & suâ dignos benevolentiâ arbitrantur.

8. Quantùm ergo ad exercitationis hujus causas, cùm in præsenti opere propositum mihi sit, non aliunde ad quidvis volendum, agendúmque illas sumere, quàm ex DEO, nempe ex studio usquequaque ei placendi, & quàm perfectissimè eum amandi; nulla re alia

lia opus habeo, nisi ut demonstrem, quantùm ejusmodi studio humanæ æstimationis, gloriæque amor repugnet; si enim id constiterit, cuilibet animæ, quæ perfectè amare DEUM cupit, validissimi instar stimuli erit, ad suam omnino inter homines & fugiendam gloriam, & contemptum quærendum. Neque ardua demonstratu res est; sive enim hominum æstimatio, & benevolentia appetitur, ex instinctu proprio superbiæ, quatenus scilicet præclaram in nobis nostri æstimationem producit, nemo non videt, hunc illius appetitum tam DEO injuriosum, perfectóque ejus amori repugnantem esse, quàm ipsamet superbia, hoc est nostræ apud nos æstimationis amor sit: vel enim affectatur per cenodoxiam, ratione nimirum voluptatis, quam finè ullo etiam suo effectu afferre per se ipsam consuevit, & facilè apparet, quantùm hujusmodi ejus studium divinæ charitati adversetur: tum quia vehementi suæ dulcedinis sensu totam penè animam occupat, non sinens proinde, ut DEUM unum quærat, DEO uni vacet, DEO uno fruatur: tum quia vellet respectu sui ipsius honorari, & amari perinde est, juxta Guigonis Carthusiani sententiam: (c. 8.) ac ex adverso DEI aram sibi po-

ne-

nere, rivalem ipsius fieri, & furto sacrilego hominum mentes, voluntatésque surripere illi velle: volendo, ut ab illius contemplatione, admiratione, & amore ad se potiùs contemplandum, admirandum, & amandum vertantur: tum demum, quia neminem fugit, quot divini famulatûs obstacula, imò quot, quámque abnormes DEI offensæ ex inordinato hoc affectu oriantur. Cùm nullum ferè occurrat tam extremi sceleris genus, ad quod plurimi ab honoris, gloriæque cupiditate, vel infamiæ, ac dedecoris metu non quotidie impellantur. *Diligunt enim* (ùt in suo Euangelio scribit D. Joannes) *gloriam hominum magis, quàm gloriam* DEI. (*c. 12.*) Satísque esto, execratissimum omnium, quæ unquam post homines natos perpetrata sunt, facinus mortem nempe ipsimet vitæ authori, & DEI Filio illatam hinc ortum duxisse. Cùm neque pharisæi aliunde moti sint ad eam nefaria conspiratione urgendam, quàm retinendæ dignitatis curâ, & quòd diutiùs ferre hypocrisis suæ objurgatorem non possent; neque præses Romanus aliam habuerit decernendæ illius causam, nisì quòd Judæis satisfacere, & haberi amicus Cæsaris vellet. Quare D. Paulus inter studia hominibus gratifican-

candi, & DEO serviendi, naturale dissidium agnoscit, scribens de se Galatis: (c. 1.) *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et Christus Dominus humanæ appetentiam gloriæ, non charitatis modò, sed ipsius etiam divinæ fidei impedimentum vocavit, dicens Judæis: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo DEO est, non quæritis?* (Joa. c. 5.)

9. En igitur causas, unde, qui perfectè amare DEUM cupit, incitari consuevit, ut omnem sui apud homines & gloriam refugiat, & despicientiam perquirat, Ille fixum penitùs, & deliberatum apud se habet, nullo in re DEO displicere, imò, quod ei maximè gratum sit, ubique sectari, neque ullum in suo animo affectum ferre, qui ab ipso non proficiscatur, & ad ipsum non tendat. Jam verò palàm perspicit, humanæ laudis, gratiæque appetitum non modò ex DEI amore non proficisci, sed illi etiam valde adversari: tum quatenus omnes penè curas, cogitationes, affectúsque animæ sibi usurpat; tum quos occupaverit, præ nimia hominum reverentia abstinere à multis operibus cogit, quæ DEO grata admodum forent, imò etiam ip-

pe eosdem vehementissimè impellit ad ea efficienda, quæ severè à DEO interdicuntur, & patrari sinè gravi offensa illius nequeunt: colligens indè, si ei locum in suo animo dederit, non modò se inhabilem fore, ad DEUM toto pectore amandum, sed ingens quoque aditurum discrimen, nè vel ab ipsa illius amicitia excidat, illorúmque in sortem, ac numerum veniat, de quibus canit Regius Propheta: (*Ps. 52.*) *Quoniam DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. Confusi sunt, quoniam DEUS sprevit eos.* Quapropter, cùm talem esse illum videat, gravissimum illius odium, & horrorem animo concipit, quáque maxima potest cum efficacitate decernit, nullas artes omittere, quæ affectûs tam pernicioſi à se penitùs excludendi vim habeant. Et quoniam nulla inter omnes ipsi occurrit ad prædictum finem validior, quàm si juxta universalem nostram regulam ratione illi prorsus contraria operetur, fugiendo nimirum, quidquid ille appetit, & quidquid fugit quærendo; hac omnino, & quàm exactissimè uti apud se statuit. Denique animadvertens, nihil ab eo aliud quibuscunque suis studiis, & conatibus quærit, nisi illustrem apud omnes famam, dignitatem, admirationem, plau-

plauſum, obſervantiam, favorem, gratiam, nihilque è contrario aliud fugitari, & cavere, nisi nominis obſcuritatem, abjectionem, infamiam, contemptum, probra, irriſiones, faſtidia; aggreditur oppoſita prorſus ratione omnem apud homines notitiam, celebritatem, honorem, commendationem, & naturalem benevolentiam, quantùm poteſt vitare: nulli parcens induſtriæ, quæ conferre ad hunc finem ſuum valeat, nihilque ægriùs ferens, quàm ſi interdum eo fraudari contingat. Cui tam enixo fugiendæ humanæ æſtimationis ſtudio par accedit cura, ut omnes, quoad citra eorum noxam fas eſt, ſe minimi pendant, contemptim habeant, averſentur, objurgent: neque alia utrumque de cauſa, nisi ut omnem ab animo humanæ benevolentiæ, gloriæque amorem exterminet: undè mox illius retinaculis, & impedimentis ſublatis divino ſeſe amori liberiùs impendat, quem ſibi tanquam unicum ſuæ totius vitæ, omniúmque affectuum, & ſtudiorum finem propoſuit.

)(o)(

CA-

CAPUT XXIX.

Quomodo, & quatenus anima DEUM amans, hominum æstimationem, amorémque vitare, & contemptum, atque aspernationem quærere debeat.

SEd quoniam verus, solidúsque Dei amor cum fortitudine in superandis obicibus prudentiam conjungit in moderandis excessibus; futurum è re arbitror, si præter regulam universalem superiùs positam non exercendi humilitatem, ultra quam veritas, & charitas ferat, observemus peculiares aliquos actus, in quibus ex nimio proprii contemptûs studio posset altera prædictarum virtutum, nempe charitas lædi: nam ad veritatem quod attinet, satìs unicuique jam constat, nullius honesti finis respectu fas homini esse, mendaci sermone aut verum de se inficiari bonum, aut falsum sibi malum affingere. Inconsultè igitur, plúsque justo, quia non sinè alterius malo, & charitatis offensa, suum contemptum amaret, primò, qui ab aliquo falsis se criminationibus publicè infamari, seu colaphis per

contumeliam cædi, ſeu aliis de hoc genere indignis, & divina lege vetitis probris affici expeteret; ſiquidem ignominiæ ſuæ gratiâ peccare alterum vellet, quod nullo pacto fas eſt, quamvìs, ſi fortè id contingat, poſſit homo nolendo fratris culpam ſuum indè proveniens dehoneſtamentum amare. Secundò, erraret ſimiliter, qui ſua vitia, & malefacta iis aperiret, quos non temere credere poſſit, ſpiritualem indè noxam, exemplum videlicet, atque incitamentum ſimiliter peccandi, ſumpturos. Tertiò, juſtum quoque in humilitate excederet modum, qui alios in Chriſtiana pietate, aut liberalibus diſciplinis pro ſuo munere excolens, putà Concionator, aut Ludimagiſter, ſtuderet in exigua opinione eſſe ſeu doctrinæ apud diſcipulos, ſeu prudentiæ, virtutiſque apud populum; perinde enim hoc eſſet, ac nolle utiliter miniſterio ſuo fungi, nec ad debitam frugem, quos ſuſcepit colendos, perducere: *quibus*, ùt ait D. Auguſtinus, *prodeſſe non poteſt, ſi nimia dejectione videſcat.* (*Ep. 64.*) Quare, qui talia munera obeunt, quamvìs ſe non debeant pro præſtantioribus, quàm re ipſa ſint, venditare; juſtam nihilominus debent neceſſariæ ſibi æſtimationis curam gerere: neque in medium profe-

re.

re, sed potiùs clam habere suos defectus, qui ad minuendam, & labefactandam eam valent. Quartò, non dissimilem mereretur notam, qui legitima cum potestate aliis præpositus, eam à sibi subjectis reverentiam non exigeret, quæ cæteroqui ad rectam gubernationem necessariò requiritur, permittens, ut impunè imperia sua frangant, & quasi ex æquo sibi obloquantur. Nam ibi quoque, juxta ejusdem Augustini observationem, *dum nimia servatur humilitas, regendi frangeretur authoritas.* (*Ep.* 109.) Quæ authoritas, quemadmodum non Præsidis, sed subditorum utilitatem pro fine suo habet, sic minimè ab illo potest sinè horum damno, & incoñodo negligi. Quintò demum nimietatis damnandus hoc in genere esset, qui ex suprà laudato humani favoris, gratiæque odio, dum infidelium, vel sceleratorum hominum conversioni operam navat, nollet (quod à providis Euangelicæ vineæ operariis factitatum semper est) eorum sibi studia, & benevolentiam conciliare, parùm advertens, quantò ii meliùs erga se affecti fuerint, tantò itèm proniores ad suam institutionem excipiendam futuros: quemadmodum etiam, qui eadem de causa contubernalium suorum animos officiorum neglectu, ru-

rusticáque agendi libertate abalienatum à se iret, jactans se hoc pacto inanem hominum respectum, & reverentiam proterere: cùm revera per ejusmodi contumaciam charitatis leges proterat, quæ nulli hominum justam offensionis causam præberi, sed omnes potiùs accuratissimè observari, eorúmque studiis, ubicunque fas sit, morem geri imperat: prout magnum vas electionis Paulus & faciebat ipse, & fieri à Corinthiis suo exemplo volebat, scribens ad eos: *Sinè offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ* DEI: *sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis.* (*Ep.* 1. *c.* 10.)

2. Unde colligitur, licèt, quantò quis impensiùs DEUM amat, tantò magis suam apud homines & æstimationem aversetur, & despicientiam appetat; non tamen quisquis re ipsa enixiùs illam fugit, & hanc consectatur, eundem laudabilius semper operari, & DEO magis placere: sed multoties, ùt in commemoratis modò actibus, quærendum homini suum honorem, suámque esse abjectionem vitandam: non quidem illius ex amore, hujúsque odio (id enim alienum à perfecta humilitate esset) sed (quod de summa interioris humilitatis perfectione nil detrahit)

hit)ex mero fraternæ charitatis impulsu:adeò ut ab universali jam pridem concepto honoris sui odio incitetur,ad eum quoque fugiendum,quem in supradictis casibus sibi obvenire videt: sed animadvertens proximorũ utilitatem secùs suadere, hujus respectu priorem suum instinctum cohibeat, patiatúrque eum admittere, quod universè alibi refugit: non utique deponens, aut minuens vel tunc illius odium, sed solummodo juxta ejus instinctus non operans, ratione alterius non minùs honesti, & validioris motivi, quod à charitate suggeritur. Nec secùs circa alteram quoque partem se gerat, hoc est circa abjectionis suæ fugam, ad quam itèm perfectæ humilitatis sectator, ubi id charitas exigit, inducere animum debet, non libens, volénsque, sed suspirans præ desiderio illius, quod recusat, necessitatémque incusans, cujus vi ad rei tam dilectæ abdicationem compellitur. Quemadmodum Paulus Apostolus, licèt ardentissimè optaret *dissolvi, & esse cum Christo*, nihilominus respectu proximorum, illius ope indigentium, amarissimam mortalis sui exilii prorogationem patienter ferebat.

3. Erit fortè, qui roget, num inter suprà dictos excessus connumerari debeat, an

potiùs pro legitima, imò & præstanti humilitatis exercitatione haberi, quòd deterior apparere quis studeat, quàm revera sit, non quidem falsi quidquam de se affirmando, sed nonnulla duntaxat coram aliis faciendo, aut dicendo, unde illi possint ad minùs honorificam de ipso opinionem concipiendam induci. Ut putà si cenodoxiam jugulaturus uno ictu, & à tentationibus illius liber in perpetuum futurus, stulti personam, S. Simeonis indè cognominati exemplo suscipiat, & ferre deinceps in omnibus vitæ suæ dictis, atque actibus pergat. Aut si ad minuendam sanctimoniæ suæ famam publici aliquid faciat, non quidem naturâ suâ malum, sed extima specie minùs decorum, neque factitari ab eximiæ virtutis hominibus solitum: instar S. Philippi Nerii, qui (*In Vit. L. 2. c. 18.*) interdum incedebat per urbem, florum fasciculum manu præferens: cúmque à viris primariis domi inviseretur; ex quopiam de trivio libello ridiculum aliquid coram iis legi, veluti materias sibi specialiter arridentes jubebat. Aut si, quò minoris ingenii, doctrinæ, ac prudentiæ existimetur, in disputationibus Academicis superari ab adversario de industria se sinat, vel publicè disserens affecta-

ctata ſimplicitate riſus Auditorum provocet. Quale P. Pranciſci Cordubæ, viri inter nos tum generis nobilitate, tum aliis dotibus ſpectatiſſimi artificium fuit: (*In Vit. P. Balt. Alvar. c. 30.*) quum in domeſtica concione Sanctum neſcio quem laudans, diſcrepantiam propoſuit inter duo illius vitæ exemplaria, alterum Cæſarauguſtæ, alterum alibi impreſſum: ſubjiciens poſtremò ad deciſionem controverſiæ, Cæſarauguſtanum codicem, utpote grandioribus literis, ac proinde lectu commodioribus excuſum, ſequendum ſibi potiùs videri. Quæ tam inepta deciſionis ratio, quantò aſſeverantiùs, vultúque, & ſermone magis ſerio ab eo prolata eſt, tantò majorem ridendi anſam, ceu bardæ, obtuſæque mentis ſpecimen Auditoribus præbuit. Neque verò exigua eſſe ratio ambigendi de bonitate ſimilium artium videtur. Nam una ex parte, ſi adhibeantur ab hominibus, quorum æſtimatio non eſt neceſſaria iis, penes quos minuitur, neque charitati erga alios quidquam derogant, & humilitati eas uſurpantium inſigniter proſunt. Ex altera verò non videntur poſſe ad majorem humilitatis perfectionem ſpectare, quia hoc admiſſo humilitas, aſſequendæ majoris perfectionis causâ,

simulationibus, & figmentis egeret, quod longè abhorret à natura cujusvis virtutis, & hujus potissimùm, quæ adeò specialiter veritati est amica. Et confirmatur id ipsum exemplis virorum sanctitate in Ecclesia præstantium, quos communiter, licèt humillimi essent, nullo tali artificio usos esse accepimus ad sui depressionem quærendam.

4. Sed non magni negotii res est, propositam quæstionem resolvere. Quod ut explicatiùs fiat, dico primùm: quòd aliquis de industria fictum hebetioris ingenii, insciitiæque, & exiguæ virtutis specimen præbeat, (dummodo id non agat coram iis, quibus utile est præclaram de ipso opinionem habere, neque indè aut dedecus cœtui, cujus ipse pars est, aut nimius necessariis, amicisque illius pudor proveniat) actum esse naturâ suâ honestum, nec vulgari in laude ponendum. Et ratio, cur ità sentiam, est, quia falsum judicium, quod de ipso homines concipiunt, tanquam de minùs docto, vel probo, quàm revera sit, non nisi levissimum mentis est malum; at contrà fructus ipsi amplissimos parit, adjuvans nempe illum, ut altiores in abjecta sui æstimatione radices agat, animúmque perfectiùs ab humani honoris desiderio avellat.

Quæ-

Quare juſtiſſimam habere cauſam videtur, tantum ſuum bonum tantulo impendio parandi. Adde, quòd ſi nequaquam ex generali mortificationis, hoc eſt vincendi ſui ſtudio, ſed ex proprio humilitatis, hoc eſt infimæ de ſe ipſo opinionis impulſu, ità diminuere ſui æſtimationem apud homines quærat; dici poteſt non tam curare, ut alios decipiat, quàm ut deceptos à ſuo errore deducat, íd-que duplici modo. Primò, quatenus præ ſincera exiguæ ſuæ virtutis, doctrinæque notitia perſuaſiſſimum habet, non tantas revera in ſe eſſe has dotes, quantæ ab aliis exiſtimari videntur: quapropter falſam illam ſuo judicio eorum de ſe opinionem non ferens, neque aliam reperiens corrigendæ illius viam, præter ſimulationem contrarii in particulari quopiam dicto, factóve, hac uti decernit, non quidem ut ii prorſus errent, ſed ut minùs circa ſe errent. Quærit igitur, ſolœciſmum exempli gratiâ in loquendo de induſtria faciens, imperitior Grammaticæ haberi, quàm ſit; ut qui falſam de illa particulari ſua inſcitia opininionem concipit, falſum ſimul exuat de doctrina ſua universè accepta, & ultra verum æſtimata judicium. Quemadmodum etiam aliquid ſibi coram aliis oblectati-

onis, & commodi indulgens, quo cæteroqui solus, & seorsum ab arbitris fraudare genium consuevit, vult ab iis falsò existimari minùs deditus severitati erga suum corpus; ut errantes in judicio de hac sua particulari virtute liberentur à majori alio, quia patente latiùs errore circa totius suæ sanctimoniæ præstantiam. Alter modus potest esse, quatenus sua secum vitia, & peccata perpendens, veluti extremo apud omnes contemptu dignum se credit, sic pro certo habet, longissimè à vero eos aberrare, qui eximiam de se opinionem habent; quapropter non se illos fallere, sed potiùs à falsa persuasione revocare existimat, si quacunque possit seu vera, seu ficta ratione, ad minùs magnificè, hoc est minùs falsò, de se sentiendum, & ad se pro vili, nimirum pro eo, qui revera est, habendum, conetur inducere. Esto quippe decipiantur aliquatenus, dum se contemnunt, quantùm ad eam partem, secundùm quam non meretur contemni; indè tamen fit, ut decipiantur minùs secundùm universale de sua dignitate judicium, prorsus scilicet accedentes hoc pacto ad summum illum, & generalem sui contemptum, qui sibi revera debetur, & in quo procul dubio se haberent, si suæ totam malitiæ

tiæ, ac vilitatis ſummam intimo obtutu perſpicerent.

5. Quòd ſi ſancti viri, paucis quibuſdam exceptis, nequaquam perhibentur pia hæc figmenta uſurpâſſe, non id factum eſt, quòd illa improbarent, contemneréntque: ſed vel ideo, quòd ſpirituali proximorum culturæ operam dabant, ac propterea, ut juvare illos meliùs poſſent, bona illorum æſtimatione indigebant; veluti D. Ignatius Loyola, qui ajebat: (*In Vit. L. 5. c. 3.*) hoc unum ſibi obſtare, nè, quod cæteroquin libentiſſimè egiſſet, ſtulti opinionem apud vulgus captaret: vel qui veriti ſunt, religioſæ ſuæ familiæ honorem minuere; ceu B. Aloyſius Gonzaga: (*March. in Vit. L. 2. c. 8. & Cep. p. 2. c. 5.*) qui hoc reſpectu eſt cohibitus, nè in publica diſputatione dedecoris, pudoríſque ſui gratiâ affectatum ignorantiæ ſpecimen daret: vel demum, quia cum ſingulari quodam ſtudio affecti eſſent erga ſanctam ſimplicitatem, non potuêre animum unquam inducere, ut ab ea vel latum unguem deflecterent, & quacunque, eſto pia de cauſa, ſimulatè aliquid facerent, diceréntque. Quanquam ultima hæc ratio minorem vim habeat, ſi quis animadvertat, præſtantiorem ſe, quàm re ipſa ſit, ab ho-

hominibus existimari; tunc enim ab ipsomet sinceræ veritatis studio videtur posse impelli, nè patiatur ità diversus apparere ab eo, qui in se est, & alios, quamvis absque sua culpa decipere: sed conetur potiùs omni arte, & industria illam immeritæ dignitatis larvam exuere, quam sibi alienus error imposuit. Præterquam quòd neque certò affirmari de ullo sanctorum virorum potest, à piis hisce figmentis eum penitùs abstinuisse. Cùm enim propriorum defectuum simulatio tunc artificiosissima, & quàm maximè accommodata ad finem suum sit, quando ità dissimulanter, procúlque ab omni artis specie illos exhibet, ut non efficti, sed veri defectus appareant; quidnam argumenti, & rationis est, cur dicendum sit potiùs, omnia errata, in quæ ipsi aliquando sunt sancti viri, ex eorum minori animadversione, vel inhabilitate ad meliùs operandum fluxisse, quàm ipsos in multis actionibus, ubi error ab omni culpa, & proximorum damno aberat, sponte, ac dedita opera errâsse, quò sui apud alios æstimationem minuerent: tanta suum id propositũ dissimulatione obtegentes, ut nemini suboleret, quidquam per artem geri; sed quod voluntaria humilitas erat, pro naturali imperfectione haberetur.

6. Di-

6. Dico secundò: quanquam prædictarum artium usus intrà limites suprà definitos honestus, & laudalilis sit, posse illum tamen non minori cum virtutis laude omitti, si id non ex proprii contemptûs metu, sed ex sinceræ veritatis, vel honesto alio, & supernaturali respectu fiat: quia ubi ex duabus causis, inter quas non facile definitu est, utra sit honestior, an ea, quæ ad opus aliquod impellit, an altera, quæ ab eodem revocat; possumus pari cum laude utramque sequi, sive rem faciendo juxta unius motiva, sive juxta alterius ab illa abstinendo. Imò addo, fieri posse, ut sui despicientiam, & abjectionem plùs amet, qui honestis aliis de causis eam quærere alicubi omittit, quàm qui nulla inhibitus idonea, & rationabili causa eam ubique aucupatur: quemadmodum, qui minùs largos sumptus in pauperes facit, ut creditoribus promptè, exactéque debitum solvat, potest majori erga illos misericordiæ sensu, & bene merendi voluntate affici, quàm alius, qui nullo ære alieno obstrictus, plus pecuniæ iisdem distribuit. Quare, sicuti ad majorem erga egenos misericordiam haudquaquam necessarium omnino est, iis semper stipem largiri, neque, ubi quisquam respectu justi-

tiæ

tiæ, aut alterius virtutis id facere omittit, censeri propterea parùm munifici, & misericordis animi potest; sed is solummodo existimari talis meretur, qui ex avaritia, & fraternæ charitatis defectu, parciùs quàm posset, indigentibus subvenit; ità neque ad summam humilitatis perfectionem necessariò requiritur, ut quis omni genere artium utatur, quæ ad viliorem sui æstimationem in animis hominum excitandam conducunt: nec proinde, si quispiam, esto cæteroquin abjectionis suæ maximè appetens, ex validiori alterius virtutis instinctu ab aliqua prædictarum artium usurpanda abstineat, jure appellari minùs humilis potest: sed in eos tantùm hujusmodi convenit nota, qui, licèt nulla honesta ratione cohibiti, ex mera proprii contemptûs aversatione, aut saltèm remissiori cupiditate illum, quacunque fas sit, persequi abnuunt.

7. Nihilò tamen minùs, si aliquis, utpote in humilitatis studio adhuc tyro, crebrò se inquietari experiretur anxiis humanorum de se judiciorum, & sermonum curis, utilius huic fore arbitrarer, si identidem (consciotamen, & probante, qui in spirituali vita illum dirigit) nonnulla ultro faceret, ad minuendam in aliis suæ virtutis, scientiæ, ingenii,

nii, & judicii opinionem idonea: veluti exempli gratiâ, si coram aliis, præcipuéque iis, quorum judicia magìs veretur, aliquam remissionem animi, vel oblectationem corporis sumeret, permissam illam quidem, sed à viris spiritualibus, & austerioris vitæ studiosis vitari solitam: idque vel sinè ulla necessitate, & nihil aliud pro fine habens, nisi ut propterea gregariæ virtutis homo existimetur. Aut si publica, & solenni quapiam actione functurus contentus esset, mediocri diligentia, non summo quo possit studio sese ad eam præpararet: neque interdum renueret, si invitetur, aliquam ex iis imparatus, atque ex tempore obire, ut scilicet expectationi, quæ in animis Auditorum de ipso erat, parùm respondeat, & plausuum locò pudorem indè, ac dedecus referat. Imò suaderem ipsi hac agendi ratione uti, & coram iis, quibus melior de ipso existimatio esse utilis potest: nimiùm enim quantùm divinæ charitatis perfectioni obsunt, importuni humanarum opinionum respectus: páxque, & libertas interior, quæ per voluntarias hoc genus sui depressiones brevi tempore acquiri consuevit, longè majoris momenti est, quàm quæ sinè ipsis suppeteret, alios paulò meliùs juvan-

vandi habitudo. Exemplo sit Christophorus Consalvius, nostræ Societatis Sacerdos, eximiis à DEO, & peculiaribus donis interorandum decorari solitus. Qui, ceu refert Ludovicus de Ponte, (*In Vita Balt. Alu. c. 47.*) rogatus à se pro mutua familiaritate, quo tempore, quóque modo præcelsæ illud orationis munus consecutus à DEO esset; tunc id eveniisse, respondit, quando forti, magnóque animo statuit, quidquid minùs honorificè opinari de se homines possent, nihili pendere. Cùm enim Philosophiæ curriculum non sinè præstantis ingenii fama ingressus fuisset, sentirétque naturalibus gloriolæ stimulis crebrò sibi animum vellicari, & ad implendam de se hominum expectationem urgeri, cœpit è contrario occasiones sui contemptûs venari, & ea studiosè facere, undè crassa, & rudi minerva præditus videretur; solicitè ad alios explicationis, doctrinæque gratiâ confugiens in multis, quæ cæteroquin per se optimè noverat: inter argumentandum ad prima adversarii responsa obmutescens, ac si progredi ulteriùs nesciret, aliisque hujusmodi artibus utens: quibus de sua apud homines æstimatione nonnihil detraxit, sed multò plus sibi apud DEUM commendatio-

nis

nis paravit, & magìs idoneum intimæ cum eo familiaritatis se reddidit. Grande, & saluberrimum mihi documentum, subdit idem Ludovicus de Ponte: cùm indè cognoverim, neque tam arduum, quàm antea imaginabar, & fructuosius, quàm credidissem, esse sui apud homines despicientiam captare.

8. Dico ultimò: perpetuæ, atque universalis simulationem insaniæ, esto possit à quopiam cum insigni suæ animæ profectu usurpari, & sic usurpata à nonnullis præstantibus DEI famulis fuerit; si tamen per se ipsam consideretur, & secundùm suos proprios effectus, cujusmodi sunt præter alios assiduæ in loquendo, agendóque ineptiæ, incomposita totius exterioris vitæ ratio, quæque indè consequitur, à Sacramentorum usu, & divinis rebus, ac mysteriis proscriptio; non posse in universum probari, nec suscipi à quoquam citra manifestum DEI impulsum, & expressum prudentis moderatoris consensum debere. Cùm palàm sit, quàm multa spiritualis profectûs adjumenta homini eripiat, quantóque illum ad præcipuas quasque tum contemplativæ, tum activæ vitæ exercitationes minùs habilem reddat. Quare nequaquam prudentis consilii videtur, tot, tantíque

momenti dispendiis unicum illum, qui indè provenit, fructum, perpetuam nimirum ab humanæ gloriæ illecebris securitatem mereri. Præsertim quòd ejusmodi fructus aliis quoque, de quibus mox agemus, deprimendi sui artibus, aut saltèm solitariæ vitæ præsidio obtineri sat potest; neque alioquin certa spes est per imitationem stultitiæ obtentum usquequaque iri: tum quia fieri vix potest, ut assidua illa humilitatis dissimulatio nullo unquam tempore sagacioris ingenii hominibus per aliquod argumentum se prodat, vel certè suspicionem moveat; tum quia spiritualis saltèm Patri comperta esse debet, idque satis est, ut, qui eam profitetur, tentari cenodoxiæ titillationibus queat.

9. Missis itaque hactenus dictis, partim justum excedentibus modum, partim ancipitibus, neque ad perfectam humilitatem communiter necessariis, quærendæ abjectionis sui artibus; illas porrò explicare aggredimur certiores, magisque proprias, quibus singuli quisque potest, ac debet, ad omnem æstimationis, benevolentiæque humanæ amorem penitùs suo è corde ablegandum. Quantùm ad æstimationem (nam de benevolentia seorsum infrà agemus) cui curæ

illius appetitum, & dulcedinem prorsus in se ipso abolere, ut ità aptior sit ad DEUM toto pectore amandum, debet primò certissimum suo in animo decretum concipere, eam nullo unquam tempore sive aucupandi, sive ultro oblatam admittendi, sed omni potiùs industria, & contentione enitendi, ut ab ea procul se habeat, illiúsque locò, quantùm fas est, sibi accersat contemptûs, ignominiæ, & dedecoris.

10. Secundò: consequens deinde est, ut juxta hoc universale decretum studeat semper removere à se, vel intrà se abscondere, quidquid honoris sibi apud homines conciliandi vim habet. Ac proinde, cùm vulgi mos sit, eos in primis revereri, quos magnorum principum amicitiis florere, honestissimis in republica muneribus fungi, vestiúmque splendoribus, & basilico incessu majestatem spirare videt; omnem ipse è contrario inanis pompæ speciem à suo vestitu proscribat, vultu, sermone, & totius corporis habitu modestiam potiùs, & submissionem, quàm fastum, authoritatémque præseferat, familiares cum summatibus viris congressus devitet, nec illustres præfecturas, nisi extrema vi coactus admittet: idque totum, etsi aliæ ratio-

nes deficerent, una hac de causa, nè in honore, & commendatione apud populum sit. Quod verò ad illas dotes suas pertinet, quas nequit deponere, putà nobilitatem, ingenium, doctrinam, virtutem; studeat, quantùm potest, intrà suam conscientiam penitùs defossas, atque occultas habere: memor, margaritas, quæ in maris alto delitescunt, candidiores iis esse, quæ in summis fluctibus natant: (*Plin. L. 9. c. 35.*) repeténsque cum Isaia. (*c. 24.*) *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Adeò ut nihil dicat, faciatque, unde aliqua ex illius prærogativis venire in notitiam, vel redire in memoriam aliorum possit. Eadémque de causa in exercitatione bonorum actuum secretos (si paria sunt cætera) anteferendos semper publicis putet, juxta sensum D. Hieronymi, qui de pœnitentia Ninivitarum loquens: *Ante*, ait, *jejunium & sic saccus: ante, quod occultum est, & post quod palàm: &, si ex duobus necessariis alterum detrahendum est; magìs jejunium absque sacco, quàm saccum eligam absque jejunio.* Imò illos ipsos, quos subducere aliorum obtutibus nequit, putà abstinentiæ rigorem, quando cum aliis discumbit, ità dissimulanter exceat, ut quàm minimè animadverti à circum-

stan-

stantibus possint: sive stomachi imbecillitatem, & valetudinis curam suæ in vescendo parsimoniæ prætexens, sive tantum moræ in eduliis minutatim cultro scindendis, & ore comminuendis trahens; ut quamvis nullum ex iis prorsus intactum relinquat, de quovis tamen minimum comedat; &, licèt non prior, levior tamen sociis à mensa consurgat; sive pro eo ut penitùs vino abstineat, ordinariisque ciborum condimentis, tam modicè illis utatur, ut usus quidem aliorum oculis, sed absque ullo palati sui oblectamento appareat; sive aliis utens hujusmodi industriis, quas per se ipsum, & suomet ingenio facilè invenit, quisquis hominum æstimationem seriò aversatur. Atque huc item spectat absolutum illud de se ipso, & rebus suis silentium impensè adeò à B. Catharina Genuensi laudatum. (*In Vita c. 16.*) Cùm nihil ægriùs natura hominis patiatur, quàm si nulla unquam mentio sui fiat, cujusdam instar mortis & nihili habens, neglectam se penitùs, oblitámque in perpetuæ taciturnitatis sepulchro relinqui. Nè multa: si ex sinceræ humilitatis instinctu omnem sui apud homines famam, æstimationémque odit; celare omnia debet, quæ cognita illius conciliandæ vim habent,

eámque ità celare, ut nequaquam ſtudiosè obtegi, ſed revera videantur deeſſe, prout fieri conſuevit ab hominibus, ſeriò, & bona fide ſui abjectionem quærentibus, qui, teſte D. Bernardo, (*serm. 16. in Cant.*) *Viles voluntputari, non humiles prædicari.* Quod ſi eorum reſpectus, qui ad curam ſuam pertinent, non poſſent fructuosè ab eo dirigi, ſi ipſum pro tenuis prudentiæ, doctrinæ, & virtutis homine haberent, nec liceat ei hujuſmodi dotes penitùs tegere; ità earum notitia, æſtimatióque permittenda erit, ut tria hæc interim monita obſervet: primum, nè ex naturali ſua propenſione id faciat, ſed ex ſolo alienæ utilitatis impulſu: alterum, nè prædictam ſui notitiam, æſtimationémque apud alios eſſe patiatur, quàm eos, quibus excolendis operam navat: poſtremum, nè ab his ipſis exiſtimari doctus, prudens, ac bonus velit, niſi quatenus ad frugiferam eorum regiminis tionem requiritur, nempe ut eos dociles, morigeros inſtitutioni ſuæ habeat; quam rem neceſſe non eſt, excellentiſſimum apud eos dignitatis locum tenere, ſummúmque omni laudis genere, & quovis alio præſtantiorem, ſed ſufficienti duntaxat ad eos dirigendos habitudine inſtructum cenſeri.

II. Ter-

11. Tertiò illud quoque indidem sequitur, ut nè laudibus delectetur, quibus alii magno illum in pretio se habere testantur, imò eas ægre ferat, tanquam rem suo ex genere sibi exosam: sanctissimæ DEIparæ instar, quæ honorificis verbis ab Angelo compellari se audiens, *turbata est in sermone ejus*: aut si gratas habet respectu laudantis, vel aliorum, quibus fortè utiles sunt; oderit illas pariter suimet causâ, cui noxam, vel periculum creant. Si enim, teste Plinio, nonnullæ in Africa familiæ erant, eam à natura nocendi vim habentes, ut, quidquid laudarent, arcano quodam fascino vitiaretur: (L. 7. c. 2.) *Quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes*; Verbum divinum longè certiori, eáque universali testificatione confirmat, nullum esse inter homines, cujus lingua corrumpere, & inficere similiter neqeat bona spiritualia eorum, quos laudat: omnes idcirco, ad malefici hujus incantamenti genus metuendum, vitandúmque excitans suis apud S. Lucam verbis: (c. 6.) *Væ, cùm benedixerint vobis homines*; sui ergo spiritualis periculi memor, debet, quoties laudatur, non minori tristitia affici, quàm humanæ prensatores gloriæ afficiantur, dum vituperari, &

ludibrio haberi se audiunt : adeò ut ingra-
tam illam sui commendationem inter prima
ipsa verba alio illato sermone præcidat : vel,
si hæc ars minùs ad effectum valuerit, seriam
animi ægritudinem vultu, ac verbis præferat,
ut laudator (nè offendat, quem honestare
gessit) ab incepto sermone desistat : vel de-
mum congestas in se laudes, præsertim si mi-
miæ, & ultra meritum sint, tanquam falsas, &
erroneas rejiciat, nonnullis etiam defectibus,
quorum sibi in eodem genere est conscius ad
fidem faciendam prolatis. Id verò cum sin-
ceri, candidíque animi significatione agen-
dum est ; ut audientibus persuadeat, suis illis
laudibus à se contradici, non quòd ex humi-
litatis impulsu qualemcunque, esto veram o-
derit gloriam ; sed quòd ex insito sibi à natu-
ra simplicitatis studio falsam tolerare, & in-
debitam nequeat. Quæ persuasio minimè
ab iis conciperetur, si ipse, quidquid in si
commendationem profertur, tametsi certum
& omnibus patens, negaret ; concipi ver
tunc solet, quando, qui commendari se au
dit, eam suarum laudum partem, quam, quòd
evidens sit, frustrà iret inficias, transmitten
id tantùm abnuit, refellítque, quod laudan
tis seu benevolentia, seu credulitatis ad ma
se-

festa decora adjunxit: illis verò, quæ secundùm substantiam inficiari nequit, conatur, quantùm potest, pretii ratione circumstantiarum detrahere. Ità exempli gratiâ, si laudante aliquo dictionem à me habitam ego subjiciam, nullius artis, ingeniique rem esse, aliisque similibus generalibus formulis elevare illius decus contendam, nihil sanè apud audientes profecerim, qui mea verba modestiæ, humilitatíque imputantes nulla ex parte diminutam in animis suis retinebunt, quam de me antea æstimationem conceperant. At contrà si dicam, revera illa dictio ex minimè pœnitendis operibus est, quæ labor meus unquam excuderit; sed nec parvo mihi constitit sumptu, cùm in ea elucubranda, præter accuratissimum studium integri mensis, quidquid in me erat ingenii, doctrinæque consumpserim: ex aliis præterea meis scriptionibus sedulò excerpens, quæcunque ad majus ornamentum transferri in eam possent. Imò, ut ingenuè, confidentérque tecum loquar, variis insuper ad eam exornandam usus sum aliorum scriptorum inventis, ac sensibus: uti illa tam subtili, neque admodum pervulgata D. Pauli explicatione, quam ex Narniensis concionibus in meam rem de-

ſumpſi, illáque tam eleganti, & appoſita ſimilitudine, quam mihi Panigarola ſuppeditavit. Denique, quanùm poteram, conniſus ſum labore, & induſtria, DEO ſint grates, quòd impenſi conatus non omnino infeliciter ceſſerint. Si ego, inquam, ſic reſpondeam, ſincera hæc confeſſio prolixi temporis, ſtudiíque à me in eam lucubrationem collati, & alienæ ſupellectilis ad eandem exornandam hinc indè accerſitæ, quódque illa extremus quaſi terminus induſtriæ meæ ſit; non parum profectò ad infringendam laudationem valebit, & ad efficiendum, ut opinio, quam alter de mei ingenii præſtantia formatam in mente habebat, multis partibus decreſcat, & vix non in ſui pudorem, & contemptum mei tranſeat. Quod artificium commendandi aliquatenus res proprias ad magìs hoc pacto deprimendum ſe ipſum animadvertere mihi licuit in libro meditationum P. Caroli Thomaſii Clerici Regularis Theatini, ſuper myſteriis ad Chriſti Domini cruciatus, & mortem ſpectantibus. Nempe in libri proœmio inſignis hic DEI famulus profitetur, morem quidem eſſe multis Scriptoribus ſeſe excuſandi, quòd ſatìs otii non habuerint ad lucubrationes ſuas perpoliendas,

das, quantùm vellent, poſsèntque : ſibi tamen non licere hujuſmodi excuſatione uti in præſenti ſuo opere, utpote quod, qualecunque demum ſit, nativæ ſuæ habitudinis, & ſcientiæ ſphæram excedit : ſanctiſſima nimirum DEI Matre opem ferente, qua non invocata nunquam ipſe ſcribere aggreditur, & cujus præſens auxilium expertus eſt pluries in ſenſuum, & rationum ultro ſibi occurrentium copia, quales ſuo ſtudio, & ingenio nequaquam ſe inventurum ſperâſſet, adeò ut inexſpectatæ rei eventum non mirari nequiret. Ità ille, ipſamet rerum ſuarum admiratione ad contemptum, & depreſſionem ſui utens.

12. Quartò, ut omnem gloriæ appetitum per contraria ipſi ſtudia faciliùs in corde ſuo extinguat; nihil debet procul à ſe habere, aut intrà ſe tegere, unde contemni ab hominibus poſſit, imò potiùs curare, ut, quæcunque hujuſmodi ſunt, in ſe appareant, & compertiſſima omnibus ſint. Quandoquidem igitur plerique hominum habere deſpicatui ſolent non modò hebetes ingenio, bonarum artium rudes, vitiiſque, & morum probris deformes, verùm etiam, quibus genus plebejum, vel inopes cenſus contigerint, quóſque pannoſo amictu ſordere, & ſervilibus mi-

miniſteriis occupari videant ; convenit ſuæ abjectionis , & deſpicientiæ amatori , ut in quacunque ex materiis modò dictis eam quærat. Ac primò venari eam debet, quantùm ad eas res , quæ ſi minùs naturæ ſuæ merito, at externa ſaltèm ſpecie, & vulgi opinione contemptum merentur : veſtibus idcirco utens, non ſolùm nullo ornatu , & ſplendore conſpicuis , verùm etiam craſſis, minimi pretii, ac longo uſu detritis : nec non opera abjecta, & ſervilia , puta humum verrendi , ſarcináſque portandi , in propatulo exercens , nulloque alio cum hominum genere familiariùs agens, quaſi ex eorum grege unus , quàm cum ruſticis , agaſonibus , bajulis , ſervis , mendicis. Præſertim quòd talia præter contemptum, quem apud ſpectatores cauſant , non minimam quoque vim habeant efficiendi , ut ipſe etiam de ſe humiliter ſentiat. Experientia quippe palàm facit , multum affinitatis , congruentiæque reperiri inter exteriorem noſtri corporis habitum, & interiores animi ſenſus: ac proinde , quemadmodum magnificè ornatum incedere , ſplendidis muneribus fungi, crebrúmque , & familiarem cum principibus viris uſum habere , elatos neſcio quo pacto, & ſublimes ſpiritus homini ingenerat ; adeò ut,

ut, quamvis certò sciat, omnia hujusmodi rem sibi esse extraneam, & unde nullum possit veri pretii, ac solidæ dignitatis incrementum accipere; eorum tamen causâ per occultum, & practicum quoddam imaginationis ludibrium altiùs spirare incipiat, séque circumspicere, & majus quid sibi videri; ità moris esse è contrario, ut vestium, officiorúmque, & sodalium humilitas congeneres sibi modestiæ, ac submissionis sensus inspiret: dúmque vilem homo exteriùs se videt, pro tali etiam interiùs se habeat.

13. Debet præterea contemptum apud homines ratione suæ stirpis, fortunæque aucupari, si fortè ignobilis, atque modica obtigerit: optans, ut compertum omnibus sit, abjectam parentum suorum conditionem, séque in re admodum tenui, & magna egestate educatum fuisse: neque ullam prætermittens occasionem, per quam id ignaris aperire, & revocare in memoriam scientibus possit: nulla interim ratione habita futilium terrorum, quos carnis prudentia illi objiceret: tanquam si per hanc, externásque alias, de quibus suprà egimus, sui depressiones, necessariam ad proximos juvandos authoritatem perditurus sit; hujusmodi enim authoritas ne-

nequaquam pro fundamento ſuo habet natalium, fortunæ, officiorum, veſtiúmque ſplendorem, rerum ſcilicet, unde nîl homo ſive quantùm ad ſe, ſive quantùm ad alios perficitur; ſed prudentiæ ſolummodo, virtutíſque, & doctrinæ opinionem, decorum nempe, quæ hominem & præſtantiorem in ſe ipſo, & aliis juvandis magìs habilem reddunt. Quapropter, ceu harum dotium opinio nulla ex parte minuitur, eò quòd externa illa ornamenta deficiant, imò etiam plus ſæpenumero incrementi indè capit, ratione majoris virtutis, quam homo exhibet in iis generosè aſpernandis; ſic conſequens eſt, ut authoritas quoque, procurandæ aliorum utilitati neceſſaria, augeatur indè potiùs, quàm minima ex parte decreſcat.

14. Nihil itaque metuendum ſervo DEI eſt, nè hoc abjectionis ſuæ genus minùs ſe utilem proximis reddat; ſed tunc id commodi jure poſſet metuere, cùm præ humilitatis ſtudio illos quoque ſuos defectus in apertum depromeret, per quos imminuitur rite alios excolendi facultas, quíque conſcios moverent, non ad ipſum modò, ſed ad ipſius quoque culturam, inſtitutionémque aſpernandam, vel eam penitùs repudiando, vel minùs

nùs fructuosè admittendo, cujusmodi sunt doctrinæ, prudentiæ, ac virtutis defectus. Quidnam igitur perfectæ humilitatis amatori faciendum est? En tibi paucis: juxta superiorem doctrinam, quod ad interiorem animi habitum spectat, debet nihilò hìc, quàm uspiam alibi minùs sui despicientiam amare: ità tamen, ut, si erudiendi alios in literis, vel bonis moribus munus gerit; amet illam quidem, sed non etiam indiscriminatim apud omnes, hoc est apud suos quoque alumnos exquirat: nec proinde his juxta atque aliis aperiat, quidquid sibi deest prudentiæ, doctrinæ, & virtutis, sed patiatur emolumenti eorum causâ in bona æstimatione apud eos esse. Sin autem nullius præterquam sui cura ipsi incumbit, tunc sui contemptum non interiùs tantùm amet, sed extrinsecùs pariter apud omnes, & in quovis genere exquirat. Nè igitur parcat cuilibet, qui citra spirituale suum damnum talia auditurus est, omnes detegere sui animi labes, & morbos: malefacta nimirum, & flagitia superioris ætatis: repugnantiam, & difficultatem, quam in actibus virtutum etiam ordinariis experitur: impetum, quo à suis nunquam subactis cupiditatibus ad prava quævis facinora urgetur: fines perversos,

ſos, alióſque tum externos, tum interiores defectus, quibus bona ſua opera ſolent fœdari: vitia craſſa, ipsíſque etiam vitæ ſpiritualis tyronibus erubeſcenda, putà gulæ, hypocriſis, invidiæ, æmulationis, iræ, triſtitiæque ex leviſſimis, ac puerilibus cauſis, quæ per imbecillitatem virtutis nequit ſuperare, & quorum impulſu in plurimas quotidie culpas prolabitur. Neque minori cum libertate ſui ingenii, judiciíque, & ſcientiæ tenuitatem palàm omnibus faciat: tum reſpondendo ſinè ullis ambagibus, & tergiverſationibus rotundè: *neſcio*, quoties de aliqua re literariâ non ſatìs ſibi explorata interrogaretur: tum promptè aſſentiendo, quoties aliis ſeſe excuſantibus invitatur ad ſolenne, publicúmque aliquod munus, exempli gratiâ ad concionem habendam, unde quia exiguum meditandi, ſcribendíque tempus ſupereſt, plus præſtolari poſſit ignominiæ, quàm laudis: tum denique narrando, quoties in familiari cum aliis congreſſu vel minima occaſio ſe præbet, infelicem, probrosúmque exitum, quem in publicis aliquando diſputationibus, vel alio ejuſdem generis ſcholaſtico actu ſortitus eſt: improbum laborem, & diutinum tempus, quo ad ſcriptionem vel mediocrem eluctabra-

brandam opus habet: pudendas hallucinationes, in quas loquens, aut scribens, circa historiarum acta, circa philosophiæ placita, circáque ipsam grammaticam incidit, & incidere consuevit: nec non alia ejusmodi, ex quorum relatu audientes conjiciant, quàm curta sit illius ingenii, atque eruditionis supellex. Hæc siquidem instituta, hæque artes propriæ hominis sunt, qui inter votorum prima habeat, ab omnibus in quavis materia, & quantùm maximè potest, contemni.

15. Postremò, quandoquidem intima hac omnimodæ abjectionis suæ siti æstuat, debet consequenter in sinu gaudere, quandocunque ipsi aliqua optatissimæ rei degustandæ occasio se præbet: sive quòd alios in hoc, vel illo laudis genere sibi antestare, plúsque, quàm se honoris, & plausuum referre videat: sive quòd aliquid publicè imprudens admiserit, unde plurimum sibi apud circumstantes dedecoris, ignominiæque provenit: sive quòd occultæ suæ labes foras emanaverint, ínque vulgi ore, ac sermonibus sint: sive quòd aliquis flocci illum se facere ostendat, imperiosè, & petulanter cum eo agat, absentis famam malignis obtrectationibus laceret, præsentem derideat, objurget, dictis mor-

dacibus carpat, conviciis fœdiſſimis oneret, extremóque contumeliarum, & opprobriorum genere afficiat. Ità ſanè, quoties quidpiam horum evenerit, perfectæ humilitatis ſectatio ab ipſo exigit, ut, quod ad depreſſionem ſuam pertinet, gratuletur ſibi, atque geſtiat, non minùs, neque aliter, quàm ſi locupletem inveniſſet theſaurum, illud ſibi Guigonis Carthuſiani monitum repetens: (c. 2.) *Quiſquis hoc agit* (nimirum te deprimit) *adjutor tuus eſt. Hoc enim agit, quod tu agebas, aut agere debuiſti*: gratúmque propterea animum induens erga ſuos contemptores, veluti erga homines de ſe optimè meritos, utpote qui ſe adjuvant in tanti momenti negotio, quanti eſt à terrenis quibuſque affectibus cor expurgare. Qualem D. Paulus teſtatur magni Legislatoris Moyſis ſenſum fuiſſe, cùm (*Ad Hebr. 11.*) *negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: majores divitias exiſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*: & qualem ſuum eſſe animum tum ipſemet prodidit illis ad Corinthios verbis: (*2. c. 12.*) *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis; in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto*; tum reliqui item Apoſtoli prodidêre, quando à Judæis cæſi *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam de-*

gni

gni habiti sunt, pro nomine JESU contumeliam pâti. (*Act. c. 5.*)

16. Denique, ut hactenus dicta breviter colligam, cui propositum est toto corde DEUM amare, amorémque suum à terrenis quibuslibet bonis avellere; ità conformare animum debet, ut nullam apud homines æstimationem, & gloriam seu appetat, seu oblatam libenter recipiat; sed potiùs aversetur, declinétque, &, quantùm potest, propulsare à se studeat: tanquam de infortunio suo dolens, si quando id sibi minùs è sententia successerit: excepto duntaxat, ubi proximorum utilitas eam cogit admittere: quod tamen tunc etiam invito animo, & ex mera alieni majoris boni voluntate faciendum illi est. At circa ignominias, suíque depressiones contrario prorsus modo debet se gerere; nunquam nimirum eas cum horrore, & aversatione animi intuens, neque aut trepidans, nè fors superveniant, aut iis supervenientibus ægritudinem sentiens: imò potiùs desiderans, ut omnes, quantùm citra culpam fieri potest, contemptim de suis rebus loquantur, séque minimi pendant, severè increpent, non sinè risu intueantur, & pro homuncione viliſſimo habeant. Unde juxta D. Joannis

Climaci dictum: (*Grad. 4.*) *Omni die, quo maledicta non sustinet, ingens detrimentum se fecisse arbitretur*, alteráque ex parte *objurgationes, & irrisiones, tanquam mel, & lac bibat*, congratulans sibi, si quis verbo, seu facto abjectam de illo opinionem præseferat, séque ità despicientis judicium plenissimè approbans, imò persuasissimum habens, minùs se ab illo contemni, quàm sua indignitas poscret, neque se purgans, suæque innocentiæ argumenta proferens, si falsò reus fiat: sed humili taciturnitate objurgationi suæ quodammodo assentiens, perinde quasi revera obnoxius objectæ culpæ esset, nihílque reponendum ad defensionem sui haberet: & de illa qualicunque sua ignominia intrà se exultans: quin imò in quovis alio genere, & loco abjectionem sui deditâ operâ, omnibúsque aliis artibus quærens, quas suprà universè probavimus: nisi tamen alicubi peculiaris quæpiam lex, aut incommodi, & detrimenti alieni timor obstaret, nec proinde unquam, nisi cum expresso sui moderatoris consensu. Nam alioqui solum judicii proprii ductum, & regimen sequens, falli pluries posset, neque satis discernere, ubinam, & quatenus prædictæ exceptiones vim habeant. Quibus for-

te

tè nova hæc adjungi insuper posset, nè scilicet omnimodum, extremúmque nostri contemptum apud illos etiam quæramus, qui arctiori nobiscum sanctæ amicitiæ, & spiritualis familiaritatis nexu junguntur. Cùm consentaneum rationi videatur, ut apud hos vel perfectissimæ humilitatis sectator in aliqua saltèm mediocri æstimatione ferat se esse, tanquam conditione, sinè qua deficeret vel amicitia, vel amicitiæ, & fraterni commercii suavitas.

17. Supereſt ad complementum materiæ, de qua scribimus, aliquid subdere circa aversationem, & fugam amoris humani, rem nimirum vix à præcedenti diversam. Cùm enim amari nequeat, nisì quod in aliqua æstimatione habetur; cui invisa est bona aliorum de se æstimatio, fieri non potest, quin ejus respectu aliorum quoque erga se amor displiceat; ubi tamen nollem, aliquis opinaretur, me loqui de quocunque amore, vel supernaturali, & rationibus divinis innixo, cujusmodi est universalis propter DEUM erga proximos charitas. De privato duntaxat, & merè humano amore sermo mihi est, nempe illo, qui vel ex innata genii propensione erga personam dilectam, vel ex observatis, pro-

batisque naturalibus ejusdem prærogativis oriri consuevit. Et hunc dico ab homine, qui alienam sui æstimationem, utpote amoris proprii pabulum, & divini impedimentum horrescit, iisdem de causis esse omnino aversandum, juxta exemplum integerrimæ Christi Sponsæ Gertrudis, quæ ùt vitæ ipsius monumenta testantur, *cavebat maximè nè cujusquam cor sibi attraheret, néve in ejus se insinuaret amicitiam, unde postea occasione à* DEO *detraheretur. Omnem enim amicitiam humanam, cujus animadvertere potuit causam, fundamentúmque non esse* DEUM, *ùt virus lethale horrebat. Unde adeò pro* DEI *zelata est amore, ut nè unum verbum tolerare æquanimiter posset, quod humanum redoleret amorem. Nam licèt maximè æquisset, obsequiis tamen, & beneficiis cujuscunque maluit carere, quàm admittere, ut humano favore cor cujusquam secum occuparetur.* (Insin. *Lib.* 1. *c.* 7.)

18. Quod porrò ad praxim sancti hujus odii pertinet, cui omnes implere illius numeros cordi est, sequentes sibi regulas sedulò observandas proponat. Prima est, nè ullo mortalium amari merè humanitus velit, ullóque artificii genere ad ejusmodi amorem sibi conciliandum utatur. Secunda, ut quem-

quempiam tali pacto erga se affici advertens, nè gratum id habeat, sed molestè potiùs ferat, ùt rem admodum periculosam, quæque suis illecebris à DEO abducere animam solet. Tertia, nè privatum illum alterius affectum ullo grati animi, & mutui amoris indicio, imò neque animadversum sibi esse ostendendo foveat: quin contra abolere, & extinguere modis omnibus curet, quàm rarissimè nimirum cum eo agens, neque blandè, & familiariter, sed frigidiùs, ac jejuniùs, quàm cum plerisque aliorum soleat, suósque illos præcipuè homini aperiens naturales defectus, qui illius refrigerare amorem, & alienare à se animum possunt. Quarta, ut veluti particularem hominũ erga se benevolentiam minimè appetit, sed reformidat potiùs, fugítque, nec delectationis, sed t istitiæ potiùs sensum indè haurit; sic eorundem à se abalienationem minimè timeat, & de ea dolendum sibi putet, sed in lucri veriùs loco, & pro lætitiæ materia habeat: aut si propter aliquam se aversantium culpam mœrere cogitur; mœror ille omnis nullum aliud objectum, nisì spirituale eorum malum respiciat. Quinta, ut, quandoquidem nîl pensi habet, quali naturaliter erga se voluntate, amicáne, an con-

traria homines sint; liberum perpetuò à servili quolibet aliorum respectu animum servet. Et omnes quidem, qua par est prosequatur reverentia, nullique justam præbeat alienationis à se causam; sed veluti hæc facit ex mero supernaturalis charitatis impulsu, non autem ex vili, & privato alienæ seu concilliandæ sibi gratiæ, seu malevolentiæ vitandæ respectu; sic nullo aut illius studio, aut hujus metu induci se sinat ad cujusquam perversæ voluntati obsequendum. Verùm, esto hi torvo vultu aspiciant, illi jurgiis, minisque obstrepant, faciat impavidè, quidquid justum factu esse videt: dicat securè, quidquid veritas, & ratio monstrat esse dicendum, jus falque tueatur, iniquitati obsistat, peccantium licentiam castiget, grande emolumentum existimans, divini obsequii causâ in hominum odia, & offensiones incurrere, juxta illud Euangelii oraculum: *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate.* (Luc. 6.)

19. Felix enimvero, qui magnanimitate modò dicta pedibus suppositerit, quidquid sentire de se homines possunt: nihil eorum se-

ve-

ve æstimationem, & benevolentiam, sive aversas voluntates, & siniſtra judicia pensi habens, imò de his gaudens, illáſque fastidiens. Quantam de corde ſuo moleſtiſſimarum perturbationum, timorum, anxietatum, ægritudinum ſylvam uno ictu præcidet? Quàm jucundam ſecuritatem, pacémque animi poſſidebit? Quàm expeditus, libérque erit ad ſeſe totum DEO, & ſanctiſſimo illius amori impendendum? Quemadmodum nullum eſt miſerius, viliúſque ſervitii genus, quàm animum alienis judiciis, ſenſibúſque obnoxium habere; ſic nulla ſuavior, & nobilior libertas, quàm iiſdem ſuperiorem omnino eſſe.

CAPUT XXX.

Inſignia quædam averſi ab humana æſtimatione, & gloria animi exempla.

QUàm enixè dignitatum ſplendor timeri, vitaríque à Chriſtianæ humilitatis ſectatoribus ſoleat, innumera fidem faciunt exempla, ſed inprimis hæc tria, quæ ex omnibus reliquis, tanquam totius generis ſpecimen

placuit seligere. Quis enim ex ambitiosissimis mortalium plus industriæ, & conatûs adhibuit, ut primarios honorum gradus conscenderet; quàm adhibuerint, nè ad eosdem eveherentur, sancti Gregorius, Ambrosius, Nilammo? Primus, cùm unanimi populi consensu ad supremum Ecclesiæ totius regimen capessendum se cogi videret, portásque urbis omnes, nè quà furtim elaberetur, diligenti custodia servari, invenit rationem tamen, destinatum honorem, & amica populi studia eludendi, dolio inclusum exportari extra urbem se curans, ínque deviam cavernam aufugiens, in cujus tenebroso recessu latitantem nulla fors hominum vestigatio reperisset, nisi lucidæ nubis supra cavum illud pendentis indicio fuisset à DEO proditus, ínque publicam Vaticani solii lucem eductus. (*Maerul. de Dict. & Fact. L. 1. c. 6.*)

2. Alterum itèm legimus, obtrusas sibi à Mediolanensi populo illius Ecclesiæ infulas usque adeò exhorruisse, & per quodvis famæ suæ dispendium devitandas putâsse; ut, quò earum sanctitate appareret indignus, nil dubitarit, gravissimus cæteroqui, & continentissimus vir, propudiosas mulieres suam in domum palàm inducere. Quæ simulatio cùm

cùm ad civium voluntatem de ſuo honore imutandam minimè valuiſſet; ſemel iterúmque ex urbe profugit, neque priùs repugnandi finem fecit, quàm manifeſtò agnoviſſet, electionem illam populi, ipſius electionem DEI eſſe. (*Ribad. in Vit.*)

3. Tertius denique eò proceſſit, ut Epiſcopatum, ad quẽ per vim potiùs ſe rapi, quàm precariò acciri videbat, ipſa morte graviùs timuerit; cùm enim perſpiceret, nullas ibi tergiverſationes ad eum declinandum prodeſſe; age, inquit, ſi certa animo ſedet, me Antiſtitem conſecrandi ſententia, priùs ſaltèm vacare orationi aliquantulùm ſinite; & tanta illi quidem cum precum efficacitate, atque inſtantia vacavit, ut qui ultimum hominis operiebantur aſſenſum, poſt diutinum tempus ad orantem ingreſſi, fato functum invenerint: humilis nimirum voti ſui compotem, & locò mortalis, quam deprecabatur gloriæ ad æternam, quæ una in amoribus illi erat, translatum. (*Sozom. L. 8. c. 19.*)

4. Neque ſolam, qui verè humiles ſunt, exteriorem dignitatum gloriam, ſed eam itèm, quæ ex propriis, intimíſque oritur excellentis doctrinæ, ac virtutis dotibus, conſueverunt refugere, ſive in loca ſecedentes, ubi

ubi ignota fuêre ejuſmodi illorum decora; ſive eorum ſplendorem artificioſis diſſimulationibus obumbrare conantes. Hinc Abbas Pynuphius, cùm videret ſe in ſuo cœnobio ſummam apud omnes venerationem obtinere, ejus odio clam indè profugit, & vulgari ſub amictu ad aliud diverſæ regionis cœnobium accedens, infimis precibus admitti inter Monachos petiit; ubi, cùm à nemine agnoſceretur, multa, priuſquam voti compos fieret, neceſſe habuit ludibria exſorbere: objicientibus paſſim, quòd vita omni inter ſæculi voluptates traducta, quando illis frui ampliùs per ſenectam non licebat, ad DEI ſæmulatum accederet, neque id ſanctioris vitæ deſiderio impulſus, ſed ut certus in poſterum ſibi victus citra curam, laborémque illius comparandi præſto eſſet. Tandem receptus juniori fratri, penes quem horti colendi cura erat, ſubeſſe, ac ſervire juſſerunt. Et in hac tam humili ſubjectione venerandus ſenex triennium quaſi lucerna ſub modio tranſegit, quidquid laborioſi, & ſordidi operis ſibi injungeretur, ſolertiſſimè peragens: tantò latentior, quantò ab omni hominum fama, & notitia remotior, donec quidam ex prioris cœnobii ſui Monachis illac fortè tranſiens hortem-

tenſi miniſterio intentum agnovit : procidénſque ad illius pedes, humilem hunc olitoris adminiſtrum illum eſſe publicavit Abbatem Pynuphium, cujus tam celebris tota Ægypto fama erat, ingenti cum admiratione omnium, qui rem adeò inexpectatam audierunt, ſed majori cum mœſtitia ipſiuſmet Pynuphii : qui amariſſimè lugens, diaboli invidiâ ereptam ſibi eſſe latentis, abjectæque illius vitæ felicitatem, coactus eſt ad priſtinum cœnobium reverti, & tanta ibi cum gratulatione à veteribus ſuis filiis exceptus, quantam priùs ægritudinem animi ex illius fuga, atque abſentia perceperant. (*Caſſ.* L. 4. *c.* 30. *& Coll.* 20. *c.* 1.)

5. Imitator Pynuphii, in fallenda latebris hominum fama, fuit Matthæus, vel (juxta nomen in religioſa vita adoptatum) Auguſtinus Iteranus, præcellens Juris-Conſultus, nec exiguæ apud Regem Manfredum dignitatis, & gratiæ; hic Chriſti conſilium de humanis rebus abdicandis ſecutus, inter D. Auguſtini Eremitas poſtulavit adſcribi, nullo interim ſui generis, ſuæque conditionis prodito indicio. Quare, velut homini illiterato, & vulgari domûs verrendæ, panis oſtiatim emendicandi, aliáque ſimilia abjecta mu-

ne-

nera demandata sunt: quibus mundi egregius contemptor tanta cum animi voluptate fungebatur, ut beatitudinem in terris sibi nactus videretur: nisi quòd per occasionem, quam expositurus jam sum, examica illa sui nominis obscuritate ad hominum tandem notitiam emersit. Urgebatur cœnobium lite gravis momenti, &, quamvis jura pro se facerent, à sinistro illius exitu proximè aberat. Quod periculum, & fratrum inquietudo Augustinum movêre, ut, quantum pro virili sua parte posset, laboranti suorum causæ opem ferret. Justissima igitur charitate impellente, ad procuratorem domesticum adit, rogátque, ut otium, & facultatem sibi præbeat, paucula verba de instanti negotio scribendi. Mirari ille primò, & ridere hominis simplicitatem, quem neque tractâsse unquam calamum sciret; nihilominus, ne qualecunque illud solatium poscenti denegaret, chartæ copiam, atque calami fecit, ex magno quidem causæ jam propemodum depositæ usu. Cùm enim vir juris scientissimus illius æquitatem brevi, sed ponderosa dissertatione exposuisset, rogâssétque Procuratorem, ut adversario, qui Jacobus de Pagliarensiis erat, exaratum à se folium ostenderet;

ret; admiratus hic majorem in modum doctrinam, atque ingenium scriptoris, temperare sibi non potuit, quin exclamaret: dissertationem hanc contexere non potuit, nisi vel diabolus, vel cæleſtis spiritus, vel Doctor Matthæus de Iterano, meus olim in Academia Bononiensi sodalis. Et subjiciente Procuratore, elucubratam à fratre Laico, & idiota fuisse; nunquam id credam, respondit. Certum est, velle authorem quamprimùm videre. Profectus ergo ad cœnobium, suúmque ibi veterem condiscipulum recognoscens, mira cum aviditate, & lætitia in illius se amplexum effudit, nec, quamvis ab eo impensissimè oratus, sineret se ignotum, ut eatenus fecerat, humili quiete sua frui, cohiberi potuit, quin ad religiosos illius sodales conversus diceret: gratulor vobis Patres de thesauro, quem domi habetis. Videtis hunc hominem? nemo est omnium, quotquot in terris nunc vivunt, comparari cum eo dignus, charum pro meritis suis habetote, & ad litem quod pertinet, illius sententiam jam nunc secundùm vos pronuntiatam putate. Qua tam illustri testificatione accepta, quamvis cœnobii Patres aliis jam deinceps oculis, alióque cum animi sensu DEI famulum intuerentur,

illo

ille tamen demissionis pristinæ retinens, nihil de humili suo statu immutatum voluit, sed perrexit cum eadem, qua priùs alacritate in abjectis, & servilibus ministeriis versari. (In *Vit. Erem. D. Aug. L. 1. c. 7.*)

6. Digna quoque memoratu est industria, qua Joannes Baptista Carminata, insignis in nostra Societate DEI famulus, extinguere, aut saltèm minuere post suum obitum studuit opinionem, in qua vulgò erat, extraordinariæ virtutis. Ad ultimam quippe senectutem provectus, paucis antequam è vita migraret diebus, obsignatum domûs Præposito libellum obtulit, arcana contineri in eo dicens, quæ sciri è gloria DEI esset, sed tamen non recludi ante mortem suam cuperet. Hacigitur paulò pòst subsecuta, Præpositus gravissimis Patrum convocatis, expositóque, quid à Carminata vivente commissum sibi esset, illius folium resignat, indubitanter cum omnibus aliis existimans, singulare aliquod ibi referri acceptum à DEO munus, quod ille modestiæ suæ obsequens noluisset ante id tempus patere. Sed enimvero omnes fefellit opinio; nihil quippe aliud in libello exaratum legebatur, præter puerilem levitatem, qua olim adhuc tyro è Societate abierat, & inte-

fis-

ſtinum libidinis bellum, quo ad decrepitam uſque ætatem vexatus importuniſſimè fuerat. Quæ cùm recitata à Præpoſito eſſent, confuſi, séque mutuò reſpectantes, qui aderant, locò revelationum, & viſionum cæleſtium, quas ſe aduituros præceperant animis, eximiam demirati humilitatem hominis ſunt, tum in illis ſui animi infirmitatibus, & miſeriis palàm prodendis, tum in curando, nè ullis crederetur extraordinariis chariſmatibus à DEO unquam decoratus fuiſſe: cùm nihil ejuſmodi indicatum vellet, nè illo quidem tempore, quo extra omnem inanis gloriæ aleam, & formidinem erat, quoque etiam ſtudioſiſſimi humilitatis ſectatores non admodum ſoliciti ſunt, nè ſua decora famæ innoteſcant. (*Rho. Hiſt. Virt. L. 7. c. 10.*)

7. Neque minùs averſos ab æſtimatione hominum, déque illa comprimenda ſolicitos ſe exhibuêre magni duo Abbates, Simeon, & Moyſes: qui ambo, cùm diverſis temporibus audîſſent Præfectum provinciæ ſanctitatis ſuæ famâ permotum, ad ſe inviſendos venire; rationem excogitârunt, qua hominem ad ſui contemptum ab honorifica illa opinione traducerent. Prior ſiquidem, in ſuæ cellulæ foribus ſedens, cùm jam ille in

conſpectu eſſet, pane, atque caſeo ſeſe avidè ingurgitare ritu trivialis mendicabuli inſtitit; unde factum, ut hoſpes, qui hominem Angelorum ſimilem, nec nisì divina, & cæleſtia ſpirantem ſe viſurum mente præſumpſerat, ſordida illa ſpecie offenſus, eo intra ſe deſpecto, ac nè ſalutato quidem, domum redierit. (*Rodr. p. 2. tr. 3. c. 17.*) Alter verò, egreſſus adventanti obviam, cùm abeo utpote ignotus de facie rogaretur, ubinam Abbas Moyſes degeret, admirari ſe oſtendit, quòd vir tantæ authoritatis id itineris, atque incommodi ſuſcepiſſet, ſenem prorſus fatuum viſurus: tot inſuper alia in ſui depreſſionem adjiciens, ut Præfectus priſtina ſua credulitate damnata, retro illicet greſſus averterit, dicens illis, qui ſibi Abbatem Moyſem olim laudaverant, à Monacho, cui notus intimè homo erat, longè diverſa ſe de illo accepiſſe, & in falſa hujuſmodi perſuaſione manſurum porrò erat, nisì ab iiſdem rogatus: quanam corporis ſpecie eſſet Monachus, relationis novæ author? poſt eam rite deſcriptam, illum ipſum eſſe Abbatem Moyſen audiſſe. (*Marul. de Fact. & dict. L. 1. c. 4.*)

8. Sed omnes alios ſupergreſſus in hoc genere videri poteſt memoratus ille à Sulpi-

tio

tio Severo DEI famulus: qui cùm ægrotis sanandis, & dæmonibus abigendis, aliisque prodigiosis operibus tam insignem sanctitatis famam collegisset, ut miri undique ad eum fierent concursus, neque tantùm è vulgo homines, sed & summates viri, & Ecclesiarum Antistites magni muneris locò ducerent sibi ab eo benedici; timere non immeritò cœpit, nè inanis gloriæ spiritus, omnibus sibi detestabilior malignis orci spiritibus, quos ab obsessis aliorum corporibus unquam ejecerat, per occasionem popularis illius auræ animũ suum occuparet: quapropter ad removendam hujus periculi causam, quæ erat publica illa sanctitatis suæ opinio, enixè à DEO petiit, dæmoni ut facultatem permitteret, corpus suum invadendi, omnibúsque iis intemperiis vexandi, quibus cæteros passim energumenos vexare consuevit: ut mox homines dirè adeò exagitatum funibus tanquam furiosum constringi, & ad exorcismos audiendos duci intuentes, pristinam erga eum reverentiam in commiserationem mutarent, neque ampliùs opis gratiâ ad illum confugerent, qui nihilo aliis minùs ope indigeret. Cúmque huic petitioni suæ DEUS annuisset, toleravit ad plures menses hilari animo omnem tarta-

rei hoſtis ſævitiam: qui illius æſtimationem apud homines deprimens, quanquam pater ſuperbiæ, ad ſolidiorem humilitatem adjumento ipſi erat. (*Dial.* I. *n.* 14. *& Sur. in Vita S. Sever.* 8. *Jan.*)

9. Adhuc tamen ulteriùs in perfectæ humilitatis ſectatoribus abjectionis ſui amor progreditur, neque contentus, eos impellere ad humanæ gloriæ averſationem, & fugam; facit præterea, ut contemptum apud homines quavis ſeu ſordidi generis, ſeu ignobilium actuum, ſeu naturalium, & moralium vitiorum de cauſa venentur, prout obſervare fas erit in exemplis ſequentibus. Et quantùm ad libere detegendam ſuorum obſcuritatem natalium, próque lucro habendum, quid quid indè apud vulgus dedecoris provenit, memoratu digni videntur duo ex noſtra Familia Sacerdotes, Franciſcus ſcilicet Villanova, & Franciſcus Sacchinus; quorum poſterior, editis in lucem ingenii monumentis ſat notus, cùm illuſtrem apud cœtum diſſerenti pater ſuus Romam patrio è rure advectus ſuperveniſſet, non erubuit hominem paupertino, & ſqualenti corporis habitu cujas eſſet, præferentem, ibi coram omnibus exhibitâ filii reverentiâ excipere, móxque

per Collegii Romani ambulacra, & atrium multa nobilitate frequens circumducere, notis omnibus tam externis, quàm domesticis, prout occurrerent, hilari vultu indicans, patrem suum esse. (*In Præf. p. 5. Hist. Soc.*)

10. Villanova autem, quàm humili loco, & tenui in re natus esset, publicum toti Placentiæ specimen dedit, cùm nostri Rector foret in ea urbe Collegii. Ædificabatur hoc jussu, & sumptibus Præsulis Guttieri Caravatii: qui videns fabricam lentiùs, quàm vellet, procedere, eò quòd non satis aquæ ad necessarios illius usus præsto esset, quæsivit ex Villanova, num aliquem domi haberet ad eam ex publico urbis fonte dorsuario jumento vectandam idoneum. Habeo, retulit ille, commodùm quippe domo huc advenit Martinus Timon meus frater, vir rusticanus, & ad præsentem usum, quàm qui maximè appositus, utpote qui ejusmodi ministeriis à puero assiduè operam dederit. Et licèt Episcopus, vir civilis decoris apprime studiosus, rei mentionem animo, auribúsque aversaretur; tam enixè tamen instítit humilem eam provinciam fratri deposcere, ut postremò impetraverit; perrexítque ergo ad aliquod tempus bonus Timon, squalidus, pannosus, de-

missus asellum suum aquâ onustum agere sub oculis civium, qui, alter alterum respectantes: en Rectoris Villanovæ fratrem, ajebant. (*Hist. Soc. p. 2. L. 1. n. 129.*)

11. Plurimos præterea his possem subjungere, qui sui contemptum vel non timentes, vel etiam affectantes, demiserunt se ad actus vulgò contemptos, quia non nisi ab infimæ sortis hominibus exerceri solitos. Possem præclarissimum Theologiæ lumen D. Thomam Aquinatem, qui Bononiæ cùm esset, religioso advenæ opus habenti negotiorum causâ hac illac per urbem discurrere, non modò se comitem, tanquam unus è fratrum Laicorum ordine adjunxit, verùm etiam pluries ab eo stimulatus indignantibus verbis, ut gressum acceleraret, quantam poterat, suæ imbecillitati vim fecit, suadénsque, & anhelans assequi præcurrentem contendit, donec is commonefactus à civibus, quantus vir esset, quem ipse adeò imperiosè, & contemptim secum raptabat, veniam à socio, cujus incomperti antea humilitatem admirabatur, ignorationis suæ petiit. (*In Vita ap. Sur.*)

12. Possem Franciscum Gonzagam Castilionis Principem, & B. Aloysii germanum fratrem, qui cùm quempiam popularium

crioribus verbis accepisset, reputans deinde secum, hominem illum, quamvis fortunâ sibi subditum, naturâ nihilominus parem, & respectu spiritualis in Christo cognationis fratrem suum esse; non dubitavit, exemplo aulis ignoto, nec profanæ placituro Politicæ, ante subjecti pedes Principem sternere, pristinæque in loquendo superbiæ veniam ab eo humiliter petere. (*Rho. Hist. Virt. L. 7. c. 10.*)

13. Possem Gallicanum, magni Constantini Cæsaris generũ, qui post duos consulatus ad Ostia Tiberina secedens, totum se hospitum, & ægrotantium obsequiis devovit: mira adeò cum submissione lutulentos inopum pedes lavans, mensam ponens, & alia id genus abjecta ministeria obiens; ut rei famâ latè per orbem diffusâ, multi undique terrarum eò confluerent, mundani fastûs tumorem splendidè adeò à Christiana humilitate triumphatum, protritúmque visuri. (*Marul. L. 1. c. 5. & Bart. in Not. Mart. 25. Jun.*)

14. Possem Carolomannum, Caroli Martelli filium, qui è regali Sueviæ, Austrasiæque solio ad monasticæ vitæ humilitatem descendit: & populorum nuper rector, conspectus est in monte Cassino ovium pastorem age-

re, quin & unam ex iis infirmam, ægriúsque incedentem, ſuiſmet humeris ad ſtabulum deportare. (*Plat. de Bon. Stat. Rel. L. 2. c. 26.*)

15. Poſſem D. Ludovicum Galliæ Regem, ſolitum quovis ſabbato abluere, extergere, & oſculari aliquot egenorum pedes: feſtis verò diebus non priùs menſæ accumbere, quàm ducentis pauperibus cibos manu ſua præbuiſſet: ac demum, quandocunque urbem aliquam ingrederetur, publicum noſocomium adire, & genibus ante unumquemque ægrotantium flexis dapes ei miniſtrare: Chriſtiana magnanimitate deſpectis fatuorũ hujus ſæculi ſapientûm cenſuris, qui regiam majeſtatem ſervilibus id genus miniſteriis ab eo dehoneſtari jactabant. (*Ribad. in Vit. & Daurou. in Fl. Ex. c. 7. tit. 30.*)

16. Poſſem S. Edvardum Anglorum Regem: ad quem cùm ſupplex adîſſet mendicus, enormiter diſtortus, contractúſque, ut crura in dorſum reflexa, pedum articulis intrà carnem defoſſis hærerent, cùm hoc, inquam, hominis monſtrum ad eum confugiſſet, orans, ut ſe humeris exceptum in D. Petri Baſilicam regiis ædibus vicinam deportaret: beatum quippe Apoſtolum promiſiſſe, ſi pium id officium Rex præſtitiſſet, naturalem

lem membrorum usum continuò sibi redditum iri; nihil moræ interposuit, quin protinus homuncionem tetrum, squalidum, graveolentem de media via in humeros tolleret, ac fœdissimam sarcinam coram aulicis, & popularibus, tantæ novitatis spectaculo attonitis, aliisque stomachantibus, aliis Regis sui vicem erubescentibus, ad prædictum templum deferret: promeritus tam heroicæ demissionis exemplo, ut mendicus integram extemplo valetudinem, juxta D. Petri promissum, recuperaret. (*Ludov. Granat. Conc. 3. de S. Petro.*)

17. Possem hos, inquam, aliósque plurimos hìc recensere: sed quoniam inepta vulgi judicia, vanásque derisiones flocci pendere decus est, non minùs ad humanam sapientiam, & magnanimitatem philosophicam pertinens, quàm ad Christianam demissionem, quæ tunc maximè proprium sui specimen præbet, cùm quis gaudet etiam intrinsecùs apparere suorum vitiorum, & defectuum merito vilis, concludam præsens caput paucis quibusdam in hoc itèm genere depressionis adamatæ, & volitæ exemplis. Degebat in sacro Tabennensi Gynecæo virgo, Isidora nomine, sororum omnium judicio amens,

& ſtolida, ideóque obſoleti, & ſupervacui panniculi inſtar ad ſordidiſſimos quoſque cœnobii uſus adhibita, nemine eam alloqui dignante, nisi ut ludos faceret, & deridiculo haberet. Sed nimiùm quàm diverſa ab humanis opinionibus judicia DEI ſunt: qui profundam illius ſubmiſſionem aſpiciens, in ea fatuitatis ſpecie præſeferenda, excipiendiſque hilari animo tot, quibus aſſiduè vexabatur, ludibriis; revelavit pio Eremitæ, cui nomen Piterius, gratam quidem ſibi eſſe, quam ipſe in deſerto ageret vitam, ſed gratiorem, quam Parthenonis Tabeñenſis virgo, ab innato ſui ipſius, & creatarum rerum amore ſejunctiſſimam in continua humilitatis, patientiæque exercitatione ducebat. Iret ad Parthenonem prædictum, & quam inter quadringentas ſorores vidiſſet inſolito diademate ornatam, eam ſciret reliquis omnibus, ſibíque ſanctitatis prærogativâ antecellere. His auditis nihil moræ interpoſuit Piterius, quin eò iter ſuſciperet, appulsúſque, & pro celebri ſui nominis fama gratulanter exceptus, Monachas omnes coram ſe adunari curaret. Sed enimvero ſingularum capita diligenter obſervans, nuſquam cernebat prænuntiatum diadema, unde poſſet ſibi unicè quæſitam dignoſ-

gnoscere. Quare ad Antistitam versus, nullane, inquit, sororum hic deest? Nulla, responsum est, præter unam, quam utpote amentem, & stolidam seorsum à reliquis habemus, neque huc accersendam putavimus, nè suis fortè ineptiis ridendi ansam præberet. Atqui advocetur & ipsa, subjecit Piterius: cupio enim, qualiscunque sit, præsentem videre. Quæ cùm timida, & pudibunda adfuisset, cernens illius caput, præter aliarum morem, sordido, & vili panno obvolutum; conjecit haud dubiè, hoc illud diadema esse, quo præcipuam inter Christi sponsas designari audierat: & ad illius nequidquam repugnantis pedes provolutus, ut sibi bene precaretur, rogavit. Mirum id præter modum aliis omnibus visum: quæ & ad primum ejus adventum à risu temperare non potuerant, nihilque præstolabantur avidiùs, quàm ut hospes talem deprehenderet, qualem ipsi descripserant. Quocirca aggressæ protinus sunt ab inexpectata illa honoris significatione hominem deterrere, uno ore clamitantes: hem quid agis Pater? Túne ut ad hujus pedes procumbas, faustáque illius apprecatione communiri petas? Itáne non satis tibi indicavimus, impotem mentis eam esse? At

vir

vir ſanctus vultu ad ſeveritatem compoſito, imò vos, ait, mentis viduæ eſtis, quæ nondum intellexeritis, quanti pretii theſaurus veſtro Parthenoni in hac virgine obtigerit. Quod ad me attinet, fortunatus mihi viderer, ſi mea ſupremo Judici anima æquè, ac illius meritis, & virtutibus locuples appareret. Quo viri tam venerabilis teſtimonio commotæ omnes, cœperunt ſe accuſare de injuriis, quibus ſuam malè eatenus cognitam ſororem affecerant. Atque hæc dicebat: ego aquam ſordido vaſi eluendo adhibitam in illius caput effudi; illa: ego ſinapi dormientis nares opplevi: aliáque aliæ ſimiliter referebant ludibria, quibus immerentem vexârant: certatim ab ea veniam flagitantes inhumanitatis præteritæ, nec minùs honorificè cum ea agentes in poſterum, quàm procaciter antea & contemptim egiſſent. At fidelis Chriſti Sponſa, quæ priſtinas inter contumelias erecto, hilaríque animo perduraverat, novam, in qua communiter habebatur, venerationem diu ferre non potuit: judicánſque, nequaquam ſua è re illam ſedem jam eſſe, paulò pòſt indè profugit, adeò clam omnibus, ut reſciri nunquam potuerit, quas in latebras ſe abdidiſſet. (*Spec. Ex. Diſt. 2. Ex. 182. Pallad. Hiſt. Lauſ. 41. & 42. Rad. p. 2. Virid. Sanct.*)

18. Quid

18. Quid dicam de Eulalio, similiter quoque à nonnullis sodalium Monachorum exercito? Tanta hi perversitate animi erant, adeóque contra jus, & fas omne illius abutebantur virtute, ut, si fortè vas aliquod per incuriam fregissent, aut quid simile in cœnobii detrimentum peccâssent, eum illico apud Abbatem commissi reum facerent; neque cùm post malignas hujusmodi criminationes, de culpis objurgaretur non suis, ulla defensione eas repellebat insons Eulalius: sed humi procumbens, se omnium, quotquot domi essent, nequissimum, nullâque non dignum animadversione fatebatur. Quoniam verò frequens plùs nimiò, & penè quotidianus erat hic ludus, post gravissimas ipsi pœnas impositas de iisdem semper noxis accusari pergebat; præcipui quique Monachorum instare apud Abbatem cœperunt, ut eum è cœnobio missum faceret, cui nimiùm noxius erat suâ socordiâ: præsertim quòd toties castigatus nullum melioris frugis exhibebat indicium. Et fortasse evasissent postulati sui compotes, nisi DEUS & privata revelatione Abbati, & publico universis ostento palàm fecisset, quanti apud se meriti is foret, de quo ejiciendo ipsi agitabant consilia. Unde &

ad-

adversarii pudore affecti sunt, & tantò ipse glorioſior evaſit, quantò priùs fuerat deſpectior: ſed tantò etiam minùs præſenti honore, quàm priori ignominiâ contentus fuit, ut fugam è cœnobio arripuerit, procul ab hominibus, & omni eorum celebritate, atque gloria in eremo victurus. (*Roſw. in Vit. Patr. pag. 502. ex Ruf. L. 3. n. 29.*)

19. Multò adhuc gravius fuit crimen S. Marinæ Virgini affictum, ideóque mirabilior etiam humilitas, qua turpiſſimam ejus infamiam, non modò objecta minimè inficians, verùm etiam hilari animo excipiens, & quantùm fas erat confirmans, ad plures annos ſuſtinuit. Cùm enim virili habitu ſexum diſſimulans, Monachorũ cœnobium ingreſſa eſſet, ibíque illuſtribus virtutum documentis, & prodigioſis operibus non vulgarem ſibi apud omnes ſanctitatis famam comparâſſet, invidiâ diaboli accidit, ut virgo, hominis filia, qui Monachos excipere domi conſueverat, quando pro cœnobii uſu ad urbem mittebantur, deprehenderetur uterum ferre, patríque inſtanter de authore flagitii quærenti, à Marino Monacho violatam ſe diceret. Pater indicio nimis credulus, tanquam in re minimè dubia, irarum plenus curſim ad cœ-

no-

nobium provolat: ipsóque à vestibulo vociferans, & horam detestans, qua Monachos admittere domi cœpisset, accersiri Abbatem jubet. Qui simul in conspectu fuit, en, exclamat: pulchram mercedem, quam mihi pro tot annorum hospitio solvistis! Marinus ille, omnium, quotquot terra sustinet, mortalium scelceratissimus, filiæ meæ stuprum, & inexpiabilem familiæ universæ ignominiam intulit. Abbas inopinatissimæ rei atrocitate confusus, quamvis inducere non posset animum, ut veram crederet, Marinum properè evocat, præsentíque, cujus culpæ reus ageretur, proponit: injuriam hospiti factam, & dedecus cœnobio inustum tragicè exaggerat, tum, si quid pro se haberet dicendum, afferre in medium jubet. Cúmque nihil respondentem audiret, nisi se hominem naturâ in lapsum proclivem, & peccatis obnoxium esse, cæterùm objecti indignitatem facinoris liquidò agnoscere, nec recusare, quin quamcunque pro eo pœnam lueret; Abbas responsum pro manifesta delicti confessione accepit, conviciisque oneratum è cœnobio, tanquam illius probrum, ac dehonestamentum ejecit. Duravit ergo per triennium Marinus ante fores cœnobii diu juxta, atque no-

noctu perstare: interrogatúsque ab externis, eò subinde advenientibus, seu illac transeuntibus, quid ibi semper sub dio ageret; luxuriæ causâ expulsus domo sum, respondebat. Neque parùm auctus est illius pudor, post puellæ, quæ vitiata ab eo dicebatur, puerperium. Pater quippe recentem fœtum arripiens, juxtáque ipsum deponens, hic est, inquit, nefariæ tuæ libidinis fructus: ad te, cujus scelere est genitus, illius quoque educandi onus spectat. Et quamvis post triennium Abbas, Monachorum precibus victus, DEI famulam unà cum supposititio suo filiólo intrà cœnobium recepisset, non tamen vel tunc factus est abjectioni illius modus: donec à DEO ad cælestem gloriam, heroicæ humilitatis præmium, evocata, dum sepeliendum de more ablueretur cadaver, non sinè incredibili omnium admiratione fœmina apparuit impos nimirum patrandi, vel si maximè voluisset, flagitii, cujus quasi perpetrati ignominiam tacita, imò etiam confitenti similis, tamdiu toleraverat. (*Sur. in Vit. 8. Febr.*)

)(o)(

CA-

CAPUT XXXI.

Num ad ſummam divini amoris perfectionem attineat, circa interiora etiam bona amori ſui ipſius repugnare, fugiendo quidquid naturæ hominis, eſto ſanctum, ac ſpirituale, arridet: & ſententia negans ſtatuitur.

VIdimus hucuſque, animam à perfecto DEI amore impelli ad omnem terrenorum bonorum amorem à ſeſe excludendum, imò etiam capitale adversùs illa odium ſumendum: ità ut non modò quemcunque eorum uſum repudiet, verùm etiam, quidquid iiſdem contrarium eſt, ſectetur, atque eligat. Videndum porrò eſt, num ab ipſo impellatur ad idem faciendum circa ſpiritualia etiam quædam bona, quæ una ex parte neque intrinſecè pertinent ad ſubſtantiam virtutis, neque omnino neceſſaria illius ſunt inſtrumenta; ex altera verò, utì hominis genio jucunda, poſſunt facilè ſui ipſorum potiùs, quàm DEI reſpectu à nobis amari: cujuſmodi ſunt dulces, ac liquidi rerum divinarum ſenſus,

ſpiritualium luminum, & gaudiorum uber-
tas, quies perduellium affectuum, charitatis
fervor, propenſio, & alacritas ad exercitati-
onem virtutum, contemplationis ſublimitas,
raptus animi à rebus corporeis, viſiones, &
revelationes arcanorum cæleſtium, aliáque
id genus gratuita DEI beneficia: adeò ut, cui
perfectè DEUM amare cordi eſt, nullum ex
hujuſmodi bonis quærere, optare, & preca-
ri ab eo debeat; ſed potiùs, quantùm in ſe eſt,
velle, & eligere iis prorſus contraria, cru-
ces nimirum interiores, mentis tenebras, a-
riditatem, ſtuporémque in orationis uſu, in-
quietudines animi, oppugnationes dæmonis,
exercitiorum ſpiritualium tædia, proclivita-
tem ad vetita, & noxia, difficultatémque, a
reniſum interiorem, dum recti quidpiam a
gendum ſe offert.

2. Et rationes, quibus id perſuaderi vi-
detur, eſſe poſſunt: quia primò nunquam lo
culentius amor ſui ſpecimen præbet, quàm
inter difficultatum obices, & ubi pro amat
plus patiendum eſt. Atqui DEO famulari,
quando nulla inſtant cum perduellibus natu-
ræ motibus ſubeunda certamina, ſed animus
immotæ quietis malaciâ, & cæleſtibus oble-
ctamentis perfruitur, prona factu cuique re-
eſt.

est, nec extraordinariæ virtutis robore indiget, sed ei præstandæ etiam tenuissimus amor sufficit: cùm nempe in ejusmodi statu plus accipiat homo, quàm tribuat, nec tam DEO ipse, quàm ipsi DEUS servit. *Non est magnum* (scribit Thomas à Kempis) *humanum non quærere solatium, cùm adest divinum. Magnum est, & valde magnum tam humano, quàm divino carere posse solatio.* (L. 2. c. 9.) Adde quòd, cùm spirituales deliciæ multò suaviores corporeis oblectationibus sint; timendum valde est, nè animus earum dulcedini plùs æquo adhæreat, & potiùs horum munerum causâ, quàm ex puro ipsius amore deserviat. Quales erant illi Judæi, quibus exprobravit Christus, quòd ad se accederent, neutiquam divinæ suæ virtutis, personæque admiratione illecti, sed cibi aviditate impulsi, quo eos paulò antè expleverat. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducâstis de panibus, & saturati estis.* (*Joa. c. 6.*) Adde insuper, quòd prædicta animi bona, licèt magno sint se fruentibus adjumento, ut alacriùs ad Christianam perfectionem incumbant, nemini tamen usquequaque necessaria ad consequendam eam sunt; cùm divinæ charitatis ardor plus habere virium possit in corde, ad

ſpeciem remiſſo, & frigente, quàm in altero, quod ſenſibili fervore totum exæſtuet; ſimilis fonti Ammonis in Africa, (*Curt. l. 4.*) cujus aquæ plus caloris nocturna inter frigora, quàm ſub meridiani ſolis ardore concipiunt. Unde fit non rarò, ut & DEUS ad ſervos ſuos magìs perficiendos omnem illis ſenſibilium hujuſmodi fructuum guſtationem ſubducat, & malus contra dæmon quàm uberrimam eorum copiam iiſdem circumveniendis, & nimiâ hebetandis ſaginâ ſuppeditet. Quidni ergo providè facturus ſit, qui ſuſpectum habeat, devitétque illud pabuli genus, quod & cæleſtis Pater majoris boni gratiâ ſuis filiis ſubtrahere, & hoſtis tartareus nocendi ſtudio offerre iiſdem conſuevit? Adde poſtremò, quòd, teſte Salomone, propria ſingularum rerum ſunt tempora, quibus ſcilicet congruens, & extra quæ importunus earum ſit uſus. *Omnia tempus habent. Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus belli, & tempus pacis.* (*Eccle. c. 3.*) Atqui vita præſens, ſi Jobum audimus, nequaquam tempus eſt otiandi, ſed certandi cum ſalutis noſtræ hoſtibus, pérque dimicationes, & labores ſecuræ poſthumæ immortalitatis vitæ gaudia acquirendi. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* (*c. 7.*)

(*c. 7.*) Quamobrem prudentioris consilii videtur, corporis, animíque oblectamenta in illud magìs proprium eorum tempus differre, nullúmque in præsenti ærumnarum, & perpessionum genus recusare, quo eorum pleniorem mercedem promereri possimus, Xerxis exemplo, qui quosdam sibi oblatos Græciæ fructus degustare noluit, (*Plut. in Apopht.*) suaviores sibi dicens futuros, posteaquam regionem, in qua gignebantur, suam vi armorum feciſſet. Et confirmantur rationes prædictæ Christi Domini exemplo: qui absolutum nobis relicturus specimen masculæ illius, perfectæque charitatis, quæ probari rebus asperis gaudet; in Gethsemani horto omni se fraudavit delectationis sensibilis gustu, sanctissimam suam animam intrà imensum tristitiæ pelagus mergens, adeò ut præ angoris, quo conficiebatur, immanitate sanguinem sudaret, & ad mortis usque metas accederet. Quare qui ipsum ex animo diligit, fieri non potest, quin hoc etiam in vitæ suæ actu esse illi similis cupiat: erubescens vel spiritualibus gaudiis frui, dum eum videt tam extremo conflictari mœrore. Qualem fuisse inter alios accepimus Seraphicam Virginem Mariam Magdalenam de Paz-

zis, quæ præ ſtudio divini ſui Sponſi imitandi, *multis ante obitum annis, univerſis cœli deliciis, quibus copiosè affluebat, heroica virtute renuntians, illud frequenter in ore habebat: pati, non mori.* (*In Lect. Brev.*)

3. Quidnam ergo ad controverſiæ deciſionem dicendum? Dico primò: perfecto DEI amatori exuendum eſſe omnem naturalem affectum erga prædicta animi bona; adeò ut illa non appetat propter delectationem, quam afferunt, neque iis nimiùm adhæreat, aut ægre ferat, ſi quandoque deficiunt: ſed circa eorum copiam, vel inopiam, majoremque, aut minorem menſuram ex divina voluntate totus pendeat: huic ſeſe in quovis eventu omnimoda, & ſemper pari cum quiete ſubjiciens, utpote qui neque perfectior, meliórque eſſe vult, quàm cæleſti ſuo Domino placeat.

4. Affirmo ſecundò, proprium amoris divini eſſe, impellere animam ad fugiendas potiùs, quàm quærendas, quæ prædictis ſunt bonis adverſantur, ſpirituales miſerias: diabolicos nimirum ad turpia facinora impulſus, alienationem animi ab exercitiis virtutum, inordinatos pravarum affectionum motus, mentis obſcuritatem, inquietudines, ac-

mo-

mœrores de rebus terrenis, tædiáque, & ariditatem inter conversandum cum DEO. Probatur id primò universè, tum quia hujusmodi mala perturbant interiorem animi statum, corrumpúntque bonam, & perfectam animæ habitudinem, ad quam debet ipsa, juxta legitimum sui amorem, omni sese cura, atque studio componere: tum quia præcipua sunt illius impedimenta, nè DEUM ex toto corde, & ex totis viribus diligat: cùm eorum causa difficillimum, ac penè impossibile experiatur, de ipso assiduè cogitare, crebros, flagrantésque erga ipsum amoris actus elicere, & cum ea, qua par est, voluntatis plenitudine aggredi, quæcunque ipsi maximè arrident. Quamobrem nullo modo apparet, quinam possit DEI amor incitare animam ad volendas potiùs, quàm vitandas has perturbationes, atque sui obstacula. Et confirmatur primum hoc universale argumentũ sumpto à divitiis, & terrenis aliis rebus exemplo: quas fugiendi nulla alia spiritualibus viris est ratio, nisi quia vetant animam DEO uni totam vacare: nullóque alio vetant pacto, nisi quatenus instinctus peccandi, pravas cupiditates, mentísque distractiones in ea pariunt: nempe illas ipsas interiores ægritudines, de

quibus in præsenti nobis est sermo; unde etiam nulla est adversariis jam facultas reponendi, amorem tantò magis excellere, quantò inter graviores difficultates, & majora exercetur impedimenta: ac proinde cupientibus, quàm perfectissimè DEUM amare, justam causam adesse, cupiendi itidem, quidquid obstat suo amori, difficiliorêmque illum reddit. Nam si ad DEUM excellentiori, & magis heroica ratione diligendum, deberemus consectari potiùs, quàm fugere, quæ perfecto illius amori obstant; deberemus hac ipsa de causa, quòd rerum terrenarum possessio divini amoris perfectioni obstat, eas potiùs aucupari, & retinere, quàm juxta Christi consilium repudiare, & deserere, quod consequens quàm absurdum sit, nemo non videt.

5. Sed dilucidiùs adhuc patebit secundæ hujus propositionis meæ veritas, si impedimenta, quæ commemoravimus, singula ad examen vocentur: nam ordiendo ab instigationibus ad peccandum, quînam fieri posse credemus, ut anima ex toto corde amans Deum, & graviùs proinde ipsis sempiternis orci cruciatibus quamcunque illius offensam perhorrescens, velit, gaudeátque, jam ad unam earum, jam ad alteram à malo dæmone, & in-

innatis sibi libidinibus furiosissimè impelli ? Qui malum aliquod penitùs, totóque animo detestatur, usque adeò illud refugit, ut nec absentis mentionem ferre auribus velit: prout videre est in quavis uxore, sedulam honestatis suæ curam gerente : quæ non modò longissimè abest, ut quidquam pudicitiæ, fideíque maritali contrarium sponte agat, sed neque citra extremam indignationem pati potest, si à quovis alio ad id stimuletur : quamvìs alioqui certissima sit, nullo se pacto nefariæ instigationi assensuram. Et cui neque certò constat, in tanta humanæ naturæ fragilitate ab omni DEI offensa integrum perpetuò se fore, credi is poterit, ultra execratissima quævis mala illas abominari, & tamen simul cupere, ut ad earum voluntatem illecebrosis, assiduísque suasionibus à suo, & DEI hoste urgeatur? Divus certè Paulus talis non erat: neque, licèt raptus ad tertii usque cæli sublimia, déque arcanis ibi edoctus mysteriis, novas hasce spiritualis vitæ subtilitates didicerat. Tantùm quippe à desiderandis peccati stimulis abfuit, ut eos sibi admoveri contra voluntatem suam sentiens, semel, iterum, atque tertiò gemebundus, séque infelicem clamitans, pro invisissimæ pestis expulsione DEO supplicaverit.

6. Idem porrò sentiendum de pravis quoque animi motibus, qui nimirum vel ad malum propendent, vel à bono abhorrent. Quotus enim quisque sibi persuaserit, posse hominem ex divini amoris impulsu in deteriori, & bruta sui parte, affectus optare, divinæ voluntati, gloriæque contrarios? Cùm manifestum sit, non aliò animam à divino amore impelli, nisi ut tota, & secundùm suas omnes facultates velit DEI esse: suum nempe illi penitùs tum rationalem, tum sensibilem appetitum subjiciens, omníque cavens studio, nè ullus non modò voluntarius, sed nec indeliberatus in se motus existat, qui majori DEI obsequio adversetur. Certè si patrifamilias ad suum rite munus implendum non sufficit, quòd ipse unus castè, integrèque DEO serviát, sed curare insuper debet, ut idem ab omnibus quoque famulis, & domesticis fiat, non video, quî voluntas suo satis muneri feciſſe dicenda sit, quòd DEO ipsâ obsequitur, si nîl præterea laboret, de subjectis quoque sibi facultatibus in obsequio illius continendis, imò potiùs has gaudeat refractarias, & contumaces illi esse. Audiatur D. Thomas: *Sicut melius est, quòd homo & velit bonum, & faciat; ità etiam ad perfectionem mo-*

ra-

ralis boni pertinet, quòd homo ad bonum moveatur, non solùm secundùm voluntatem, sed etiam secundùm appetitum sensitivum. (1. 2. *qu.* 27. *a.* 3.) Ad extremum devotio, juxta eundem sanctum Doctorem: *Nihil aliud esse videtur, quàm voluntas prompta faciendi, quæ pertinent ad DEI famulatum.* (2. 2. *qu.* 82. *a.* 1.) Ut proinde velle in suo animo motus aversationis, & fugæ circa actiones, quæ ad obsequium DEI spectant, nihil aliud sit velle, quàm minùs devotum se esse. Quod quis unquam posse dixerit cum ingenio, atque instinctu divini amoris congruere?

7. Sed neque minùs alienum ab eodem sanctissimo amore est, nos impellere ad desiderandam mentis obscuritatem circa Deum, & divina mysteria. Cùm è contrario nihil magis proprium cujusque amantis sit, quàm intimam personæ adamatæ, & omnium illius rerum notitiam expetere: præsertim quòd ex majori divinæ cognitionis claritate major itèm consequi solet divini amoris flagrantia. Quapropter, quænam affectuum inter se repugnantia esset, summum DEI amorem votis omnibus desiderare; & nihilominus, quod potissimum est illius comparandi instrumentum, respuere? Fateor quidem, non semper, quan-

quanta intelligentiæ, tanta est & amoris mensura, sed non rarò evenit, ut, qui perfectiùs DEUM cognoscit, minùs diligat, contráque alter minori illius notitia præditus, vehementiori ejusdem charitate exardescat. Addo tamen, ubi de eadem persona, easdémque inter circumstantias posita agitur, secundùm majorem, vel minorem cognitionum perspicuitatem, majorem quoque, aut minorem in persona illa esse divinæ charitatis ardorem. Nam si quispiam, infinitam DEI amabilitatem clarissimo in lumine agnoscens, nihilominus præ terrenarum cupiditatum impedimentis, & suæ voluntatis ignavia, remissè illum amat, nemini credo, erit dubium, quin idem, si eodem prorsus modo, quantùm ad cætera affectus, minùs clarè illum cognosceret, minùs adhuc, & remissiùs amaret. Quemadmodum è contrario, si alter strenui adtendum divinis subsidiis animi sit, & propterea DEO illi per lumen quatuor graduum amabilitatem suam ostendente, accepto huic divinitus lumini per totidem graduum amorem respondeat, quivis facilè colliget, futurum fuisse, ut si ille cum eadem bona habitudine, & reliquis præsentibus circumstantiis plus divini ad cognoscendum luminis accepis-

pisset, actum quoque amoris proportionaliter intensiorem conciperet.

8. Quid jam de tædiis, de mœroribus, déque aliarum perturbationum intemperiis dicemus? An non palàm est, omnes hosce spirituales morbos perfecto DEI amori naturâ suâ esse contrarios, nec posse ab hoc animam ad eos volendos impelli? Et quid aliud sunt tædia in rectè operando, nisi defectus virtutis, quæ testibus Aristotele, & D. Thoma, (*1. 2. qu. 107. a. 4.*) ubi perfecta est, promptè nos operari, ac delectabiliter facit? *Tædium*, (ità etiam S. Augustinus) *quo fuscatur hilaritas, in qua datorem diligit* DEUS, *surrepit tantò magis, quantò minùs quisque, & tantò minùs, quantò magis profecerit.* (*De Perf. Just. c. 8.*) Jam verò tristitiæ cupiditas nónne à Spiritu sancto disertè vetatur, dum in Ecclesiastico præcipit: *Tristitiam longè repelle à te. Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa?* (*c. 30.*) Et, quantùm ad inquietudines, perturbationésque attinet, quonam pacto idoneam possunt in nobis DEO sedem parare, cùm Regius Propheta, *factum esse in pace illius locum*, testetur? (*Ps. 75.*)

9. Postremò, si ariditatem, & torporem circa res divinas inspicimus; neminem fugit, quan-

quantùm illa orationi, præcipuo nimirum ſpiritualis vitæ exercitio obſint: quatenus non ſinunt abſque profanarum cogitationum diſtractionibus in ea mentem hærere, & potiſſimos ejus fructus impediunt, rerum nempe humanarum deſpicientiam, pravorum affectuum compreſſionem, vivida ulterioris perfectionis deſideria, præparationem animi ad duriſſimas quaſque difficultates fortiter pro DEI gloria exhauriendas, & alia hujus generis bona: quæ minimè apparet, quonam pacto repudiari ex amore DEI poſſint. At ſubjiciet hìc aliquis, prædictas interiores ærumnas, crucem longè externa qualibet corporis afflictatione moleſtiorem amori proprio eſſe: juſtámque, & ſat validam ſpiritualibus viris cauſam ſuppetere illas optandi, quò videlicet voluntaria earum perpeſſione proprium ſui amorem penitùs in ſe ipſis extinguant, & tantò placeant DEO magìs, quantò graviora pro eo pati eligunt. Gaudeo talia reponentem audire. Occaſionem quippe hinc mihi præbet, nonnulla explicandi, circa proprium hominis erga ſe amorem, & deſiderium patiendi pro DEO, quorum prava intellectio vel unicum eſt, vel præcipuum contrariæ ſententiæ fundamentum.

10. Et

10. Et ad proprium amorem quod ſpectat, ſatis mihi eſt, paucis hìc repetere, quæ alibi de illo jam ſtatui: nimirum hoc nomine, juxta deteriorem ſenſum, in quo communiter ſumitur, non quemcunque ſui ipſius ſignificari amorem, ſed illum duntaxat, per quem homo in ſe ipſo, tanquam in ſuo fine ſubſiſtit: volens ſibi vel ea bona, quæ genio ſuo arrident, quamvis divinæ voluntati adverſentur; vel ea etiam, quæ DEO placent, ſed ſinè ullo DEI reſpectu, ſolâ naturalis ſui placiti causâ. Cæterùm, ùbi homo ſe ipſum reſpectu DEI amat, volens ſibi nempe illa bona, per quæ habilior ad amandum DEUM fit: neque id ex puro nativi ſui appetitûs impulſu, ſed divini amoris, obſequiique causâ; hujuſmodi erga ſe ipſum amor tantùm ab omni ſpecie vitii abeſt, ut potiùs vitii locò eſſet ducendum, eo minimè affici. Quapropter nimis inſipientem, fatuúmque ſe proderet, qui ab amore divino ad eum extinguendum incitari nos crederet: cùm pro certiſſimo ſit, DEUM potiùs jubere, ut unuſquiſque illum concipiat, foveátque, & conſequenter juxta ejus inſtinctum velit ſibi bona omnia, per quæ ad ſerviendum DEO fit aptior. Quod proinde bonorum genus

ſi

si quis ultro abdicaret, jactitans se id facere, ut perfectiùs, heroicóque ritu DEUM amet, ostenderet se nescire, quid dicat: utpote qui pro heroico amoris divini actu venditaret, DEI jussa negligere.

11. Circa voluntatem verò asperrima quæque patiendi pro DEO, statuendum omni procul dubio est, perpessionem malorum, qualiscunque illa sit, per se ipsam, suóque ex genere malum esse, nec posse per se ipsam, nisi odio haberi, aliisque, quàm hostibus, & invisis capitibus desiderari. Ex quo certissimo principio tres certæ veritates sequuntur. Prima, DEUM, uti servos suos amat, sic non posse de illorum ærumnis propter ipsas gaudere; sed tantùm propter majus aliquod bonum, cujus sunt causa. Secunda, hoc extra controversiam posito, fieri non posse, ut DEI servi ab illius amore impellantur ad volendas ærumnas, quatenus mera mali perpessio sunt, quamvis nihil indè proveniret boni. Illa namque solummodo ex DEI amore possunt diligi, quæ grata, & dilecta DEO sunt: quales minimè esse ærumnas collegimus, nullius fertiles boni, & ab eo seorsum acceptas. Tertia, legitimo consecutionis ordine ex antecedentibus profluens,

ens, posse à quolibet, ut DEO magìs gratificetur, paupertatem, corporis incommoda, ignominias, & alia desiderari ejusdem generis mala, quæ ad terrenarum rerum contemptum, & cælestium amorem adjumento hominibus sunt; cùm propter salutares hujusmodi effectus gaudeat DEUS, talia ultro nos pati, déque voluntaria eorum perpessione disertissimum nobis consilium in sacris Euangelii sui monumentis reliquerit. At verò perversitatem potiùs judicii, quàm eximiam divini amoris vim fore, si quis ex puro patiendi desiderio ad usque mundi exitum purgantibus se flammis torqueri, nulla piorum suffragatione adjutum optaret; cùm ejusmodi desiderium concipi nequeat, nisì ab homine perperam opinante, non extrinsecùs tantùm, sed per se, ac suâpte naturâ, sempérque melius esse pati, quàm frui. Et quid tandem, ô bone! seu tibi utilitatis, seu gloriæ DEO proveniret ex tuo illo tam diutino cruciatu, quódque præsentis vitæ culpas per te potiùs, quàm per alios lueres: cùm DEI ultrix justitia æquè contenta sit, sive hac sibi ratione fiat satìs, sive illa? At DEO, inquiens, placerem tantum mali ex amore illius patiendo. Toto cælo erras: cùm enim de nulla re

re alia, quàm de tuo bono, déque ſua gloria DEUS gaudeat, neque ullam tuam perpeſſionem amet, quatenus merè perpeſſio eſt, ſed quatenus ſolùm tuo bono, divinæque ſuæ gloriæ conducit; quemadmodum tuus ille cruciatus nihil ſeu tibi utilitatis, ſeu gloriæ illi pareret; ſic eum ſponte eligendo, ac ferendo nihil grati DEO faceres, neque dici poſſes propterea, ex amore divino, ſed ex tua ſolùm fatuitate, & vecordia illum pati.

12. Reſpondebis fortaſſe: fieri poſſe, ut homo aliquid pati eligat, oſtendendi tantùm causâ ſuo amico, vel ſuo Principi amorem, quo illum proſequitur, eſto nihil indè ſive illi, ſeu ſibi proventurum ſit boni. Sed frivola, & nullius momenti eſt reſponſio: quamvis enim faterer, prædictæ artis genus juſtè uſurpari cum hominibus poſſe, eò quòd illi nequeant aliorum erga ſe benevolentiam ſinè exterioribus argumentis perſpicere; negabo tamen quidquam rationis eſſe, cur adhibeatur etiam cum DEO: utpote qui minimè indiget ab effectis arguere, ſed viſu certiſſimo in ipſiſimet cordibus, animíſque deprehendit, quantùm ab unoquoque ſuorum ſervorum ametur. Imò rationabilem, prudentémque eſſe illius uſum & cum Dominis, &

& amicis mortalibus nego, nisi quando nulla cæteroqui adest occasio tolerantiæ illorum bono exercendæ. Quare, si miles quispiam in procinctu ineundæ cum hostibus pugnæ ad suam Regi fidem probandam districto ante ipsum mucrone pararet sibi pectus transfodere, nemo unus dixerit, commendatum à Rege iri ejus facinus, sed dicendum illi potiùs cum stomacho: quorsum ego opus habeo, ut tuum mihi amorem testeris, vitam ità inutiliter prodigens, cùm testari illum meliùs possis, imminentis pugnæ periculis animosè, fortitérque pro imperii mei gloria caput objiciens? En illic exiguo campi intervallo à nobis disjunctas, & jam congressuras hostium copias, illarum clade, quàm sis mihi fidus probato. Non ut temere, & ad vanam ostentationem contra te ipsum, sed ut contra hostes mei nominis profuturo ausu ferrum distringeres, meis castris te adscripsi. Nihil ergo superest dubii, quin re per se ipsam æstimata optabilius, magísque eligendum sit mala nescire, quàm pati, imò hoc posterius nullo pacto eligi, optaríque mereatur, nisi fructuum respectu, qui indè aliquando oriuntur, & majori sua bonitate odiosam per sese illius tetricitatem com-

mendant. Unde ad extremum colligitur, cùm ſupradictæ animi ægritudines divino famulatui obſtent potiùs, quàm proſint, non poſſe hominem, qui id animadvertit, à DEI amore, ſtudióque quidvis aſperum patiendi pro ejus obſequio, ad eas volendas impelli; ſed debere prudentiori conſilio illud ſtudium ad alias volendas convertere, quæ auxilio ipſi ſint, ut meliùs, & majori cum profectu divinæ ſervituti ſe impendat.

13. Affirmo tertiò, conſentaneum itèm naturæ amoris divini eſſe, ut, qui eum profitentur, quietem animi, lætitiam ſpiritualem, affectuum moderationem, alacritatem ad rectè operandum, perſpicuam veritatum ſupernaturalium intelligentiam, & facilitatem conjunctionis cum DEO ſibi comparare, ac fovere in ſe ſtudeant. Cùm nemini obſcurum ſit, haſce animi qualitates intrinſecùs, & ſuâpte naturâ non bonas ſolummodo, verùm etiam meliores contrario ſuo eſſe: ratione habitudinis, quam homini conferunt ad ulteriores faciendos in Chriſtiana perfectione progreſſus, & ad illam obtinendam, in qua beatæ vitæ ſummam Ariſtoteles poſuit, *virtutem non impeditam.* (L. 4. Polit. c. 11.) Quamobrem & in ſacris Literis plu-

ri-

rimùm commendantur, & apud ſanctos viros magno ſemper fuerunt in pretio, & DEUS ipſe pro ordinariis eas habet nos juvandi inſtrumentis. Nam, *cùm à DEO illius adjutorium deprecamur, ad faciendam, perficiendámque juſtitiam, quid aliud* (teſte Auguſtino) *deprecamur, quàm ut aperiat, quod latebat, & ſuave faciat, quod non delectabat:* (*De Pec. mer. & Rem. c.* 19.) Quidnam igitur cauſæ eſt, cur DEI ſervo repudianda ſint hujuſmodi auxilia? Num ut cæleſti Domino amoris ſpecimen præbeat, tantò robuſtioris, quantò minori ſupernaturalium adjumentorum copia ad ſerviendum ipſi eget? At cujus humilitatis foret, amorem ſibi tribuere adeò perfectum, adeò nullis vel cæleſtibus indigentem præſidiis, adeóque uno ſe contentum, ut ſi quando DEUS conſueta ſuæ gratiæ adminicula, mentis nimirum illuſtrationes, & pios voluntatis impulſus, aliáque hujus generis dona illi ſubtrahat, nihilò minùs tamen & tunc ſerviturus ei ſit, quàm ſi eorum copiâ inſtructus foret? Næ tanta hæc propriarum virium æſtimatio congruere potiùs videtur cum ſuperbi alicujus Pelagiani jactantia, quàm cum omnimoda illa ſui diffidentia, quæ adeò propria eſt ſervorum DEI nota, &

quam, ùt reliquæ omnes virtutes, ſic & perfectus DEI amor pro fundamento ſuo habet. Imò elationem animi videtur ſapere eâ ipsâ, quam Pelagiani præſeferebant, majorem. Illi ſiquidem, eſto non prorſus neceſſarias arbitrarentur ſupernaturales eas illuſtrationes, motionéſque animi, ad quas D. Auguſtinus revocat interiora omnia divinæ gratiæ ſubſidia; non tamen parvi eaſdem faciebant, aut optabant, & à DEO precabantur, nè cæleſtibus hiſce adminiculis imbecillitatem ſuam roboraret. Adverto tamen, majoris cautionis gratiâ, memoratas ſuprà prærogativas, cùm non ipſa formalis charitas, ſed quædam ſolummodo illius ſint inſtrumenta; ità eſſe nobis optandas, ut nè nimiâ ſui curâ nos à DEO avocent, néve ulla ex parte amoris illius puritatem in nobis diminuant. Adproinde, quamvìs ob proximam, intimámque cum divino famulatu earum neceſſitudinem, mereantur quæri à nobis libenter, & ſinè illo averſi animi ſenſu, quocum alibi diximus neceſſaria corporis fomenta, & bonam apud proximos famam quæri oportere, nihilominus ſi obveniant, ſatiùs erit, nequam in earum obtutu, atque guſtu immorari, ſed animum indè abducere, ut circa DE-

DEUM potiùs, quàm circa ejus dona occupetur.

14. Affirmo quartò, posse à viris spiritualibus ex divini amoris instinctu, quantùm in se est, abdicari, sive ùt supervacuam, sive ùt majori suæ perfectioni contrariam, sensibilem pii fervoris dulcedinem: vehementem illum scilicet delectationis sensum, quem aliquando inter orandũ anima experitur cum insolito cordis æstu, lacrymarum profusione, gemituúmque, & suspiriorum eructatione conjunctum: sed nihilominus posse etiam contingere, ut hæc eadem fervida, & sensibilis pietas ab aliis spiritualibus viris, tanquam divino in se amori nutriendo utilis, ex illius impulsu appetatur. Et prima pars quidem probatur, tum quia hæc pii ardoris jucunditas non multum communiter momenti affert ad id, quod præcipuum, & summum in Christiana perfectione est, sed ad leviora quædam solummodo illius exercitia habiliorem animum reddit; tum quia plerumque non tam à DEO infunditur, quàm ab imaginationis vi, humidáque, & calenti corporis temperie originem ducit; tum quia facile admodum est, ut animus in illius gustu quiescat, neque progredi ulteriùs laboret ad solidiora,

& magìs ardua virtutis officia, ſenſibili eò fervore ſat perfectum ſe exiſtimans; præterquam quòd alia etiam, nec levia indè ſequuntur incommoda. Sequitur periculum, nè qui ità præter communem modum ſe affici erga DEUM ſentit, præ ſe alios contemnat, inanitérque ſibi placeat de opinione ſanctitatis, quam illi apud multos foras erumpentia extraordinarii fervoris ſigna conciliant. Sequitur, quòd aſſueſcens idem rectè operari per impetum, rigorémque à ſenſibili illa jucunditate ſibi inditum, ubi hæc exaruerit; (quod perſæpe ex naturali rerum humanarum inconſtantia, & varietate evenit) remaneat quaſi navis ventis deſtituta languidus, debilis, piger: & ordinarias virtutis actiones ſeu per inertiam omittit, ſeu remiſsè, oſcitantérque, & moris duntaxat ſervandi gratiâ obit. Sequitur, quòd pluris, quàm par eſt, ſpiritualem ſuam dulcedinem faciens, nè illius ſenſum abrumpat, vel minuat, ægre inducitur ad navandam proximorum ſaluti operam, fungendúmque iis officiis, quæ cæteroqui ab eo exigit ſui ſtatûs, atque muneris ratio. Sequitur demum, quòd ſæpe nimia capitis, & pectoris contentione valetudinem graviter lædat, ineptum hoc pacto ad alia mu-

majoris divinæ gloriæ opera perpetranda se reddens. Quibus de causis complures reconditioris prudentiæ viri, & quibus in DEI famulatu mos est, ratione duci potiùs, quàm sensu, non magno sanè in pretio extraordinarios hujusmodi gustus, fervorésque habent, neque aut de eorum affluentia sibi placent; aut negatos, absentésque desiderant, solida, intimáque erga DEUM charitate contenti, hoc est animi habitu, nunquam non æqualiter prompto ad agenda, quæ ipsi grata esse appareat: quamvis nullo interim extraordinario, & sensibili ardore animus inflammetur, neque alios gustus percipiat, nisi moderatos, tranquillos, & supremæ duntaxat partis suæ proprios. De quo hominum genere locutus etiam videri Isaias potest, ubi solido jam cibo assuetis peculiarem rerum divinarum intelligentiam promittit: *Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* (c. 28.)

15. Sed neque ideo rationes desunt, quæ alterius itèm partis veritatem demonstrent. Nam primò ardens illa, & sensibilis erga res divinas animi affectio, quamvis neque perfectionis Christianæ substantia, neque neces-

saria conditio ad acquirendam eam sit; plurimis tamen, ac præsertim in spirituali vita adhuc tyronibus non mediocri adjumento est, tum ad conjunctionem cum DEO, tum ad rerum terrenarum contemptum, tum ad repudiandas voluptates corporis, tum ad actus honestos cum majori voluntatis intensione, & alacritate exercendos. Quemadmodum docet D Gregorius, ubi ex naturali animæ propensione ad fruendum rite arguit, usitatum, & familiare illi esse, ut, si cælesti destituatur voluptate, terrenam requirat. *Esse sinè delectatione anima nunquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis.* (L. 18. Mor. c. 8.) Et quemadmodum Regius Vates de se contestatur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum*: hoc est, juxta Augustinum, cùm tua delectatione roborâsti cor meum: nam *cordis dilatatio justitiæ est delectatio.* (*Conc.* 10. *in Psal.* 118.) Quapropter cùm spiritualis hæc delectatio habiliorem ad serviendum DEO animam reddat; quisquis DEUM amat, sat idoneam in hoc ipso suo amore habet causam illius æstimandæ, & optandæ. Præterea ejusmodi vi, & causa solet anima complures pios actus producere, cujusmodi sunt admirari DEI pulchritudinem,

nem, desiderare ejus gloriam, totam se illi devovere creata omnia præ illo despicere, & alios ejusdem generis: quos neque inficiari quisquam potest præcellens divinæ charitatis exercitium esse; & quamvis etiam sinè ulla spirituali jucunditate elici queant; plurimi eos tamen citra illius adjutorium, vel prætermitterent, vel multò remissiores, rariúsque ederent. Accedit huc, quòd quantò ferè plùs quisque in divina consuetudine, & charitate profecerit, tantò etiam, *cæteris paribus*, per uberiorem cælestium consolationum affluentiam intimiùs experiri, & gustare consuevit, *quoniam suavis est Dominus*. Unde non immeritò à quibusdam status eorum, qui servire DEO incipiunt, similis esse hyemi dicitur, quando scilicet nubili, & obscuri plerumque sunt dies: status in divino famulatu proficientium veri comparatur, tempestatis naturâ suâ variæ, neque eundem seu nimbosum, seu placidum diu servantis tenorem: at Perfectorum statum æstatem dici posse autumant, innubi ferè lætam sereno, nec nisì raris infestari tempestatibus solitam. Cùm itaque dulces, ac fervidi pietatis sensus tam peculiarem cum perfecto DEI amore necessitudinem habeant, tanquam ordinarii, proprií-

priíque illius fructus, à nemine equidem, qui pro dignitate ſua illum æſtimet, deſpici, ut vulgares, & imperfectorum ſolummodo, ac tyronum proprii merentur. Poſtremò ſapida illa DEI guſtatio, ardens illud placendi ipſi ſtudium, vivida illa in peragendis ipſius juſſis alacritas, ſimiléſque his affectus, qui ex devotione ſenſibili ſolent, tanquam rivi è ſuo fonte profluere, imò ex quibus, tanquam ex ſuis partibus ſenſibilis devotio conflatur, munera utique ſunt Spiritûs ſancti, abſque cujus benefico afflatu nihil pii ſensûs excitari in voluntate hominis poteſt. Quapropter, cùm à manu tam amica nobis impertiantur, juſtiſſimam ſanè habemus cauſam eos impensè æſtimandi, peramantes ſupremo Largitori pro iis gratias reddendi, curandíque, nè per noſtram negligentiam, aut aliud culpæ genus in nobis deficiant: præſertim quòd ſacrarum Literarum monumenta non gaudium duntaxat, quod tranquilla, & penitus ſpiritualis jucunditas eſt; ſed lætitiam quoque, & exultationem nobis commendent, affectus nimirum incitatos, ac vehementes, & quorũ fervor in ſenſibilem uſque animi partem, imò & in corpus ipſum ſe effundit; prout præter alia loca videre eſt in Davidicis illis ver-

versiculis: *Lætamini in Domino, & exultate justi. Beatus populus, qui scit jubilationem. Venite, exultemus Domino: jubilemus* DEO *salutari nostro.*

16. Neque obstat, quòd ad prædictos affectus natura quoque per idoneum humorum temperamentum, & vivacem imaginandi facultatem aliquid adjumenti conferat; nullum siquidem insitæ nobis à natura qualitates meliorem habere usum possunt, quàm ut ad DEUM amandum nos adjuvent, cujus effectûs, tanquam ultimi, & communis finis gratiâ universa sunt condita. Quocirca, si omnibus, quæ extra nos sunt, rebus creatis uti possumus, & debemus, quandocunque ad prædictum finem nobis conducunt; quidni auxilio etiam uti debeamus, quod ad eundem consequendum nostræ nobis corporis, animique affectiones suppeditant? Neque itèm obsunt pericula, seu inanis fastûs de peculiaribus DEI donis, seu ignavæ quietis in eorum dulcedine cum neglectu progressûs ad solidiora alia spiritualis vitæ exercitia, sive amittendi robur animi, si ea contingat subduci, sive omittendi præ illorum aviditate magìs necessaria, & DEO gratiora charitatis, justitiæque opera, seu valetudinis nimio, atque in-

intemperanti eorundem usu destruendæ. Omnia quippe similia detrimenta per opportunam, solertémque animi curam propulsari possunt: neque altera ex parte prudentis viri est, abstinere à rebus suâpte naturâ utilibus, qualem esse vidimus sensibilem pietatis dulcedinem, incommodorum causâ, quæ ex pravo earum usu possent provenire. Alioquin, ùt nullum in rebus humanis est bonum, quod extra omnis mali aleam sit; ità nullum etiam foret, quo uti prudenter possemus. Et confirmatur nostra hæc responsio ipsomet adversariorum argumento. Si enim ipsi dicitant, parvi esse pendendam charitatem sensibilem, quia fructus ipsius proprii possunt & sinè ipsa, esto difficiliùs obtineri; quidni justiùs ego dixerim, parvi pendenda esse, quæcum sensibilis charitatis fructibus conjungi solent discrimina; quia hæc possunt & in præsenti, maximáque illorum copia, quamvis paulò difficiliùs vitari? Nam, quantùm ad peculiare illud discrimen, nè animus consueto spiritualis dulcedinis pabulo, ùt sæpe fit, destitutus, tanquam omni simul robore dimisso obtorpescat: vel hinc licet arguere, quàm necessaria humanæ imbecillitati dulcedo illa sit, quantúmque diligentiæ ad eam con-

conservandam nos impendere opporteat. Cùm prædictum discrimen non tam indè oriatur, quòd assueverit quispiam ex ea robur sumere, alacritatémque operandi; quàm quòd illa omnibus assuetis sibi juxta, atque insuetis instrumentum sit naturâ suâ utile ad strenuè, gnavitérque operandum. Quemadmodum, quòd aliquis idoneo calamo deficiente minùs eleganter scribat, non ideo fit, quòd calamo debitè formato scribere assueverit, sed quia hujusmodi calamus instrumentum est naturâ suâ appositum, imò etiam necessarium ad eleganter scribendum: ridiculæque, ac vecordis providentiæ specimen ab omnibus duceretur, si quis nunquam scribere, nisi inepto calamo vellet: absurdæ illius suæ voluntatis absurdiorem hanc afferens causam, nè videlicet commodiore alio uti assuetus, si deinde hujus desit copia, inconcinnè, ac deformiter scribat.

17. Juxta igitur rationes hìc allatas fas unicuique est, vividos, ferventésque pietatis sensus quærere, complecti, & fovere, nedum sinè ullo perfecti erga DEUM amoris detrimento, sed ex illius etiam impulsu; quamvìs idem amor, ceu paulò ante demonstravimus, possit quoque secundùm alias ratio

tiones impellere animam, ut eos maximè desiderat, quærátque, imò potiùs sibi cupiat deesse. Qua super re ut magìs certum, & peculiare aliquid definiatur; utile factu erit, duo genera tum consolationum sensibilium, tum personarum, quæ illis frui possunt, distinguere. Nam primò: si ipsas observemus consolationes, nonnullas earum videbimus non aliunde magìs, quàm ex corporis temperie proficisci, nec aliud penè esse, quàm titillationes inferioris nostri appetitûs. Veluti exempli causâ, cùm hominis naturâ humidioris caput ex pia quapiam cogitatione incalescit, unde abundans in eo humor commovetur, pérque lacrymas profluit, & suo calore, atque motu naturalem quamdam suavitatem in capite excitat: seu cùm corpus ex cordis laxatione, & spirituum animalium discursu, alacritatem nescio quam percipit, delectabilem sensui; unde in animo quoque per innatam cum corpore societatem similes motus, ardoréque excitantur: non boni illi quidem per se ipsos, aut mali, sed quos tamen voluntas, si bene interim sit composita, facili negotio divinis rebus accommodat, piósque ad affectus traducit. Atque hoc consolationum genus minimi quidem fructûs, &

pre-

pretii est, tanquam multum terreni habens; infimáque ex hominis parte ortum ducens, adeò ut ad illud excitandum, fovendúmque conducant etiam humanæ quævis prosperitates, & secundi nostrarum destinationum successus, & vina generosa, & lautiores epulæ, & somni prolixitas, & quidquid curando corpori est aptum: ceu probè animadvertit Joannes Climacus, scribens: *In potu vini hilares, atque ad compunctionem proni, & faciles sumus.* (*Grad.* 16.) Unde postmodum fit, ut superveniente occasione frangendi proprias cupiditates, patrandíque aliquid genio repugnans, fervor ille intepescat, nec vim habeat perrumpendis contrariis difficultatibus parem, víxque alium præstet homini usum, nisi ut citra tædium orationi vacet: sed orationi sterili, & minùs fructuosæ, quàm sit sæpe meditatio practica, quamvis arida, laboriosa, & mentis evagationibus subinde interrupta. Aliæ porrò inter consolationes sensibiles nobilioris generis, atque indolis sunt: utpote quæ intrà voluntatem nascuntur, & per exuperantiam, & naturalem consensionem in ipsummet appetitum inferiorem redundant: instar symphoniæ, cujus melos non in conclavi duntaxat, ubi editur,

sed & in subjectis ædium partibus, atrióque ipso personat. Hujusmodi autem sunt extraordinarii quidam, & solito incitatiores amoris, desiderii, spei, gaudiíque affectus ex vivida rerum divinarum cognitione orti: quorum vis nequaquam intrà voluntatem se capiens, sed superfluenti æstu in ipsum quoque corpus transfusa dilatat cor, spiritus commovet, inflammat sanguinem, arcanisque hominem stimulis cogit sæpe in fletus, in suspiria, in clamores erumpere. Et hoc genus affectuum, quando non merè contentum se ipso est, sed ad praxim refertur, hoc est ad quidquid ardui pro DEI obsequio animosè, fortitérque aggrediendum, magno haberi debet in pretio, optaríque, & enixè à DEO peti, & dum obvenerit, omni studio foveri, tum propriæ ipsius excellentiæ causâ, tum heroici vigoris respectu, quem ad difficillimas quasque virtutis exercitationes indè animus trahit: tametsi motuum, aestuum, qui in parte inferiori ex eo conliquuntur, nulla habenda sit ratio, nisi quatenus ad fovendum, augendúmque in voluntate ejus fervorem, sensibili sua incitatione aliquid conferunt, quemadmodum face concussa vividius emicare ignem cernimus. Ex du-

duplici itèm eorum conditione, qui DEO famulantur, alia duci potest præsentis rei adhuc certior decisio. Nonnulli ex iis quippe in primo etiamnum limine vitæ spiritualis versantur, exiguúmque consuetudinis divinæ usum habent, ut vix possint sinè aliqua consolatione sensibili ei vel ad breve tempus vacare; & hos dico prudenter facturos, si prædictam consolationem sibi comparare, & tueri in se studeant, tanquam præsidium imbecillitati suæ necessarium, saltèm ad hoc, ut incipiant gustare, quoniam suavis est Dominus, illiúsque jugum libenter ferant, & faciliùs abstineant à noxiis corporis voluptatibus. Ast alii contrà sunt, qui diutina sanctioris vitæ exercitatione non mediocrem solidarum virtutum, & conjunctionis cum DEO sibi usum paraverunt; & hos fateor, Christianæ perfectioni, & puro DEI amori congruentius facturos, si à primo minus nobili consolationum spiritualium genere optando, quærendóque abstineant, quanquam neque ab ipsis secundum excellentioris notæ genus negligendum putem; perinde enim hoc esset, atque ipsummet amorem divinum, qui præstantissimis voluntatis actibus exercetur, negligere.

18. Nihilo tamen minùs ad cavenda, quantùm fieri poteſt, pericula, & damna, quorum paulò antè mentio facta eſt, conveniet documenta hìc ſubjuncta obſervare. Primum, nè, qui ſupradictis DEI muneribus fruitur, illa amet, quatenus voluptatis aliquid ex iis percipit: ſed quatenus adjumento ſunt ad ulteriores in divino famulatu progreſſus: adeò ut non ipſa, ſed in ipſis DEUM amans, paratus ſit, quandocunque ſic libitum Domino fuerit, eorum uſu carere, & ſinè hujuſmodi auxiliis, quanto maximo virium ſuarum niſu poterit, ei deſervire, Apoſtoli inſtar de ſe profitentis: (*Ad Philip. 4.*) *Ubique, & in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.* Secundum, nè exiſtimet interiora illa ſolatia præſto ſibi ſemper futura, ſed potiùs perſuaſum habeat, quemadmodum aër jam ſerenus, jam nubilus eſt, & noſtrum corpus modò integra, modò deteriori utitur valetudine; ſic animam pariter, quamdiu in hoſpitio tam mutabili degit, non poſſe eundem diu habitum retinere: ac proinde ſpiritualem illam, quæ nunc affluit, lætitiam non multò poſt verſum iri in languorem, ac tædium. *Memento paupertatis* (monet Eccleſiaſticus) *in tempore abundantiæ, &c.*

&c. A manè usque ad vesperam immutabitur tempus (*c. 18.*) Si enim tempestivè id prævideriт, non poterit deinde, cùm acciderit, quasi de novo, & inopinato eventu perturbari. Neque solùm meditatas in antecessum habere hujusmodi vicissitudines debet; verùm certa simul præsidia excogitare, quibus postmodum utens eas possit impunè, imò etiam cum lucro excipere: juxta consilium Senecæ, qui suadet, ut *in ipsa securitate animus ad difficilia se præparet*; (*Ep. 18.*) & exemplum Patriarchæ Joseph, qui, dum Ægyptus continuis septem annis frugum copiâ abundaret, neutiquam contentus fuit felici ubertate illa frui; sed opportunos indè commeatus imminenti consequentium totidem annorum inopiæ providit. Tertium, nè sensibilis fervoris sui causâ sibi placeat, & quos carere illo aspicit, tanquam imperfectos, séque inferiores contemnat; cùm certissimum sit, perfectum DEI amorem haudquaquam consistere in meris affectibus, iisque contemplativis, & ab omni operatione abstractis, sed in voluntate firma, atque certa efficiendi, quidquid DEO esse gratius noverimus. Quæ voluntas in agendo se prodit, efficaciórque esse, & intensior potest, ubi nihil, quàm ubi plurimum

fervoris, atque impetûs sensibilis cernitur; quemadmodum vinum vetus, licèt minùs musto efferveſcat, majorem tamen eo vim corroborandi ſtomachũ habet. Quapropter neque totam in ſuſpiria, lacrymáſque, & alios minoris momenti effectus ſuam illam profundere charitatem ſenſibilem debet: ſed potiùs ad ingentium, & heroicorum operum vota, & deſtinationes convertere: utpote ad effectus, quorum gratiâ potiſſimùm expetibilis illa eſt, & ſinè quibus præcipui usûs expers remanet, tanquam enſis in vaginæ otio torpeſcens. Quartum, ut, quoniam princeps conſolationum ſpiritualium finis, fructúſque eſt, eos, qui illis fruuntur, ad divinam voluntatem perfectè implendam comparare, abſurdiſſimi erroris genus exiſtimet, prætermittere opera, quæ inprimis DEUS amat, fieri ab eo vult, obedientiæ nimirum, & charitatis erga proximum opera, præ timore, nè in iis exercendis à DEO ſibi mens avocetur, jacturámque ſuæ interioris dulcedinis faciat. Id ſiquidem foret majorem inſtrumenti, quàm opificii, cujus gratiâ illud paratum, conditúmque eſt, rationem ducere. Ceu ſi quis parceret, quando opus eſt, ſcribere, nè calamum atterat, vel gladio contra ho-

hoſtem uti, nè illius aciem obtundat. *Quò mihi fortunas, ſi non conceditur uti?* (*Hor. Ep. 5. L. 1.*) Quintum, nè ſpirituales animi ſui æſtus innoteſcere aliis gaudeat, ſed potiùs, quantùm in ſe eſt, curet premere, ínque abdito continere: alioquin poſſet plus damni ex inani gloria, quàm fructûs ex eorum ſenſu referre; teſte ſiquidem Magno Gregorio: (*Hom. 11. in Eu.*) *Studium cæleſtis deſiderii à malignis ſpiritibus cuſtodire non ſufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abſcondit Et deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in via.* Quocirca, ſi extraordinarius ille orationis fervor per ſuſpiria, clamoréſque, & alias hujuſmodi inuſitatas ſignificationes ſoleat in apertum prorumpere, conſultius homini ſic affecto erit, procul ab arbitris, privatóque in receſſu orationi vacare. Et ſi ità ſolus orans, minorem, quàm in publico experiretur ſenſibilis pietatis flagrantiam; quemadmodum poteſt hinc arguere, ab innata popularis auræ, & humanorum plauſuum dulcedine majorem illius vim in propatulo oriri; ità debet cauſam indidem ſumere, cur minorem, ſed magis tutum, & merè ſupernaturalem ſolitariæ orationis affectum vehementiori, ſed periculoſo, & minùs ſincero ejuſdem palàm

expositæ affectui prælatum velit. Nihil quippe usitatius in vita hominum est, quàm ut rectum, & laudabile quidpiam coram aliis agentes, majori cum alacritate operentur; quia nimirum, etiamsi ex puro DEI amore aggressi opus sint, occulta nihilominus humanæ laudis titillatio novam quamdam hilaritatem animo infundit, eúmque excitat, & solertiorem in suis actibus reddit. Idque S. Abbas Macarius opportunè explicavit Monachorum nonnemini, qui, cùm in cœnobio olim vivens, soleret totas hebdomadas sinè ullo famis morsu jejunus transigere; sciscitabatur ex eo causam, cur in eremo tunc agens, gravem experiretur vel unius dieculæ inediam. Nempe hanc esse novi illius causam effectûs respondit, quod in præsenti solitaria sua vita alienæ sibi pabulum existimationis deesset, unde, in fratrum cœtu jejunans, refici antea consueverat. *Quia nullus est hic jejunii tui testis, qui te suis laudibus nutriat. Ibi autem te digitus hominum, & cœnodoxiæ refectio saginabat.* (*Cass. Col. 5. c. 12.*) Sextum, ut, si præ nimia lacrymarum, & suspiriorum vehementia, aliísque id genus effectibus, qui ex sensibili pietatis ardore in corpus redundant, labefactari sibi posse va-

le-

letudinem senserit; importunæ illi nimietati curet, quantùm in se est, modum ponere; nihil pensi habens, quòd per illius moderationem interior quoque animi flagrantia imminui aliquantulùm possit: cùm non nisi plebeji generis, nec dignus magno impendio conservari sit ille sensus, ac fervor pietatis, qui externis hisce subsidiis ad incrementa sua indiget.

19. Affirmo postremùm, neutiquam opus esse ad majorem divinæ charitatis præstantiam, ut repudientur ecstases, visa cælestia, arcanæ rerum supernaturalium cognitiones, & alia ejusdem generis extraordinaria DEI dona; cùm hujusmodi prærogativæ, si circa eas observentur, quæ de recto consolationum spiritualium usu jam diximus, non mediocri adjumento esse soleant, ad eximios in DEI obsequio, & amore faciendos progressus. *Tantum generositatis, animorúmque tunc concipitur*, (suis docta experimentis scribit D. Teresia) *ut pro* DEO *frustillatim concidi, magni oblectamenti instar homini esset. Hìc exaggerata sunt promissa, heroicæque animi destinationes, & vividus desideriorum ardor, & mundi fastidium. Hìc anima ad humilitatem, & sui despicientiam plùs proficit: palàm cernens, nullum*

in tanto DEI *munere diligentiæ ſuæ locum eſſe: neque tantum ſibi virium ſuppetere, ut illud per ſeſe adipiſci valuerit, & retinere valeat: longéque adeò ab inani gloria abeſt, ut ſibi videatur concipiendæ illius impos.* (*In Vit. c. 19.*) Quiergo peculiaribus id genus privilegiis, & charismatibus à DEO decoratur, ſi indè se juvari experitur ad progrediendum in ſolido Dei amore, in ſui, & rerum terrenarum contemptu, in cupiditatum coërcitione, in generoſa quidvis faciendi, & patiendi alacritate, cæteríſque Chriſtianis virtutibus; permagni illa æſtimet, & chara impensè habeat, ſupremóque Largitori quàm ampliſſimas pro iis grates perſolvat: juxta modò dictæ Seraphicæ Virginis morem, ac ſenſum: quæ moleſtiſſimas divinorum ejuſmodi chariſmatum causâ inſectationes perpeſſa, poſt factam earum mentionem, ſubdit: *Nunquam tamen fieri poterit, ut me ideo cæleſtia hæc viſa percepiſſe pœniteat: neque eorum vel unum cum omnibus præſentis vitæ bonis, & voluptatibus commutarem. Semper ea pro ſingulari divinæ benignitatis munere habui, & theſauri inſtar ampliſſimi æſtimo.* (*Ibid. c. 29.*) Cui verò nihil tale impertiri divinitus ſolet, conſultiùs videtur facturus, ſi extraordinariis hiſce donis ſe indignum arbitre-

tretur, neque frui appetat, imò DEUM roget potiùs, ut ea aliis & dignioribus, & plùs indè profecturis reservans, trito, & communi solidarum virtutum tramite ad perfectionem se ducat. Præsertim quòd ferè semper ambigi potest, num prædicta animæ decora cælestis Patris sint dona ad spiritualem suum profectum ei amanter collata, an ficta cælestium donorum simulacra à stygio hoste ad occultam perniciem fraudulenter ipsi obtrusa. Nec rarò contingit, ut tota abeant in affectus steriles, fatuorúmque instar ignium citissimè evanescentes, ac longè propterea illis minùs frugiferos, qui ex practica, & vivida, quamvis cæteroqui ordinaria, rerum divinarum cognitione oriuntur. *Multos* (commemorata paulò antè Teresia inquit) *sanctorum hominum reperire est, qui nullo ex rarioribus hi divinæ beneficentiæ pignoribus decorati unquam sint: contráque alios, qui illa accipiant, nec tamen sint sancti.* (*Cast. Int. Mans. 6. c. 9.*) Universim loquendo, nulla toto hoc in genere assignari videtur posse certior, breviórque, & magis accommodata omnibus regula, quàm quæ frequens adeò in ore D. Francisci Salesii erat, præcipiens: *Nihil postulare, nihil respuere.* (*Serm. Spir. 21.*) Cujus regulæ hæc erit

pra-

praxis, ut projiciamus nos penitùs in cælestis nostri Patris fidissimas manus, qui & nos diligit plùs, quàm assequi cogitando possimus, & longè quàm nos meliùs pernoscit tum nostras vires, tum ea, quibus indigemus, quæque opportuniora esse nobis possint præsidia: sinentes idcirco, ut nos ducat, quà visum ei maximè fuerit, déque nobis semper pro divino arbitratu suo statuat: neque aliud flagitantes ab eo munus, quàm suum sanctum amorem, unicam nempe omnium & votorum nostrorum metam, & illius munerum summam. *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis.* (*S. Ign. in Exer. Spir.*)

CAPUT XXXII.

Rationes, quibus eadem sententia in superiori capite oppugnata est, diluuntur.

SEd enimvero, quidquid hactenus de sensibilis, vividæque charitatis fructibus, ac præstantia dixerimus, etiamnum nihilominus peritant in gradu suo rationes, præcedentis ca-

capitis initio productæ, nostræque huic doctrinæ reclamant, neque in ea sinunt Lectores firmo assensu quiescere: quidnam igitur ad tollendũ è medio hunc obicem iis respondebimus? Respondeo primæ cum Angelico Doctore S. Thoma: (*1. 2. qu. 114. a. 4. ad 2.*) duo posse in rectè operando difficultatum genera occurrere: alterum *ex magnitudine operis, quod pertinet ad augmentum meriti*: ùt quando pro DEI gloria morti obviàm itur, vel facinus naturâ suâ maximè arduum patratur. Alterum *ex defectu operantis, quod diminuit meritum, & à charitate tollitur*: ut cùm aliquis vel, quòd remissè DEUM amet, vel ex alia sui animi pravitate, multum molestiæ, laborísque experitur, vel in iis virtutum operibus, quæ nihil cæteroqui, nisi planum, & factu proclive ex se habent. Fateor itaque, nunquam certius perfectæ virtutis specimen dari, quàm inter primi generis difficultates, & proinde has à veris DEI famulis expeti, ac quæri oportere; at de posterioribus nunquam idem concesserim. Adeò quippe hæ difficultates virtuti nîl conferunt ad sese luculentiùs prodendam, ut potiùs virtutis perfectio, testibus Aristotele, & D. Thoma, tunc emineat, cùm illius actus *promptè, & delectabiliter*, citra difficultat

ficultatem videlicet operanti insitam fiunt. Nihilque decantatum magis est apud sacros Doctores, quàm facilia per charitatem reddi, quæ difficillima secundùm naturalem conditionem suam sunt. Optant igitur sancti viri, ad perfectionis, meritique incrementum res agere ingenio suo laboriosas, at nullo modo optant, difficulter etiam, laboriosèque, & cum interiore animi renisu illas agere. Alioquin, si ità operari ad perfectionem virtutis conduceret, expetique ideo ab hujus studiosis deberet, expetendi quoque ab iisdem forent vitiosi habitus, tenuisque DEI cognitio, & similia impedimenta, quorum causâ honesti actus laboriosiùs, ægriúsque exercentur.

2. Neque ad propositam rem magis facit illa, eidem primæ oppositioni majoris firmamenti ergò subdita appendix: quòd nimirum DEO famulari, quando nulla homini occurrunt subeunda secum certamina, vulgare sit decus, & nulli non obvium: quippe ubi plus accipitur, quàm præstatur, neque tam DEO anima, quàm ipsi DEUS servit. Nego siquidem primò, parùm virtutis requiri, ut extra interiores pugnas DEO servatur, si actus, per quos ei tunc servimus, suo in

in genere eximii, & communem ultra modum præstabiles sunt : quales ferè illos esse Philosophus docet, qui alacriter, & jucundè, hoc est sinè interiori difficultate exercentur, *cùm singula* (ut verbis illius utar) *exactiùs, absolutiúsque faciant, qui cum delectatione operantur.* (L. 10. *Eth. c.* 4. *&* 5.) Constat quippe, nullam esse aliam virtutis, quàm proprios ipsius actus mensuram : nec propterea, si excellentes hi sint, proletariam, & vulgarem illam dici posse. Certè magna Numinis parens, quidquid recti ageret, non modò citra ullum voluntatis laborem, sed & summa cum propensione agebat: & tamen quisnam ibit inficias, singulos quosque ipsius actus à perfectissimo DEI amore profectos fuisse? Nego itèm posse hominem, in quacunque constitutione animi sit, dum pro Deo aliquid facit, plus ei tunc præstare, quàm ab eo accipiat. Cùm certissimus Orthodoxæ fidei articulus sit, supernaturales quosque actus, seu promptè, & alacriter, seu difficulter, & cum renisu animi fiant, quemadmodum ex DEI magis gratiâ, quàm ex nativa hominis facultate proveniunt, ità in nostris rationibus ad accepti magis, quàm ad dati tabulas pertinere: imò, quantò præstantiores,

&

& majoris meriti sunt, tantò plùs à DEO nobis, quàm à nobis DEO tribui. Qua certissima veritate admissa, extráque controversiam posita, à nemine dici potest, operibus, quæ inter spirituales delicias fiunt, specialiter convenire, ut ea faciens plus à DEO accipiat, quàm DEO præstet; quin dici simul debeat, iisdem specialiter convenire, ut eximia, & præstantis meriti sint. Fatendúmque adversariis est, si perfectiores esse illos actus contendunt, qui cum tædio, & molestia, quàm qui cum alacritate animi fiunt, in iis etiam præcipuè plus nobis à DEO, quàm à nobis ei tribui.

3. Ad secundam porrò rationem quod attinet, novo illa, & peculiari responso nil eget, utpote jam satis refutata superiùs, ubi de sensibili divinæ charitatis dulcedine agentes, ostendimus periculum ei plùs æquo adhærendi, solerti circumspectione adhibita vitari à DEI famulis posse: neque idcirco æquum esse, ut rem naturâ suâ adeò salubrem præ incerto mali usûs discrimine abdicandam quis putet: nisi fortè imitari stoliditatem vult barbari illius apud Gellium agricolæ, qui putationis tempore suas vites, nè quid in iis supervacui remaneret, utilibus quoque simul re-

resectis, ad imum usque stirpem succidit: id unum ea vecordi providentia assecutus, ut abbreviaret vindemiæ insequenti anno faciendæ laborem. (L. 19. c. 12.)

4. Respondetur tertiæ, proprium esse hominis, qui enixè, instantérque aliquid cupit, ut nè quovis promiscuè illius instrumento contentus sit; sed vias, rationésque ad illud quàm certissimè consequendum idoneas exquirat. Quorsum ergo quis dicat: etiam sinè ullo spiritualium consolationum subsidio perfectè amare DEUM possum? Ità sanè, non inficior: sed eo id tamen pacto, quo etiam peccata vel absque occasionum iis lenocinantium fugâ potes nescire: difficulter nimirum, nec sinè munimento, & conatu extraordinariæ virtutis: quam, nescio, utrùm revera possideas, & unde tam fidenter tibi arroges. Quemadmodum igitur, quia difficillimum esse nôsti, peccati contagia inter illius occasiones vitare, neque certum habes, virtutem tibi adesse rei tam difficili parem; haudquaquam contemnis, ùt minimè necessariam, ad cavendum peccatum, illius occasionum fugam, sed eam potiùs, quasi instrumentum illi fini obtinendo quàm aptissimum eligis: ità cùm & maximè arduum sit, absque

ullo cæleſti ſolamine DEUM perfectè diligere, & æquè incertum, an idoneum tibi ſuppetat robur, ad rem tam arduam ſinè hoc adjumento præſtandam, non debes, ſi perfectus DEI amor curæ tibi eſt, cæleſtium ſolatiorum aſpernari præſidia, quia ad illius aſſecutionem prorſus tibi neceſſaria non ſunt; ſed in pretio potiùs habere, & optare, quia, ut eum certiùs, promptiúſque aſſequaris, te adjuvant.

5. Quamvìs autem veriſſimum ſit, DEUM nonnullis excellentis ſanctimoniæ viris ſpiritualia hæc dona continenti plurium annorum ſpatio ſubtrahere, eóſque interim mentis obſcuritate, ac torpore divinarum rerum, & bene operandi faſtidiis, animi angoribus, perduellium rationi affectuum tumultibus, aliiſque interioribus moleſtiis exercere, neque illi pro virtutis ſuæ firmitate in mediis hiſce perturbationibus, atque intemperiis minùs perfectè illi ſerviant, quàm inter alcyonia tranquilliſſimæ pacis: inſtar heliotropii, quod fertur *ſolem intueri ſemper, omnibúſque horis cum eo circumagi, vel nubilo obumbrante: tantus ſyderis amor eſt.* (Pl. L. 2. c. 4. & L. 22. c. 21.) Quamvìs, inquam, veriſſima hæc ſint, nemini tamen juſta adeſt ratio, ſeſe

sese his Heroibus parem arbitrandi: adeò ut vel desideret iisdem experimentis probari, quasi instructus virtute solida, & simili cum profectu indè evasura; vel sibi persuadeat, quem in orando, aliisque piis studiis, & officiis experitur languorem animi sinè ulla proximiore causa, à DEO duntaxat proficisci, qui ejus virtutem, tanquam in alio exteriorum, & vulgarium difficultatum genere jam satìs probatam, ipsemet sibi ultimis hisce, ac perfectorum hominum propriis periclitationibus tentandam susceperit. Sed quisquis solido Christianæ humilitatis fundamento nititur, dum plerumque se perspicit, absque pietatis fervore, absque alacri exercendarum virtutum studio, absque facilitate mentis cum DEO conjungendæ, aridum, frigentem, terrenis affectibus, atque curis obnoxium; non aliam debet agnoscere pravæ hujus suæ habitudinis causam, nisì suam in quærenda perfectione socordiam, exiguam cupiditatũ compressionem, majorémque rerum caducarum, quàm DEI, & bonorum cælestium amorem. Ex hisce quippe vitiis, accedente etiam interdum ægra corporis valetudine, tristes illi effectus, tanquam ex propria, & naturali radice, citra ullam diversi alterius principii ne-

ceſſitatem, in pleriſque proveniunt. Nisi quòd ſtygius quoque hoſtis, animadvertens, quantum indè nobis damni creetur, non ceſſet pro virili ſua parte, jam corporis humores perturbando, jam importuna obtrudendo phantaſmata, jam inordinatos animi motus ciendo, quantum poteſt laboris, ſtudiique ad eorum productionem conferre.

6. Quòd ſi idem contrariis etiam aliquando artibus nocendi causâ utitur, in rerum divinarum meditatione extra ſenſus animos rapiens, ſub auguſta Cælituum ſpecie intuendum ſe illis objiciens, & ſpiritualium voluptatum guſtu illos ſatians; nihil tamen virium id habet ad efficiendum, ut hæc interioris profectûs ſubſidia minùs pretii ſecundùm genus ſuum mereantur. Ecſtaſes ſiquidem, revelationéſque, & ſpirituales delicix, quarum author eſt dæmon, nimium quantùm ab iis diſcrepant, quas DEUS animabus impertit: cùm nihil ferè aliud ſint, quàm ſenſus leviculi, ſteriléſque, & debiles affectus: neque unquam ſeu in mente frugiferas de ſui & rerum omnium terrenarum nihilo, déque infinita DEI amabilitate notitias pariant, ſeu voluntatem ad decreta efficacia impellant, amandi DEUM ſuper omnia, quidquid ei gra-

gratius sit, in omni vitæ actu eligendi, & nihil non asperi promptè, hilaritérque pro gloria ipsius subeundi. Nam neque dæmonis vires ad producendos tales effectus pertingunt, neque ipse tam fatuus in malitia sua est, ut nocendi consilio velit, etiamsi posset, impertiri animabus dona, divinæ beneficentiæ tam propria, & ex quibus illæ nequeunt, nisi præclarissimos fructus referre. Præterquam quòd, ùt D. Teresiæ, consultus ab ea de suis visionibus, insignis Theologiæ Doctor respondit: (*Cast. Int. Mans. 6. c. 9. & Fund. c.* 13.) prudentis consilii est, ipsismet diaboli armis contra eum præliari, nostrámque in utilitatem flectere, quod ab eo ad perniciem dirigitur. Ideóque etsi ipse author visionis cujuspiam, vel similis alterius doni esset, non tamen respui auxilium deberet, quod indè percipimus; sed provideri duntaxat, secundùm regulas capite superiori præscriptas, nè aliquid noxæ ibi admistum lateat, vel indè oriatur. Ubi sanè non video, quonam pacto adversarii in doctrina sua sibi constent, dum una ex parte ajunt, perfectè DEUM amanti desiderandos esse, tanquam meriti amplioris materiam, interiores ad peccandum impulsus, quos constat & à dæmone proficisci, nec

alium ad finem, quàm ad perniciem animarum referri: eidémque rursus altera ex parte consolationum spiritualium amore interdicunt, eò quòd, licèt ad majorem in divino famulatu profectum suâpte naturâ illæ utiles sint, fieri tamen possit, ut à dæmone occultæ alicujus perniciei causâ infundantur: perinde quasi hæc pernicies ab homine provido, & sibi cavente aliter vitari nequiret, nisi abdicando omnes fructus, qui indè possunt provenire. Quæ regula si valeret, jam neque sacræ ædes religionis ergò adeundæ forent, tanquam nempe loca, fovendæ quidem pietati per sese, & secundùm institutionem suam opportuna, sed quò nihilominus timeri potest, nè ab humani generis hoste occultam ibi aliquam spiritualis nostri offendiculi occasionem prævidente impellamur.

7. Falsum itèm, nec difficile refutatu est principium, quo veluti fundamento quarta innititur ratio: pacem nimirum, jucunditatémque animi bona esse à præsenti sæculo abhorrentia, utpote quòd assiduis infestationibus, & periculis scateat, neque possit nisi lacrymarum, timorísque, ac mœstitiæ tempori vocari. Quamvis enim perfecti, solidíque, nec interrupti unquam gaudii possessio, im-

mor-

mortalis tantummodo illius vitæ sit propria, quæ justis in cælo promittitur, ubi nempe *mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà.*, (*Apoc. c. 21.*) sed *lætitia sempiterna super caput eorum*; (*Isai. c. 35.*) placuit tamen bonitati divinæ, ut amantiores illius animæ per intimam suavissimæ charitatis, & tranquillæ pacis dulcedinem aliquem subinde vel in terrestri hoc exilio posthumæ illius beatitudinis suæ gustum percipiant: quemadmodum & sacrarum Literarum oracula passim testantur, & in Sanctorum vitis luculenter apparet, & nos jam alibi eodem hoc opere planissimum fecimus.

8. Quantùm denique ad prædictarum rationum confirmationem, à Christi Domini exemplo accersitam, respondeo: excitâsse illum quidem in sua anima perquam validos de morte, ab æterno Patre sibi decreta, & jamjam imminente pavoris, tædiique, ac tristitiæ affectus: non tamen idcirco, ut nos quasi hoc etiam in vitæ suæ actu eum imitaturi studeremus divini obsequii opera cum mœrore, atque tædio peragere, cùm contrà per Apostolum suum nos monuerit, *hilarem datorem à DEO diligi*: (*2. ad Cor. c. 9.*) sed ea potiùs de causa id fecisse, ut, sicut ipse,

quantumcunque inferior animi pars reluctaretur, perfectissimè nihilominus suam Patris imperio voluntatem subjecit; ità nos quoque, cùm in divini famulatûs operibus naturali tædio, & pavore præter nostram electionem afficimur, discederemus, quocunque ejus renisu fortiter superato, divinæ voluntati nostram submittere. Quod exemplum minimè potuisset nobis præbere, nisi contrarios hosce affectus in suo inferiori appetitu sensisset, ac per se ultro excitâsset. Quamobrem, qui ad magis patiendum, & Christum sic perfectiùs imitandum tristitiam, animique aversionem in divina servitute experiri vellet, per hanc ipsam illius imitandi voluntatem, ab illius imitatione discederet; idque duplici ex capite: primò, quia eligeret pati sinè alio fine, & fructu, quàm ut merè patiatur: cùm Christus non ideo duntaxat interiorem illam sui animi afflictionem passus sit, sed utilitates potiùs indè nobis proventuras respiciens: & illam inprimis, quam D. Bernardus commemorat: *Ut, quos* nempe *vivificabat mors ejus, ejus nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos.* (*Serm. 1. de S. Andr.*) Secundò, quia improvidè vellet, quod sum-

ſummo conſilio Chriſtus voluit: eligens ſcilicet, quæ ille ultro pertulit, tædia, & bene operandi impedimenta perferre, etſi nequaquam inſtar illius ſit certus, nihilò minùs perfectè inter illa ſe operaturũ obſtacula, quàm ſi liber omnino ab iis foret. Veluti eadem de cauſa perverſus Chriſti imitator, eíque in ipſamet ſimilitudinis affectatione diſſimilis mereretur vocari, qui legens, permiſſum ab eo eſſe, ut *mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, nudos ejus pedes oſculis foveret, & unguento caput perfunderet; eaſdem ipſe quoque à ſcorto, vixdum è ſuis flagitiis emerſo, obſequii, amoríſque ſignificationes ultro admittendas putaret; cùm germana, & formalis imitatio neutiquam in eo poſita ſit, ut ſecundùm rei ſubſtantiam fiat, quod factum ab altero eſt; ſed ut in iiſdem præterea circumſtantiis, in quibus ab eo factum eſt, fiat. Erubeſcat igitur amans Chriſti anima, quæque illum imitari perfectiſſimè cuperet, omnis ſe perturbationis expertem, cæleſtibúſque affluentem ſolatiis DEO famulari, cùm ille Patris juſſa exequi ſæviſſimos inter animi angores voluerit: ſed ſuarum ſimul virium imbecillitatem agnoſcens, cujus causâ periclitaretur in voluntatis perfectione illi eſſe diſſimi-

milis, si circa inferioris appetitûs perpessiones similis foret, qualemcunque hanc ab eo diversitatem boni consulat, ut alteram illam majoris momenti similitudinem certiùs indè, pleniúsque assequatur.

9. Atque hic profectò vel omnium, vel ferè omnium sanctitate excellcentium virorum fuit mos, atque sensus; quorum, esto complures sensibili, & minùs necessariæ piorum affectuum suavitati nuntium remiserint, nescio tamen, an vel unus solidiora etiam divinæ charitatis incitamenta, & præsidia ultro abdicaverit, ità ut seriò, expresséque à DEO postularet, sinè ulla seu clariori ejus cognitione, seu voluntatis ad serviendum ei promptitudine per omnem continenter vitam relinqui. Quòd si fortè quispiam talis in fastis occurreret, dicendum utique esset, extraordinario DEI afflatu hanc inditam ei mentem fuisse, nec proinde ab ejus exemplo certam posse comunis vitæ regulam sumi. *Non enim de consideratione paucorum*, (inquit Cassianus) *sed de his, quæ multorum, imò omnium subjacent facultati, universalis est regula proponenda. Si qua verò rarissimè, atque à pauciss imis obtinentur, & possibilitatem communis virtutis excedunt, veluti supra conditionem fra-*

fragilitatis humanæ, naturâmque conceſſa, à præceptis ſunt generalibus ſequeſtranda, nec tam pro exemplo, quàm pro miraculo proferenda. (*Col. 19. c. 8.*) S. Tereſia certè, quanquam pro DEO patiendi avidiſſima, profitetur tamen, nunquam ſe ab eo popoſciſſe interiores animi ærumnas: (*In Ep. 33. ad Fratr.*) & B. Angela de Fulginio, licèt anxiam ſpiritualium conſolationum cupiditatem non probet, non tamen eaſdem, cùm à DEO infunduntur, repudiari vult, utpote quæ ad ſerviendum illi impenſiùs hominem adjuvant. (*In Vit. c. 29. pag. 78.*) Cujus ſententiæ itèm eſt S. Petrus de Alcantara in ſuo de Oratione tractatu: (*pag. 174.*) ubi docet, quamvis propria, & vera devotio, proclivitas ſcilicet ad bene operandum, nequaquam conſiſtat in ſpirituali jucunditate, ſolere per hanc tamen excitari, nutriri, & augeri: ejúſque ideo reſpectu ſat validam ſervis DEI cauſam ſuppetere, cur hanc quoque in pretio, & amore habeant. Imò Sanctorum monumenta evolventes, quàm acer illorum foret ſenſus, videmus, ſi quando per materni quamdam lusûs ſpeciem DEUS ſeſe iis occultabat, quámque amanter cum ipſo de illa vel ad modicum tempus ſenſibilis ſuæ præſentiæ ſubductione expoſtula-

ve-

verint: jam ei cum sanctissima sua Matre dicentes: (*Vid. Luc. 2.*) *Domine, quid fecisti nobis sic? Ecce dolentes quærebamus te*: jam Jobi exemplo præteritam illius indulgentiam, & benignitatem præsenti opponentes duritiei: (*c. 29. & 30.*) *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundùm dies, quibus* DEUS *custodiebat me: quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris: quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei? Nunc autem in memet ipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manûs tuæ adversarius mihi*: jam Regii Prophetæ vocibus deprecantes, ut pristinas sibi paterni erga se amoris significationes restitueret. (*Ps. 88. 12. 79. 80.*) *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Usquequo obliviscéris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam à me? Quousque irascéris super orationem servi tui? Ostende faciem tuam, & salvi erimus. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*: jam cum Jeremia tristissimam sui animi conditionem, dum sic puniuntur, deflentes: (*Thr. c. 1. & 3. & Orat.*) *Ego vir videns paupertatem meam in virga indigna-*

gnationis ejus. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio, & repulsa est à pace anima mea: oblitus sum bonorum. Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi: perii. Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. Væ nobis, quia peccavimus. Vide Domine, quoniam tribulor, quoniam amaritudine plenus sum, & non est, qui consoletur me: jámque illa morientis in cruce Christi verba usurpantes: (*Marc. c. 15.*) *DEUS meus, DEUS meus, ùt quid dereliquisti me?* Quapropter consultissimus ille rerum spiritualium magister, Franciscus Stadiera, in egregio suo opere de interioris viæ, ac vitæ fallaciis, earum unam esse ait, divinas consolationes negligere: (*P. 2. de Fall. Peculiar. Tr. 4. c. 10.*) ostendens, postulandas à DEO esse, habendásque in thesauri ditissimi loco, & curandum, ut removeantur ex anima, quæcunque impedimento illis sunt. In summa, nimiùm quantùm, non suavis duntaxat, sed utilis quoque gustus Dei est. Repudiet illum, qui volet: tu Lector, plurimi facito, & tantò pluris, quantò magìs DEUM amas; credens D. Augustino: *Nûl salubri suavitate, vel suavi salubritate esse melius. Quantò enim magìs appetitur suavitas, tantò faciliùs salubritas prodest.* (*De Doct. Chr. L. 4. c. 5.*)

CA-

CAPUT XXXIII.

Num DEI amor, ubi ad summam perfectionem evasit, totam unus occupare animam debeat, omnêmque etiam æternæ beatitudinis, gratiæque sanctificantis, & Christianarum virtutum, & cujuscunque demum boni, quod DEUS ipse non est, ab ea amorem excludere?

UT meliùs perspici, & decidi queat, quod in disceptationem hìc venit, quæ certa in eo sunt, à dubiis separare opus est. Certum itaque est primò, DEUM præcipere, ut velimus, & quæramus gratiam sanctificantem, Christianas virtutes, æternam beatitudinem, juxta illud Apostoli: (1. *ad Thes. c. 4.*) *Hæc est voluntas* DEI, *sanctificatio vestra*: nec proinde fieri posse, ut amor divinus id à nobis fieri prohibeat. Certum est rursus, ità Deum à nobis exigere prædictorum bonorum voluntatem, & curam, ut non tamen semper, hoc est quovis temporis puncto, præsentem actu este in nostris animis jubeat: fieríque pos-

posse, ut amor divinus ad aliquod tempus ab expresso, signatóque illius actu per altiorem in DEO uno occupationem nos avocet. Certum præterea est, duobus modis nos posse supernaturalia id genus bona quærere, & velle: altero nempe minùs perfecto, hoc est nostræ duntaxat utilitatis, excellentiæque gratiâ, altero autem perfectiori, divinæ nimirum voluntatis, gloriæque respectu: & proinde à perfecto DEI amore, qui *meliora æmulatur charismata*, primum illum præ hoc altero excludi. Verissimè siquidem Augustinus cum DEO loquens: *Minùs*, inquit, *te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* (*L. 10. Conf. c. 19.*) Unde tandem colligitur, si ad quidpiam propriè amandum, satis sit illud quærere, & velle; quemadmodum impossibile omnino est, ut amor divinus à supernaturalibus gratiæ, & gloriæ bonis absolutè optandis, quærendísque nos avocet; sic non minùs impossibile esse, ut eorum amorem universè à nobis excludat: & consequenter amoris nomen in contractiori alia significatione accipiendum hìc esse: nimirum pro peculiari ea volendi, & quærendi ratione, secundùm quam volumus, quærimúsque bona magni pretii, & per se expeti di-

digna: quærentes ea ſcilicet, cum pronitate, & adhæſione animi, ſtudiosè, ardenter, jucundè. Adeò ut quæſtionis propoſitæ ſenſus ſit, num amor divinus, quando ad ſummum perfectionis ſuæ gradum evaſit; non aliter quæri à nobis patiatur virtutes, gratiámque ſanctificantem, & gloriam cæleſtem, quàm quo pacto quæri ſinit cibum, ſomnum, & reliqua mortalis vitæ neceſſaria adjumenta, hoc eſt citra peculiarem animi inſtinctum, citráque aviditatem ea largè parandi, & eis utendi: an potiùs à ſumma illius perfectione nîl diſcrepet, ſinere, ut altioris hæc generis bona quæramus libenter, ſedulò, enixè, cúmque ea propenſione, & hilaritate, quæ veri, ac germani amoris eſt propria.

2. Neque nullus eſt ambigendi de re ſic propoſita locus. Quantò enim vehementior cujuſcunque objecti amor in anima eſt, tantò magis eam ſibi vendicat, diverſíſque à ſe objectis amandis minùs habilem reddit: & ubi ad ſummam intenſionem pervenit, totam uſquequaque occupat, nullum in eam aditum alteri curæ, atque affectui relinquens. Ex quo principio conſequitur, ſi quis adhuc in anima propriarum ſupereſt rerum ſenſus, amorem divinum nondum univerſis illius po-

potitum esse facultatibus, neque ad totam, cujus capax est, perfectionis suæ plenitudinem in ea deveniisse: ac proinde cuilibet quàm perfectissimè DEUM amare expetenti, contendendum esse, ut non modò nihil amet, nisi propter ipsum, sed neque quidpiam diligat extra ipsum: volens quidem, & quærens supernaturalia suæ animæ decora, quia DEUS id fieri à se vult; sed nihil in iis spectans, & pro materia delectationis suæ habens, præter meram DEI voluntatem, & gloriam: quo pacto illa quærere, non ipsa formaliter, propriéque amare est, sed unum in ipsis DEUM diligere.

3. Et Confirmatur hujusce argumenti vis celebri illa D. Antonii Abbatis sententia, orationem tunc perfectam esse affirmantis, quando anima adeò in DEUM tota absorbetur, ut omni amisso sui sensu, nè orare quidem se advertat: cùm dici similiter possit, tunc perfectè DEUM à nobis amari, quando totis ità sensibus in eo uno occupamur, ut neque hoc ipsum, quòd eum tunc amemus, menti nostræ obversetur. Confirmatur insuper testimoniis tum D. Areopagitæ, qui, ut anima per intimam conjunctionem penitùs DEO adhæreat, à creatis etiam spiritualibus

objectis docet esse avellendam: (*Theol. Myst. c. 1.*) *Tu verò*, inquiens, *& sensibilia, & intelligibilia omnia relinque, ut ad unionem ejus, qui supra essentiam est, indemonstrabiliter assurgas. Siquidem per absolutam, & puram tui ipsius à rebus omnibus avocationem ad supernaturalem illum divinæ caliginis radium eveheris*: tum magni Ecclesiæ Doctoris Augustini, qui vult, ut, quemadmodum *oblita est anima se ipsam, amando mundum*; ità *nunc obliviscatur se, amando artificem mundi*: (*Serm. 54. de Verb. Dom.*) addens, tantò perfectiorem eam fore, quantò sui minùs meminerit: (*L. 3. de Lib. Arb. c. 25.*) *Melior est animus, cùm obliviscitur sui pra amore incommutabilis* DEI: tum D. Bernardi, qui puram hanc, & Seraphicam charitatem admirans, temperare animo suo nequit, quin exclamet: (*De Dilig. Deo sub Med.*) *O amor sanctus, & castus! ô suavis, & dulcis affectio! ô pura, & defæcata intentio voluntatis! Eò certè defæcatior, & purior, quò in ea de proprio nihil jam admistum relinquitur: eò suavior, & dulcior, quò totum divinum est, quòd sentitur. Sic affici, deificari est.* Confirmatur denique exemplis S. Teresiæ, & B. Catharinæ Genuensis: quarum prior hanc maximè familiarem habebat orandi formulam, (*In Rel. Vit. c. 35.*) *Nulla mi*

mei ipsius tangit me cura: te unum Domine expeto: altera verò dictitabat, (*in Vita c. 14.*) *Purum amorem nihil posse à* DEO *velle, esto sanctum, quod participatio vocetur, neque ipsam intueri participationem posse, à* DEO *sejunctam, & veluti quid creatum sibi inhærentem: sed clamare cum magno animi ardore, meum esse* DEUS *est, non per meram participationem, sed per veram transformationem, & exinanitionem proprii esse: atque hinc fieri, ut ipsa nulli rei permittat intrà se aditum, nisi* DEO, *& minimè omnium sibi ipsi, utpote qua nihil magis illi est contrarium.*

4. Nihilo tamen minùs affirmo, usque adeò ad divini amoris perfectionem nequaquam requiri vacuitatem in anima cujuscunque propensionis, atque affectûs erga supernaturalia bona; ut idemmet amor divinus nos potiùs impellat ad hæc bona maximi æstimanda, dulcíque cum spe, & flagranti aviditate quærenda. Quid enim? nónne expressa DEI voluntas, & consequenter publica amoris divini lex est, ut quilibet amico, & benevolenti animo erga singulos homines sit, ut de veris ipsorum bonis impensè gaudeat, & ad illa acquirenda eos solcitè adjuvet? Ergo nemini esse dubium potest, cùm neminem fugiat, in hoc veram erga proximos charita-

tem consistere, virtutem nimirum eximiè adeò in sacris Literis commendatam, támque nesciam perfectæ charitati erga DEUM adversari; ut juxta communem Theologorum sententiam, eadem cum illa sit virtus. Quæro jam ex adversariis, num minùs, aut aliter debeat homo se ipsum, quàm reliquos mortales diligere? Negabunt profectò: cùm lex divina ex amore, quo nos ipsos prosequimur, exemplum illius nos sumere jubeat, quo prosequi alios debemus: *Diliges proximum tuum*, inquiens, *sicut te ipsum.* Si ergo perfectus DEI amor ab amica, & dulci erga proximos affectione animi nos minimè revocat, imò ad eam potiùs impellit; quonam pacto obstare nobis poterit, nè eandem foveamus erga nos ipsos? Argumentum ineluctabile est; novíque accessionem roboris à Christi Domini authoritate accipit, quem disertissimè hortatum suos fuisse discipulos legimus, ut promissam sibi ab interitu cælestem gloriam hilari spe, & dulci gaudio præciperent, tum illis apud D. Lucam verbis: (*c.* 10.) *Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis*; tum aliis ejusdem sensûs, à D. Matthæo recitatis: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* (*c.* 5.)

5. Su-

5. Supereſt tantùm, ut veriori quæſtionis parte hunc in modum firmata, ad ſubruenda alterius ipſi contraria fundamenta vertamur: quod haud magni negotii res erit. Si enim certi unius objecti amor voluntatem, qua potitus plenè eſt, totam in ſe detinet, nec ſinit ad alia objecta amanda divertere, non de aliis quibuſcunque objectis intelligendum id eſt; ſed de illis tantummodo, quæ nullam cognationem cum objecto in ipſa dominante habent. Nam quantùm ad alia naturali quapiam affinitate cum ipſo conjuncta, ejus amor uſque adeò ab his quoque amandis minimè animum retinet, ut ad id potiùs incitamento illi ſit. Quemadmodum præmonſtrante D. Thoma videre fas eſt. (L. 1. c. *Gent.* c. 75.) tum in amore cujuslibet finis, qui ad media ſimul cum eo amanda voluntatem impellit; tum in eo, quo univerſalem aliquam formam, dulcedinem exempli gratiâ, pulchritudinémve proſequimur; cùm quantò validior illius formæ amor eſt, tantò etiam vehementiùs, quæ illam ſibi inhærentem habent, dulcia putà, & pulchra omnia amari neceſſe ſit. Jam verò certiſſimè conſtat, virtutes, & alia ſupernaturalis ordinis bona illa eſſe media, quibus inprimis ad ſervi-

viendum DEO habiles reddimur, illáque objecta, in quibus præcipuè sanctissima DEI reperitur voluntas. Si ergo cujusvis personæ amor non excludit, sed excitat potiùs amorem illi gratificandi, illiúsque voluntatem implendi, neque amor gratificandi cuipiam, implendæque illius voluntatis impedimentum est, sed incitamentum potiùs ad ea amanda, quibus persona illa delectatur, & per quæ placeri illi potest: quonam pacto fieri posse dicemus, ut qui perfectè DEUM amat, non indè moveatur ad amandam efficaciter illius voluntatem; seu ab efficaci hujus amore impediatur, nè amet virtutes, in quibus reperitur, & per quas illa impletur?

6. Video tamen, quid hìc possit à contrariæ sententiæ patronis reponi: alterum purè contemplativum, cujus tota exercitatio sit, ipsum per se absolutum DEI esse intueri, ínque secreta illius admiratione, & delectatione acquiescere; alterum verò practicum, qui ejusdem DEI voluntatem, & gloriam, quatenus à nobis impletur, curatúrque, pro peculiari objecto suo habet; ex quibus licèt hic secundus disjungi nequeat à studiis sanctimonii, & virtutis, imò quantò magìs in anima efferveścit, tantò illam ad ejusmodi stu-

dia

dia acriùs impellat; prior tamen ille creata quævis objecta ſupergreſſus, uſque adeò divinam intrà eſſentiam totus immergitur; ut neque homines, neque Angelos, nec virtutes, nec vitia, nec cælum, nec inferos, aut quidquam aliud, quod non eſt ipſe DEUS, cogitare, aut ſentire ſoleat. Sed allata reſponſio nullius eſt ad labefactandam propoſitionem meam ponderis. Eſto quippe valeat amor divinus ità penitùs extra ſe, & creata omnia in ſupremum ſuum objectum animam rapere: ut abſorptæ, & attonitæ nullam, non terrenarum modò rerum, ſed neque ſupernaturaliũ, & quibus cæteroqui dilectus ſuus Dominus maximè delectatur, cogitationem relinquat, quotus tamen quiſque non videt, nulla humana vi animam poſſe, dũ mortali etiamnum corpore includitur, tótque illius neceſſitatibus circumvenitur, in ſtatu amoris tam ſimplicis, támque prorſus divivini immotam continenter durare: ſed à præſenti conditione ſua cogi, ut ecſtaticam illam ſuarum omnium facultatum in DEO uno occupationem ſubinde interrumpat, pérque magnã diei partem jam de ſe ipſa, jam de hominibus, inter quos agit, jam de rebus, quæ neceſſariò agendæ ſunt, cogitet? Quod

cùm ità sit, quidnam, rogo, alienum à summa divini amoris perfectione erit, si per hæc saltèm temporis intervalla, quibus in DEI unius contemplatione defixi hærere non possumus, practico illius amori operam demus, & juxta hujus leges ad consecutionem nostri ultimi finis, & ad illarum virtutum actus, quas à nobis exerceri ipse vult, prout occasio se præbuerit, alacri voluntatis studio incumbamus? Enimvero, si quæ minor perfectio hìc posset deprehendi, in eo tantùm posita esset, quòd exercitatio prædicta, licèt DEI gratiâ suscipiatur, verúsque, & proprius illius amor sit, non tamen absolutus ille amor est, qui totam sua vi animam occupat, & ab omnibus creatis objectis avulsam, in DEO uno defigit. Sed jam vidimus, non posse humanitus fieri, ut quisquam mortalium amorem hujusmodi per omnem suam vitam sinè ulla intermissione continuet. Quamobrem, etsi aliqua hìc appareret nostri erga DEUM amoris imperfectio, non tamen nisi necessaria illius imperfectio dicenda esset: veluti necessaria quoque ejusdem imperfectio est, quòd sit amor finitus, neque totam adæquare amabilitatem objecti sui valeat.

7. Præ-

7. Præterquam quòd, etsi integrum nobis foret, perfectissimam illam mentis, & voluntatis in unum DEUM ecstasim, quamdiu vivimus, continenter producere, consentaneum tamen rationi esset, ut nostra illam sponte identidem abrumperemus, locum daturi exercitiis ad practicum DEI amorem spectantibus: cujusmodi sunt grata beneficiorum ab eo acceptorum recordatio, Sacramentorum usus, beatorum Cælituum cultus, dolor de admissis criminibus, alienæ salutis procuratio, cæteríque actus virtutum, quos ille à suis famulis exigit. Neque hoc pacto abrumpentes minùs idcirco DEUM amaremus; cùm neque alia nobis esset id faciendi causa, nisi studium divinæ voluntatis exequendæ; neque fieri ullo modo possit, ut quisquam ideo minùs DEUM amet; quia illius voluntatem exequi studet. Aliud ergo est, quòd anima DEUM sibi aliquando contemplandum proponens, secundùm sua absoluta decora, ùt esse increatum, æternum, necessarium, infinitum, immutabile, pulcherrimum, perfectissimum, beatissimum, imò ùt totum esse, totam perfectionem, totámque pulchritudinem; ità penitùs, & secundùm omnes suas facultates in admiratio-

nem, amorémque incomparabilis objecti abstrahatur, ut minimè interim animadvertat seu munera ab eo sibi impertita, sive perpetrata contra eum à se crimina, sive utrùm homines sint, & quid ab iis fiat, sive paratam sibi beatitudinem, & consequendæ illius vias, sive quid tunc à se agatur, suámque ipsam in rerum natura existentiam. Et aliud est rursus, quòd in hoc solitario, & à creatis imaginibus devia illius contemplatione immorari usque debeat, nunquam illum considerans secundùm alia nos respicientia ipsius decora, ùt potentissimum nempe rerum omnium Conditorem, & Dominum, ùt æquissimum Legislatorem, ùt amantissimum hominum Patrem, ùt primam honestatis totius regulam, útque summum nostrum bonum, & ultimum finem: à quorum decorum consideratione impellatur ad pertimescendam illius supra se potestatem, ad grato amore prosequendam illius erga se beneficentiam, & ad illi, quanta maxima potest, submissione, diligentia, & fidelitate serviendum. Primum illud suis interdum temporibus usitatum exercitatio est maximopere excelens, & fructuosa; digna proinde, quæ abomnibus suscipiatur, qui illius capaces sunt.

Al-

Alterum hoc, quemadmodum nulli mortalium seu possibile est, seu utile esset; ità à nemine nisi stultè affectari.

8. Illud solummodo posset hic à quopiam requiri, uter scilicet ex prædictis contemplandi, atque amandi DEUM modis mereatur alteri præferri, diutiúsque, & majori studio exerceri: illéne, qui totam animam in pura, absolutáque DEI essentia immobiliter figit, sinè ulla interim creati objecti memoria; an ille, quo eandem supremam essentiam intuemur, prout etiam secundùm has vel illas perfectiones ad nos pertinentem, & cum animadversione servitutis, observantiæque debitæ? Qua super re si meam rogarer sententiam, dicerem primum mihi excellentiorem simpliciter, pluríque æstimandum videri, utpote cui innititur, & ex quo suam solet mutuari perfectionem secundus: cùm anima idcirco super omnia obsequium, & voluntatem DEI amet, quia super omnia DEUM amat: ideóque ipsum sic amet, quia ùt infinitè amabilem secundùm absolutas perfectiones suas concipit. Princeps itaque amor ille est, quo diligitur DEUS, qualis in se ipso est: atque ex eo deinde amor nascitur tum sanctissimæ ipsius voluntatis, tum rerum

rum omnium, in quibus ea reperitur: quantóque ille est incitatior, tantò quoque major hujus strenuitas esse consuevit. Ambo tamen ad perfectè amandum necessarii animæ sunt, mutuísque in ea officiis se adjuvant: cùm & primus operandi vim alteri tribuat, & hic illi efficacitatis complementum adjungat. Quocirca, si res merè secundùm se ipsam, & seorsum à conditionibus hujus, vel illius peculiaris personæ propriis spectetur; cenſerem ab homine, qui perfectissimè amare DEUM cupit, amorem primi generis, unde tanquam ex radice pullulat, suæque vel perfectioris, vel minùs perfectæ operositatis mensuram ducit secundus, pluris æstimari, ac libentiùs exerceri oportere: ità ut, quàm diutissimè à creatis objectis mentem segreget, intráque immensum, ac purissimum unius DEI Esse totam penitùs mergat: nihil tunc seu de aliis mortalibus, & illorum eventis, seu de se ipso, déque rebus ad suum munus, ad suam animam, ad suum corpus spectantibus, seu de ipsa præsenti contemplatione sua cogitans, sed infinitam solummodo excellentiam, pulchritudinémque demirans increati sui objecti, quod ipsi unum est plùs quàm cætera omnia: tantóque illud amans vehementiùs,

ùs, quantò minùs vel ſuum ejus amorem, illi unicè intentus, advertit. Quemadmodum Seneca obſervat, tantò profundiorem ſomnum eſſe, quantò minùs libertatis dormienti relinquit, ut dormire ſe advertat. (*Epiſt. 53.*) *Qui leviter dormit, aliquando dormire ſe dormiens cogitat. Gravis ſomnus etiam ſomnia extinguit, aliúſque animum mergit, quàm ut ullo intellectu uti ſinat.* Sed quia, ceu jam dixi, nec poſſibile, nec conſonum rationi eſt, amorem tam ſolitarium, atque ecſtaticum perpetuò exercere; æquum erit, ut juſto aliquo tempore ſic exacto, eum interrumpat, ínque amoris alterius practici actibus, tam interioribus, quàm externis ſe occupet, ſedulò reputans, quidnam faciendum ſibi ſit, ut voluntatem DEI quàm exactiſſimè impleat, ut in ejus famulatu ampliùs proficiat, útque majorem mereatur apud eum gratiam, & magno cum animi ardore ad omnia hujuſmodi præſtanda ſe accingat. Quanquam neque ibi debet perpetuam ſedem figere, & quaſi in curarum ſuarum centro ſubſiſtere; ſed ab illo amore actuoſo, & *ſolicito erga plurima* ad quietam DEI unius contemplationem reverti: quò ſuæ ibi charitatis ardores vividiùs inſlauret, iíſque in ſua illa ſphæra auctis, priorum

rum actuum multiplicitatem alacrior restimat, per alternas ità vices jam in DEO quiescens, jam pro DEO laborans: jam, quod ipse est, jam, quæ vult, amans: jam extra se egrediens, ut intimiùs cum eo copuletur, jam ad se remeans, ut ei gnaviùs deserviat, juxta illud Christi Domini de se effatum: *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* (*Joa. c. 16.*) Quod fuerit, omnes omnino partes, & numeros integerrimæ charitatis absolvere: non permittendo, ut illius perfectioni seu affectus, seu effectio, seu dulcedo, seu vigor, seu sublimitas, seu utilitas desit.

9. His porrò ità constitutis, nullo alio responso jam egent Sanctorum testimonia, & exempla pro contrariæ opinionis firmamento superiùs allata. Cùm referri omnia ad illud solummodo tempus possint, quo anima se, & reliquam omnem creatarum rerum universitatem supergressa, uni DEO contemplando, amandóque totis suis sensibus vacat. Tempus enimvero fortunatum, quódque fruendæ in cælo beatitudinis imago appellari potest: nisi quòd nimiùm quàm citò prætervolet; prout nedum nos, vulgares animæ, & quantùm ad interiorem obtutum

veſpertilionibus ſimiles experiri quotidie cogimur ; ſed vel D. Bernardus, aquila nimirùm in æterni ſolis fulgores mentis aciem defigere aſſueta, planè, diſertéque teſtatur : beatum vocans, cui vel rarò, nec nisì obiter ità in DEUM rapi contingit : (*De Dilig. Deo poſt med.*) *Beatum dixerim, cui tale aliquid in hac mortali vita, rarò interdum, vel ſemel, & hoc ipſum raptim experiri, donatum eſt. Te enim quodammodo perdere, tanquam qui non ſis, & omnino non ſentire te ipſum, & à temetipſo exinaniri, & prope annullari, cœleſtis converſationis eſt, non humanæ affectionis.* Quo tempore, fateor ipſe etiam cum citatis ibi ſacris Authoribus, animam ſuimet obliviſci, nihílque non ſenſibilium modò, ſed & intelligibilium rerum, ac nè ipſum quidem ſuum DEI amorem advertere : qui ejus amor níl creati reſpiciens, purè divinus, ac penè deificus mereatur vocari. Sed tempus ſic amandi, oſtenſum jam eſt, neutiquam poſſe in præſenti vita eſſe perpetuum : & quamvìs poſſet, ſatiùs nihilominus fore, ut illud nos ultro identidem abrumperemus, nè nullus relinqueretur in teris locus amori actuoſo : minùs illī quídem ſublimi, & jucundo, ſed tamen neceſſario, & quantùm ad pleroſque mortalium tutiori, magíſque fructuoſo.

C A-

CAPUT XXXIV.

Epilogus, & concluſio totius operis.

EN itaque nos, amice Lector, ad ſupremam provectos perfectæ illius charitatis metam, quæ jubet DEUM diligi non modò plùs aliis quibuslibet bonis, quodvis nempe ejus placitum ante illa omnia ponendo; ſed & unum quodammodo inter quælibet bona, nullum ſcilicet ex iis diligendo, quod non præcipuè causâ illius diligatur; adeò ut quemadmodum in ſimpliciſſima ejus eſſentia multiformis creatarum quarumlibet rerum amabilitas eminenter colligitur, ſic in puriſſimo quoque ejus amore univerſa cæterorum quorumvis amorum varietas, tanquam in communi centro, atque fine cum exuperanti perfectione adunetur.

2. Ad ſolidum hujuſce tam perfecti, & Seraphici amoris fundamentum ponendum conati in prima parte operis ſumus, quàm maximè vividam, ſublimémque, & magnificam excitare ſingularium DEI perfectionũ notitiam: quæ, licèt pro infinita, & penitùs in-

incomprehensibili sua magnitudine perspici à nobis nequeant, nisi secundùm minimam earum partem, nec aliter, quàm ut in obscurissimo ænigmate, nimiúmque idcirco diversæ à genuina sua specie; nihilominus ea ipsa tam tenuis, tam confusa, támque impropria, & aliena imago, sub qua illas concipimus, tam est eximia, ut vel exaggeratissimam creatorum quorumvis objectorum repræsentationem excedat, & sufficiat ad omnem in anima eorum æstimationem delendam, & ad totas hominum mentes sui unius admiratione, totas voluntates suo duntaxat amore occupandas.

3. Tum porrò in secunda perreximus de illis differere erga DEUM ità cognitum animæ affectibus, qui per se ipsos, & aliquando citra prævium deliberationem, ex magni alicujus boni cognitione proveniunt, neque solùm absque ulla difficultate, sed quasi necessariò concipi solent erga personam bono illo præditam. Qualia primò sunt altissima æstimatio tum ipsius DEI, tum rerum omniũ quæ ad eum pertinent, ùt eidem servire, ejus amicum esse, & perfectè ei conjungi in cælo: quæ necessariò omni humana gloria, & felicitate pluris faciet, quisquis infinitam rite perceperit supremi illius Entis, ad quod re-

feruntur, præstantiam. Secundò humillimæ submissionis, ac reverentiæ sensus coram tantæ majestatis, potentiæ, & magnitudinis Domino eliciet. Tertiò amore erga ipsum non vehementi duntaxat, & fervido, sed dulci itèm, ac jucundo, hilari, plenóque fiduciæ exardescet, qualem meretur tum incomprehensibilis illius pulchritudo, tum plùs quàm paterna, omnémque aliam excedens in nobis amandis benignitas. Quartò omnes eos actus, qui exerceri ab amantibus solent, erga personas peculiariter dilectas, & ad quos erga DEUM exercendos ardens, intimúsque illius amor succensas igne suo animas incitare consuevit, frequentabit, præcipuéque undecim sequentes: nimirum de nulla re jucundiùs, quàm de illo cogitare: quàm plurimùm, suavissiméque cum eo agere, tanquam cum indulgentissimo Patre, vel amicorum fidissimo: pro familiarium sermonum materia, & ordinario loquendi argumento illius decora habere: flagrantibus votis illius in cælesti sua Regia aspectum desiderare, mortem quasi auroram beatissimæ illius lucis cupidè, hilaritérque expectando: de infinita illius beatitate, & præstantia, non secùs, ac si propria esset, gaudere: pati non posse, quòd plerique hominum tam parvi illum æstiment, tótque in-

injuriis laceſſant, deſiderando contrà, ut quàm latiſſimè per orbem terrarum illius notitia, cultus, & veneratio propagetur: acerrimo cum doloris, & pudoris ſenſu deteſtari præteritam ſuam in eo toties offendendo temeritatem: perhorreſcere ultra extrema quævis mala omne criminis genus, quo infinita ejus Majeſtas graviter læditur: omni ſtudio curare, nè interior ſui animi ſpecies quidquam minùs gratum illius oculis præferat, imò magìs ſemper, ac magìs ei placeat: pleniſſimum ei arbitrium in ſuas res omnes permittere, & quidquid contrà ille poſſidet, non aliter, quàm ùt propriam ſuam rem intueri: poſtremò divinam quoque illius voluntatem ſuam facere, quidquid eo decernente in rebus humanis evenit, ſubmiſsè approbando, & volendo. Quos actus, ſenſúſque amoris nemo non videt, facilè, imò etiam ſuaviter, ſaltèm intrà aliquem gradum poſſe ab omnibus concipi, qui ex attenta primæ partis lectione ſublimẽ, ac præclaram DEI ſpeciem animo hauſerint, & huic conſentaneum objecti tam præſtantis amorẽ excitare in ſe ipſis ſtuduerint. Quamobrem de iis differentes nihil penè aliud egimus, nisì demonſtrare, quàm facili derivatione, & quaſi ſua ſponte ex præcedenti illo animi habitu profluant, móxque ad planio-

rem eorũ praxim reddendam peculiares modos ſubjungere, quibus poſſit unuſquiſque exerceri.

4. Sed quia ad omnimodam perfectionem illius abſolutiſſimi amoris, quem infinita DEI amabilitas exigit, nequaquam ii tantummodo actus, affectúſque ſufficiunt, quorum facilis cuique exercitatio eſt, præſertim ſi in ipſomet ſuo genere ultra mediocritatem non exeant; ſed neceſſe eſt, ut & horum vis, atque intenſio, quantùm poteſt, plurimum incrementi capiat; & nihil præterea vel maximè ardui, quod è majore ſit DEI gloria, omittatur; idcirco in tertia hac operis parte ſupremos deſignavimus terminos, quò progredi ſummus, & heroicus DEI amor debeat, duas ſcilicet conditiones, integritati, & plenitudini illius neceſſarias: alteram, ut ſuperior in anima quibuſcunque à ſe diverſis amoribus ſit; alteram, ut quoſcunque alios amores ab anima excludat. Jam verò primam dictarum conditionum explicare ingreſſi, tunc amorem divinum quibuſcunque aliis prævalere in anima diximus, quando hæc quibuslibet aliorum amorum objectis ſemper, & ubique præfert illius objectum: hoc eſt majori in pretio, & amore DEUM habet, quàm quidquid æſtimari, & amari rerum creatarum poteſt, nè

nè se ipsâ quidem exceptâ, idque triplici modo: primò ità, ut deliberatissimum habeat, quævis potiùs bona perdere, seu mala subire, quàm DEUM gravi crimine offendere. Secundò ità, ut æquè certa sit, ex nullius unquam seu boni amore, seu mali formidine vel leviter contra ipsum peccare. Tertiò ità, ut simili voluntatis decreto purũ illius placitum, & majus obsequium suis quibusque rationinibus præferat: paratissima, si gratius ei sit, aliquid à se fieri, vel omitti citra ullam consultationem extemplo illud facere, atque ab hoc faciendo abstinere, tametsi rerum omnium, quæ charissimæ hominibus sunt, famæ, libertatis, vitæque ipsius facienda sibi esset jactura. Ubi etiam duo notatu digna pro ulteriori hujus tertii gradûs perfectione subjecimus: primum, quòd cùm circa res plurimas perobscura, & incerta hominibus voluntas DEI sit; parùm à se hanc diligi prodit, qui certissimam illius in re quavis pernoscendæ rationem non quærit, ac proinde cùm nulla præter obedientiam sit ratio, per quam de divina voluntate in omnibus certi esse possimus; qui hanc vel semet ipso chariorem habet, nulláque vel minima in re per inscitiam aberrare ab ea vult, obedientiam totius vitæ suæ moderatricem sibi eligat est necesse. Se-

cundum, quòd cùm amans DEI anima nunquam possit tam multa ad placendum ei facere; quin plura, & plura præterea æquè illi, ac magìs placitura in infinitũ supersint; curtam suarum virium mensuram debet amplitudine desideriorum supplere: protendendo hæc nimirum, quò illis haud licet pertingere, nullúmque relinquendo in tota infinitate honestorum, & placentium DEO actuum, quem plùs ei gratificatura, vel non faciat, vel saltèm facere posse non cupiat.

5. Quibus rite pertractatis, quod supererat, demonstrandum suscepimus, ad summam divini amoris præstantiam neque hoc ipsum sufficere, ut superior in anima quibuslibet diversis à se amoribus sit; sed alteram quoque ex duabus supra memoratis conditionem requiri, ut omne videlicet hujusmodi amorum genus ab anima eliminet; neque enim perfectissimè amari DEUS potest, nisi juxta charitatis præceptum, *ex tota anima* ametur, vel *ex tota anima* amari, si in eo amando nequaquam universas vires suas colligit, sed in alia plura objecta, pluréisque alios amores dispertit; per quam tamen conditionem advertimus, non excludi à perfecto DEI amore alios rerum cæterarum amores; sed illos duntaxat, qui in eas purè ipsarum gratiâ, & finè ullo

DEI

DEI respectu feruntur: cùm alioquin, qui in creata objecta sic tendunt, ut DEUM potiùs, quàm ipsa pro incitamento, & fine habeant, nequaquam à divino diversi, sed unum quid cum eo sint, secundùm eam Philosophi regulam: *Ubi unum est propter aliud, ibi est unum tantùm.* Quò autem dilucidior conditionis hujus sensus, planiórque usus foret, recensuimus, quænam ex objectis creatis propter DEUM amari à nobis possint, ac debeant: primò nempe omnes Sanctos, qui unà cum ipso cælesti gloria fruuntur. Secundò omnes homines, qui nobiscum vivunt, nè inimicis quidem exceptis, imò etiam specialiùs comprehensis. Tertiò nosmet ipsos, quantùm ad ea corporis, & animæ bona, quæ vel necessaria, vel utilia ad serviendum Deo sunt: vera simul, & propria ratione explicata, unumquodque eorum propter DEUM, Deúmque in unoquoque eorum amandi.

6. Jam verò animadversis iis bonis, quæ ad DEO serviendum nos adjuvant, amaríque sinè detrimento, imò ex impulsu divini amoris possunt; ad alia observanda nos vertimus, quorum amor perfecto DEI amori adversatur, nec ab iis, qui hunc consectantur, foveri in anima, sed extingui penitùs debet: cujusmodi sunt divitiæ, corporis voluptates, li-

ber arbitrii usus, vanæ mentis oblectationes, & splendida propriæ excellentiæ æstimatio. Cùm itaque nihil magìs, quàm bonorum hujusmodi amor, divinæ charitati sit contrarium; generale attulimus, præsentissimæque contra eum virtutis remedium: quæsita videlicet ab eo bona ubique aversari, & fugere, quæque iisdem sunt contraria optare, & eligere. Quod remedii genus singulis deinde prædictorum bonorum amoribus perreximus speciatim aptare: demonstrando opus esse, ut, quisquis efficaciter cupit, quàm perfectissimè DEUM diligere, omnémque rerum creatarum amorem sanctissimo illius amori contrarium, quoad fieri potest, suo in corde abolere; primò quavis opum externarum possessione se abdicet, omnimodam earum locò paupertatem sibi eligens. Secundò fugiat, quidquid volupe, & quærat, quidquid est molestum suis sensibus. Tertiò quocunque voluntatis propriæ usu sibi interdicat, studens eam ubivis oppugnare, & subigere. Quartò eadem severitate utatur contra supervacuas mentis oblectationes, nunquam innato earum appetitui indulgens, sed quoscunque illius motus retundens. Quintò perpetuum, & irreconciliabile bellum indicat præclaræ cuivis æstimationi, quam aut ipse de

se,

se, aut alii de illo possent concipere, annitens omni studio, eam impedire, & quàm maximè abjectus cùm sibimet ipsi, tum quibuscunque aliis videri.

7. Postremò contra heteroclitas, & subtiliores, quàm solidas nonnullorum ideas statuimus nequaquam vel perfectissimo, & summo erga DEUM amori obesse, si propter ipsum ea ipsius dona amentur, quæ seu peculiari adjumento nobis sunt ad majorem in ejus famulatu, & sanctiori vita profectum, veluti spiritualis lætitia, quies animi, perspicua rerum divinarum cognitio, jucundus charitatis fervor, facilitas rectè operandi, & ejusdem generis alia; aut perfectiores in ordine supernaturali, Deóque acceptiores nos reddunt, veluti Christianæ virtutes, gratia sanctificans, & cælestis gloriæ æterna possessio: imò tantùm abesse, ut ad DEUM perfectiùs amandum omni se affectione erga similia bona exuere homo debeat, ut ab ipso DEI amore ad ea omni studio sibi paranda, & thesauri pretiosissimi locò habenda incitetur.

8. Quæ omnia, hoc ordine pertractata, quisquis sedulò observet, diffiteri minimè poterit, præstitam in nostro opere à nobis fuisse, quam in ejus titulo polliciti sumus, reductionem totius sanctioris vitæ ad divinum

amorem, veluti ad universale suum principium, atque ultimum finem. Cùm omnium exercitatio virtutum, quæ instar partium, Christianam perfectionem constituunt, seu tanquam instrumenta subsidio sunt ad plenius eam consequendam; à DEO, quasi à primario, & altissimo participatæ totius honestatis fonte, cernatur hìc causam ducere: nihil aliud in quolibet suorum actuum pro scopo, & fine supremo habens, nisi aut sanctissimam illius voluntatem peragere, eique, quantùm maximè potest, gratificari, & placere; aut tollere ab anima, quidquid intimiori cum eo conjunctioni obest: adeò ut perpetuus tota possit, & verissimus DEI amor vocari.

9. Reliquum est, amice mi Lector, ut tam ego, quàm tu, toto pectore incumbamus ad amandum, quoad utriusque vires ferunt, nostrum hunc infinitè amabilem Dominum: perpetuò habentes præ oculis hinc excelsissima admirabilis naturæ ipsius decora, quibus nostrum esse, imò & omnem nostrum captum tam immenso intervallo transgreditur; indè verò singularia, nusquam alibi audita, & omni admiratione majora effusissimæ illius bonitatis prodigia, in nostro nihilo amando, & eatenus quidem amando, ut mi-

ni-

nimè dubitaverit, è servili nostra conditione in suæ amicitiæ nos fœdera, & filiorum sortem assumere, promiscuámque nobiscum consuetudinem suas delicias vocare. Ex hac siquidem duplici consideratione amor erga illum existet, nedum quovis alio creatarum rerum amore vehementior, utpote erga Ens infinitè augustum, infinitè bonum, infinitè pulchrum, infinitè perfectum; verùm etiam quàm maximè hilaris, & jucunditatis, ac fiduciæ pleniſſimus, utpote erga aliquid nostrum, & quidem inter nostra omnia præcipuum, nostram possessionem, eámque æternùm mansuram, nostrum Parentem, eúmque incomparabilis indulgentiæ, ac pietatis, nostrum amicum, eúmque omni alio fideliorem, ac benevolentiorem, nostrum bonum, ídque summum, & ad perfectam beatitudinem per se unum sufficiens: adeò ut horum rite gnari, atque memores cum nullo conjunctissimorum sodalium jucundiùs, quàm cum illo agamus: de nulla re, quàm de ipso, seu libentiùs cogitemus, seu crebriùs, & sapidiùs loquamur: nihilque aliud flagrantioribus votis suspiremus, quàm eum coram intueri, quàm ei magis usque, ac magis placere, quàm, quidquid est mortalium, ad illius

lius cultum, amorémque perducere: atque hæc sit præcipua nostri gaudii materies, hoc potissimum quarumvis ærumnarũ solatium, quòd certò noverimus, DEUM illum, quem plùs nobis ipsis diligimus, nulla re indigere, vitam bonis omnibus refertissimam ducere, suâque in essentia possidere, quidquid concipi, & suprà etiam, quàm concipi perfectionis, ac beatitudinis potest: quemadmodum è contrario nulli casus adversi tantum nobis queunt mœroris afferre, quantum afferat tum fœdissima, & ubique obvia supremæ illius Majestatis apud plerosque mortales contemptio; tum animo insidens gravium tot scelerum à nobis quoque contra eandem patratorum memoria: quæ nunquam sinè extremo horrore, alitérque, quàm ut summum malorum spectemus, certissimi sexcentas potiùs mortes subire, quàm tantum Dominum vel eorum uno deinceps offendere: imò certissimi, nolle unquam in posterum, quanticunque nostri boni, aut mali respectu, vel levissima in re ei displicere: sed in omni potiùs vitæ actu sanctissimam illius voluntatem promamussi, & regula habere: utpote quam humanis quibusque nostris commodis, studiisque, & propensionibus longè anteferimus;

mus: neque possumus aut non plenè approbare in omnibus, quæ circa nos decernit, aut non promptissimè exequi in omnibus, quæ à nobis requirit. Qua vivendi ratione omnes partes, & numeros perfectissimæ erga DEUM charitatis implebimus, plùs nempe illum nobismet ipsis, & quibuscunque aliis rebus amantes, imò neque nos ipsos, neque aliud quidquam amantes sinè ejus impulsu, qui unus nobis est omnia, quémque pro universali nostrarum operationum, nostrorum affectuum, & totius vitæ nostræ principio, atque ut cuncta uno verbo complectar, pro ipsius nostræ animæ anima ducimus.

10. Ah Lector charissime! numquid non tibi videtur noster hìc infinitè adeò, & in se amabilis, & nostri amans, DEUS promereri, ut hoc pacto eum diligamus, ut sic toti ejus simus? An non palàm perspicis, amatoriam hanc nostri in eum transformationem summum esse felicitatis gradum, ad quem possit evehi humana conditio: quódque ipse dignetur ad eum nos admittere, præstantissimum esse inter munera, quæ ab ipsius infinita cæteroqui bonitate proficisci in nos queunt? Age igitur, volumúsne aliquando tam insigne ab eo munus accipere, tam justum ei ve-

vectigal persolvere? Ah velimus, si sapimus, & confestim sinè ulla comperendinatione hoc ipso temporis, ac loci velimus: pro certissimo habentes, nihil posse à nobis decerni æquitati congruentius, quódque allaturum nobis plus sit emolumenti, dignitatis, & gaudii. Ità sanè, illud summum, omnigenum, immensissimum bonum, cujus gratiâ vitam, sensum, & amandi facultatem accepimus, quo beati, & sinè quo in summa reliquorum affluentia bonorum pauperrimi, ac miserrimi sumus; sit posthac nostrorum votorum meta, nostri cordis quies, nostri centrum amoris, nostra summarum summa: *DEUS meus, & omnia.* O vitæ genus beatum, humano altius, cæleste, divinum, non vivere, nisi propter DEUM, nisi in DEO, nisi de DEO! Felices nos enimvero, si hujusmodi vitam deinceps duxerimus. Ego certè mira quadam cupiditate illius teneor, nihilque ægriùs fero, quàm quòd plùs nimiò eam inire distulerim; miserrimè dividens, pérque bona creata, seu veriùs inanes boni umbras, hac illac dispergens meum cor, pro eo ut totum, atque integrum colligerem in vero, & summo bono, in quo uno fas illi est sincerum gaudium, solidam requiem, per-

fe-

fectámque ſatietatem nanciſci. In ſumma, nimiùm quàm mihi pulchrum, & beatum videtur, DEO totum me impendere, uni DEO vivere, nihil præter DEUM velle, amare, & ſentire. Quoſnam in tuo animo veritates, doctrinæque hujus operis motus excitaverint, non eſt mihi promptum divinare; illud utique compertiſſimum habeo, veros DEI famulos earum conſideratione mirum in modum affici, & commoveri ſolere: nec ſatìs intelligo, quonam pacto poſſit quiſquam iis mentem advertere, quin ſimiles motus, affectúſque concipiat. O maxime, & plùs quàm maxime DEUS! ô immenſum perfectionis, bonitatis, & pulchritudinis pelagus! ô amandum ab omnibus, nullíque ſat amabile objectum! Quænam hæc ſunt inauditæ novitatis prodigia, reperiri in mundo hominem, cui tu non ſufficias, qui ſe tibi totum devovere, & tuus omnino eſſe abnuat? Ah! nè ego ſaltèm talis, nè tales Lectores mei ſint. Vel amare, vel mori. Hæc votorum ſumma: hoc unum tam mihi, quàm iis omnibus longè præſtantiſſimum munus ab immenſa bonitate tua flagito: *Suſcipe, Domine*, (libet meum opus piiſſimis B. Ignatii Loyolæ verbis concludere) *ſuſcipe, Do-*

Domine, universam meam libertatem: accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem Tui solum, cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultrà posco. Amen, Amen, Amen. (*In Exerc. Spir. Contempl. de Am. Divino.*)

FINIS.



P

Bened: Rogacci

Pars III

de Amore Dei

Th
3178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN